BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
24 C
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. 5. 37.

14-13-a-23.

14-17-a-4

48
C
37

14-17-a-11

Digitized by Google

# METAPHYSICA GENERALIS

juxta principia Ariſtotelis

IN DUOS TOMOS DIVISA.

*Authore P.* JAC. CHANNEVELLE,
*Societatis* JESU *Sacerdote.*

TOMUS I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, viâ
Jacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LXXVII.
*CUM PRIVILEGIO REGIS.*

# ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

# GUILLELMO DE LAMOIGNON,

## SENATUS PRINCIPI.

CONVENIT te, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME, *Princeps rerum omnium Philoſophia; vivam ac ſpirantem Sapientiæ formam, incluſa literis & commentationibus adumbrata Sapientia. Tardè quidem, ſi officii mei habeatur ratio; ſi ſpectetur difficultas operis, ſat maturè. Cùm enim id mihi propoſuiſſem in hoc toto genere, nihil ut ſcriberem non ex tuis moribus ac virtutibus expreſſum; eſſetque Sapientiæ tuæ lux per ſe quidem*

*magna, quæ ſtatim incurreret in aſpectum; ſed vis multa, facultaſque multiplex, quæ ſagacem ac diuturnam contemplantis operam exigeret: idcirco debui tibi ſtudere diutiùs, te ipſum diligentiùs intueri: vt te, non quantus es; ſed quantùm aſſequi meditando poteram., effingerem. Sanè proluſeram ante annos aliquot in Illuſtriſſimis Filiis tuis; quorum alteri morum diſciplinam, alteri ſcientiam naturæ dedicaveram: & quam in vtrumque derivaras Sapientiæ tuæ partem, ſcriptis conatus eram utcumque palam facere. Cùm verò aggreſſus ſum in te ipſo ſummam operis: tum demum animadverti, nihil mihi per illa ſuperiorum annorum rudimenta deceſſiſſe difficultatis & laboris: jugeſque Sapientiæ tuæ fontes eſſe, qui quanto frequentiùs hauriuntur, tanto majore copiâ ſe profundunt; jamque vberes in ortu, nuſquam fluendo detumeſcunt. Quis enim, ex quo eſſe cœpiſti, potuit meminiſſe, quando eſſe ſapiens cœperis?*

*Quis, ex quo ſapiens fuiſti, potuit animadvertere, quòd minùs inſigniter fueris. Nata tecum Sapientia convaluit unà cum ætate; ſed majoribus quàm ætas ipſa incrementis: jam robuſta cùm adoleſceres, matura cùm vireſceres. Tantam intuliſti tecum in Senatum, ubi ſolent illam cæteri longo uſu comparare. Viderunt in te Patres canitie jam verendi, quod diſcerent: nihil jam tum habuere, quod docerent. Ita præcipiti honorum decurſu eò brevì perveniſti: ut te Rex vicarium, Curia moderatorem, Religio defenſorem, Leges vindicem ambirent. Ita te omnibus ex eo dignitatis culmine commodaſti: ut in te jus præſidium, fraus ſcopulum, innocentia perfugium, populi oraculum, noſtræ etiam literæ decus & ornamentum nactæ ſint. Ita munera tam diverſa complexus es, tamque admirabili temperamento ſociaſti: ut ſummam cum vitæ ſuavitate gravitatem, cum orationis lepôre dignitatem, cum oris gra-*

*tia majeſtatem, cum rei regiæ publicæque cura divinæ ſtudium concilies. Quis enim tibi literati illius otii tui delicias invideat, quem laborioſæ ſolicitudines tuæ non continuò terreant? Quem intuitus es aliquando, cui venerationem tui non impreſſeris? Quem dignatus es alloquio, cui non amorem expreſſeris? Quo denique domi foriſque pietatis exemplo præis ad religionem omnibus, quibus præes? Tam facilè obſequens Deo, quàm facilè cætera tibi ſubjicis: tanta tamque ſancta pace continens domum, quanta cives tuos peroptas frui. Sic foris illuſtris, domi tranquillus, ubique felix ac pius: amore populari, regia gratia, cæleſti favore, affinitatibus, amicitiis, prole florentiſſimus, documento es reliquis; non factione, non ambitu; ſed probitate, modeſtia, religione, hoc eſt, vera ſolidaque ſapientia fundari opes, fortunamque contineri. Talem te admirantur omnes, qui te norunt. Cui autem ignotus*

*es, in hac tam conſpicua luce dignitatis tuæ, tanta celebritate rerum tuarum, tot erectis vbique ab omni eruditorum gente virtuti tuæ monumentis? Quibus ego ſi hoc appendo Sapientiæ tuæ rude ſimulacrum; non eò facio, quò nominis tui æternitati, cui per te ſatis ipſe provides, conſulere videar velle; ſed vt obſequii ac reverentiæ erga te meæ perenne teſtimonium poſteritati tranſmittam.*

Tibi devotiſſimus JACOBUS CHANNEVELLE, Societatis JESU.

# INDEX.

## DISPVTATIO PROOEMIALIS.


*De natura, cauſis & proprietatibus Metaphyſicâ.* pag. 1

ART. I. QUid ſit Metaphyſica, ibid.
§. I. *Metaphyſica notio & variæ appellationes explicantur.* 2
§. II. *Definitur Metaphyſica.* 3
ART. II. *De cauſa efficiente & finali, variiſque muneribus, affectionibus & partitione Metaphyſicæ.* 7
§. I. *Quid ſit cauſa efficiens & finalis Metaphyſicæ.* 8
§. II. *De partitione Metaphyſicæ.* 14


## PARS PRIMA METAPHYSICÆ.


De ente in communi, ejuſque principiis & proprietatibus. 15


## DISPVTATIO PRIMA.


*De ente in communi.* 16

ART. I. QUid ſit ens in communi, & quæ illius principia. ibid.
§. I. *Natura entis univerſim ſumpti explica-*

*tur.* 16

§. II. *De principiis entis realis.* 20

§. III. *Quodnam ſit primum principium cognitionis.* 23

§. IV. *Diluuntur objecta.* 27

ART. II. *De proprietatibus entis.* 31

§. I. *De exiſtentia, eſſentia, partitione & ordine affectionum entis.* ibid.

§. II. *De uno & unitate.* 37

§. III. *Partitio unitatis in ſpecies.* 42

§. IV. *Unde petenda ſit individuatio.* 45

§. V. *Diluuntur objecta.* 50

*APPENDIX. De multo & multitudine.* 52

§. VI. *De vero & veritate.* 54

§. VII. *De falſo & falſitate.* 60

§. VIII. *De bonitate.* 64

§. IX. *De malo & malitia.* 67

ART. III. *De proprietatibus entis unitis ſecundariis.* 68

§. I. *De numero tranſcendentali.* ibid.

§. II. *De ordine.* 69

§. III. *De perfecto & imperfecto.* 72

§. IV. *De pulcro & pulcritudine.* 75

ART. IV. *De disjunctis modis, ſeu proprietatibus entis.* 80

§. I. *De ente potentiâ & actu, independente & dependente, increato & creato, incorruptibili & corruptibili, completo & incompleto.* 82

*De ente potentiâ & actu.* ibid.

*De independente & dependente* 84

*De incorruptibili & corruptibili.* 85

*De completo & incompleto.* 86

§. II. *De modis qui fluunt ab unitate.* 87

*De ſimplici & compoſito.* ibid.

*De toto, parte & mutilo* 90
*De eodem & diverſo.* 93
*De permanente & ſucceſſivo.* 95
§. III. *De modis à veritate & bonitate fluentibus* 96
*De menſura & menſurato.* ibid.
*De exemplari & imagine.* 98

## *DISPUTATIO II. De variis ſpeciebus entis.* 101

ART. I. *De ente eſſentia & exiſtentia.* ibid.
§. I. *Diviſio entis in ſuas ſpecies.* ibid.
§. II. *An eſſentiæ rerum ſint aliquid poſitivum & reale, antequam exiſtant.* 104
§. III. *Diluuntur objecta* 113
§. IV. *Quomodo eſſentia & exiſtentia diſtinguantur inter ſe.* 116
§ V. *Diluuntur objecta.* 119
ART. II. *De ſubſiſtentia ſeu ſuppoſito.* 128
§. I. *Quædam obſervanda ad intelligentiam quæſtionis.* ibid.
§. II. *Quid addat ſubſiſtentia, ſeu ratio ſuppoſiti ad naturam.* 132
§. III. *An ratio ſuppoſiti creati addat aliquid tantùm negativum.* 137
§. III. *Quæſtiones de natura ſuppoſiti ſolvuntur.* 142
§. IV. *Diluuntur objecta.* 144

## PARS SECUNDA
## METAPHYSICÆ.

De angelis. 155

DISPVTATIO PRIMA.

*De natura ſeu de ſubſtantia angeli.* 156

ART. I. *An ſint angeli.* ibid.

§. I. *An ſint poſſibiles angeli.* ibid.

§. II. *An angeli exiſtant.* 158

ART. II. *De cauſis angelorum & modis eſſendi.* 167

§. I. *Quid ſit angelus, ſeu quæ ſit cauſa formalis angeli.* ibid.

§. II. *De cauſis angelorum extrinſecis.* 169

§. III. *An angeli ſint incorporei & ſimplices.* 172

§. IV. *Diluuntur objecta.* 180

§. V. *An angeli ſint incorruptibiles.* 184

DISPVTATIO II. *De proprietatibus angelorum.* 188

ART. I. *De proprietatibus tranſſcendentalibus angelorum.* ibid.

§. I. *De unitate metaphyſica angelorum.* 189

§. II. *De numero angelorum.* 195

§. III. *An ſit ordo aliquis inter angelos.* 199

§. IV. *De unitate phyſica angelorum.* 206

§. V. *An angelus poſſit aſſumere corpus.* 208

§. VI. *De veritate & bonitate tranſſcendentali angelorum.* 221

ART. II. *De proprietatibus ſpecialibus, ſeu*

*prædicamentalibus angelorum.* 224
§. I. *De quantitate & loco angelorum.* ibid.
*Prima ſententia explicatur.* 225
*Secunda ſententia explicatur.* 231
§. II. *Motus angeli in vtraque ſententia explicatur.* 235
ART. III. *De proprietatibus angelorum magis ſpecialibus.* 243
§. I. *De intellectu angeli.* 244
§. II. *De voluntate angelorum.* 249
§. IV. *De potentia motrice, ſeu exequente angeli.* 258

## *DISPVTATIO III. De operatione angeli immanente.* 260

ART. I. *De operatione intellectiua angeli.* ib.
§. I. *De principio efficiente cognitionis angelicæ,* ſeu *De ſpeciebus impreſſis.* 261
§. II. *De obiecto cognitionis angelicæ.* 270
§. III. *Quomodo angelus cognoſcat Deum cognitione naturali.* 275
§. IV. *Quomodo angelus cognoſcat alios ang.* 278
§. V. *Quomodo angelus cognoſcat entia ſupernaturalia.* 283
§. VI. *Quomodo angeli cognoſcant res inferiores.* 287
§. VII. *Quomodo angelus præterita & futura cognoſcat.* 289
§. VIII. *An angeli cognoſcant ſecreta cordis.* 296
§. IX. *De perfectione cognitionis angelicæ.* 303
ART. II. *De volitione angeli.* 310
§. I. *Quomodo angelus ſe diligat dilectione naturali.* ibid.
§. II. *Quomodo angelus diligat alium angelum naturaliter.* 314
§. III. *Quomodo angelus Deum naturaliter diligat.* 315

*DISPVTATIO IV. De actione tranſeunte angelorum.* 318

ART. I. *Quid agat angelus in alium angelum.* 318
§. I. *De locutione angelorum.* ibid.
§. II. *De illuminatione angelorum.* 326

*APPENDIX. De illuminatione hominum per angelos.* 330

§. III. *De actione reali angelis in angelum* 334
ART. III. *Quid agant angeli in naturam purè corpoream.* 338
§. I. *An natura corporea angelo obediat.* 339
§. II. *Quid poſſit angelus producere in naturâ corporata.* 341
§. III. *Quid poſſit angelus circa corpora per motum localem.* 351
ART. III. *Quid poſſit angelus in hominem.* 355
§. I. *Quid poſſit angelus in corpus hominis, quatenus vegetans eſt.* ibid.
§. II. *Quid poſſit angelus circa vitam ſentientem & ejus adjuncta.* 366
§. III. *Quid poſſit angelus in animam rationalem.* 376
§. IV. *An angelus poſſit ecſtaſim ſeu raptum efficere.* 387

*APPENDIX ad §. 4. De cauſis & effectis ecſtaſis ſeu raptûs ſupernaturalis.* 391

*Variæ quæſtiones de natura raptûs ſolvuntur.* 399

## *APPENDIX ALTERA. De operatione maligna malorum angelorum.* 406

*De tentatione.* 407
*Quid ſit & quotuplex.* ibid.
*Variæ quæſtiones ſolvuntur de natura tentationis.* 409
*De obſeſſione.* 423
*De poſſeſſione.* 424
*Quid ſit & an ſit.* ibid.
*Quæ origo & cauſa efficiens poſſeſſionis:* 430
*Quæ cauſa finalis poſſeſſionis.* 434
*Quotuplex ſit poſſeſſio* 435
*Quæ effecta poſſeſſionis.* 436
*An poſſeſſio ſit omnium operationum malignarum maxima.* 442
*Quæ ſigna vera poſſeſſionis.* 445
*Quæ obſervanda adjuratori dæmonum.* 450
§. V. *An angelus poſſit verum miraculum edere.* 457

## *APPENDIX De cuſtodia angelorum.* 465

ART. I. *De cuſtodia univerſali angelorum.* ibid.
§. I. *Quædam principia ſtatuuntur.* ibid.
§. II. *An ſit & quàm latè pateat cuſtodia univerſalis angelorum.* 467
ART. II. *De cuſtodia particulari angelorum.* 472
§. I. *An ſuus cuique homini à Deo delegatus ſit ad cuſtodiam angelus.* 473
§. II. *Quo ex ordine ſint angeli qui ad cuſtodiam hominum deputantur.* 480
§. III. *An quilibet homo habeat angelum malum ſibi peculiariter addictum.* 484

§. IV. *Quinam habeant angelum cuſtodem.* 489
§. V. *Quandiu duret angelorum peculiaris cuſtodia.* 497
§. VI. *De cauſa finali cuſtodiæ ſpecialis angelorum.* 500
§. VII. *De officiis angeli cuſtodis.* 502
*Officia angeli cuſtodis per ordinem ad Deum* 503
*Officia per ordinem ad dæmones.* 504
*Officia per ordinem ad clientem.* 505
Art. II. *An valentior ſit angelus bonus ad tutelam & defenſionem alumni ſui, quàm malus angelus ad ejuſdem impugnationem & excidium.* 514
§. I. *Qui virium habeat malus angelus ad hominem impugnandum.* 515
§. II. *An valentior ſit cuſtos angelus ad alumni ſui ſalutem conſtituendam, quàm dæmon ad evertendam.* 525

DISPU-

# DISPUTATIO PROOEMIALIS.

## *De natura, cauſis & proprietatibus Metaphyſicæ.*

PRINCEPS & regina omnium diſciplinarum Metaphyſica; quia nulli ſubjecta, omnes alias cùm objecti amplitudine, tum principiorum vniverſalitate ſibi ſubjicit: judex & arbitra, quia earumdem controverſias dirimit: principium ac finis, quia ab ea tanquam rivuli, à fonte dimanant, & in eandem concluſiones ſuas; vt certitudinem explorent ſuam, quaſi deducunt. Quare cùm cæteris diſciplinis tantum lucis affundat, juvat hîc naturam illius, cauſas & affectiones paulò diligentiùs indagare.

### ARTICULUS I.

### *Quid ſit Metaphyſica.*

METAPHYSICÆ duplex, vt & aliarum diſciplinarum, definitio hîc nobis inquirenda; altera, quid nominis; altera, quid rei: illa dicitur notio, hæc definitionis nomen retinet.

## §. I. *Metaphyſicæ notio & variæ appellationes explicantur.*

I. ASSERTIO. METAPHYSICÆ notio, ſi attenditur, eſt ſcientia τῶν μετὰ τὰ φυσικά, id eſt, rerum earum quæ res naturales conſequuntur, vel vltra res naturales aſſurgunt.

Probatur tum ex objecto, tum ex ortu hujus ſcientiæ. Ex objecto quidem ſic: Omne vniverſale ſpeciali ſuperius eſt: objectum Metaphyſicæ, quod eſt ens vt ſic, vniverſalius eſt, itáque ſuperius: objectum Phyſicæ quod eſt ens particulare, nempe corpus naturale, ſpecialius, adeoque inferius. Deinde res à materia abſtractæ, & ſubſtantiæ ſeparatæ, in quibus contemplandis tota eſt Metaphyſica, in altiori ordine quàm res corporatæ conſtituuntur.

Ex ortu autem hujus ſcientiæ ſic: Metaphyſica, licèt prior ſit dignitate & naturæ ordine ipſa Phyſica, poſterior tamen eſt ordine generationis & inventionis, quatenus primi diſciplinarum inventores à rebus ſenſibilibus & concretis ad abſtractas & procul à materia ſejunctas ratiocinando provecti ſunt: ergo Metaphyſica eſt earum rerum quæ res naturales quadantenus ſequuntur; hinc poſt alias Philoſophiæ partes addiſci conſuevit: quia quæ abſtractiſſima ſunt, exemplis quæ ex aliis diſciplinis ducuntur, illuſtrari ſolent.

II. ASSERTIO. Metaphyſicæ appellatio non vna. Dicitur enim ſimpliciter *Philoſophia*, 4. Metaph. cap. 2. quia cæteris Philoſophiæ partibus præſtat. *Philoſophia prima*, 6. Metaph. c. 1. quòd

prima ſit dignitate & natura; immo tota quodammodo virtualiter Philoſophia, ſicut ſemen eſt tota arbor virtute & eminentia: conſiderat enim primos rerum conceptus objectivos, in quibus cujuſque ſcientiæ inferioris principia tanquam in ſemine continentur. *Sapientia*, 6. Ethic. & 1. Metaph. quia de primis rerum cauſis & ſupremis rebus ediſſerit; hinc ibidem *Prudentia* per analogiam dicitur, quia ſicut prudentia in agibilibus, ſic ſapientia in ſpeculabilibus maximè eminet, nec ſine Metaphyſica felicitas quæ in contemplando ſita eſt, comparari poteſt, ſicut nec felicitas in agendo ſine prudentia acquiri. *Theologia naturalis*, lib. 6. Metaph. cap. 1. & lib. 11. c. 6. quia de Deo & Angelis diſputat, quatenus lumine naturali nobis innoteſcunt. *Scientia vniverſalis* alibi. *Princeps ac Domina*, 6. Metaph. cap. 1. quia alias diſciplinas ſuperat amplitudine objecti ac dignitate, ſuorumque principiorum robore eas tuetur ac defendit.

## §. II. *Definitur Metaphyſica.*

UT genuina Metaphyſicæ definitio tradatur, juvat ipſam ex cauſa materiali & formali eruere.

I. ASSERTIO. Cauſa materialis circa quam Metaphyſicæ, eſt ens. Probatur: Objectum materiale, ſeu cauſa materialis circa quam, eſt id circa quod Metaphyſica verſatur: circa ens Metaphyſica verſatur: ergo objectum materiale Metaphyſicæ eſt ens.

II. ASSERTIO. Cauſa formalis Metaphyſicæ eſt ratio entis vt ens eſt formaliter. Pro-

batur 1. Cauſa formalis cujuſque habitus, eſt ratio ſpecialis ſub qua tendit in objectum, & diſtinguitur à quolibet alio habitu: ratio entis vt ens eſt, eſt ratio ſpecialis ſub qua Metaphyſica tendit in ipſum ens, & qua diſtinguitur ab alio habitu: ergo cauſa formalis Metaphyſicæ, eſt ratio entis vt ens eſt. Probatur 2. ex Ariſtotele 6. Metaph. tex. 1. Metaphyſica ſola eſt quæ tractat de ente ſimpliciter vt ens eſt. Quo loco objectum materiale & formale complectitur.

Confirmatur vtraque aſſertio. In ente dantur conceptus communiſſimi, affectiones & attributa communiſſima, quæ non magis vni quàm alteri competunt: ergo debet dari peculiaris diſciplina quæ illa omnia contempletur; non alia quàm Metaphyſica, cujus eſt communiſſimos illos conceptus affectioneſque contemplari, varias entis ipſius partitiones inſtituere; prima denique entia, hoc eſt, ſubſtantias à materia abſtractas, putà Deum vt auctorem naturæ, & Angelos ſpeculari. Ens quippe incorporeum, completum & ſeparatum, intra objecti hujus principis ſcientiæ amplitudinem continetur, ex Ariſtotele 2. Phyſic. tex. 26. *Metaphyſica*, inquit, *conſiderat formas ſeparatas.* Hinc dicitur contemplari ens abſtractum ſecundùm rem à materia; quia ejuſmodi ſubſtantiæ quæ exiſtunt, nihil concretionis habent. Et ita explicabis Ariſtotelem, dum 6. Metaph. pronuntiat, niſi daretur ſubſtantia abſtracta & immaterialis, nullam fore Metaphyſicam; quia ſublata tali ſubſtantia, nulla forent attributa communia ſubſtantiæ corporeæ & incorporeæ; vnde ens & ſubſtantia

cum ſuis modis & proprietatibus converſim dicerentur cum ſubſtantia materiali & corporata. Poſita autem ſubſtantia à materia abſtracta, ſequitur dari attributa communia, quæ Metaphyſica conſiderat.

III. Assertio. Objectum Metaphyſicæ primarium & attributionis eſt ens vt ens, ſive ens vt ſic. Probatur, quia ſpectat primariò ens vt ens, & ad ipſum cætera omnia refert, vt patet.

Porrò per ens intellige ens reale, non fictitium, quia ſcientia eſt primò de ente, vtpote quæ ſit pictura quædam rerum quæ ſunt; hinc non ens & ens rationis ſunt objecta duntaxat indirecta & per accidens Metaphyſicæ; quia quod non eſt per ſe ens, non eſt per ſe intelligibile: at negationes & ens rationis non ſunt entia per ſe intelligibilia.

Ex hac aſſertione hujus pronuntiati veritas eruitur: *Quidquid in Metaphyſicis docetur, ad ens quà ens, revocandum eſt:* quia id poſtulat natura ſubjecti attributionis.

IV. Assertio. Objectum Metaphyſicæ adæquatum & totale eſt ens vniverſim ſumptum cum proprietatibus & principiis ſuis. Probatur: quia hæc omnia ſuo ambitu complectitur. Accedit auctoritas Ariſtotelis qui ait 4. Metaphyſ. Metaphyſici eſſe prima principia & dignitates conſiderare, quatenus ex iis concluſiones primas deducere poteſt & debet.

V. Assertio. Metaphyſica rectè definitur, ſcientia ſpeculativa entis vt ens eſt. Scientia quidem, quia eſt de objecto neceſſario, non purè contingenti. Speculativa, quia nihil dictat

agendum aut faciendum, ſed in vna objecti ſui contemplatione acquieſcit. Entis, vt ens eſt, quia ſic diſtinguitur ab aliis diſciplinis ſubalternatis, quæ non ens vt ens, hoc eſt, generaliſſimè ſumptum, ſed modos entis ſeu determinationes, & peculiares rationes entis conſiderant. Nullius quippe entis particularis quidditates præterquam Dei & Angelorum Metaphyſica conſiderat; tum quia ſapiens, ex 2. Metaphyſ. debet omnia ſcire vniverſaliter, non ſingulariter; tum quia nulla foret ſcientia præter Metaphyſicam, quod falſum eſt. Ens itaque ſecundùm quidditatem communiſſimam conſiderat, nullius particularis propriam attendit, omnia in vniverſali, non vniverſaliter omnia contemplatur. Quid plura? Scientia entis eſt, non entium; abſtracta ab omnibus, non ex omnibus concreta, niſi quatenus in ente confusè continentur, juxta mentem Philoſophi qui libro 4. hanc ſcientiam ab aliis diſtinguit, quia ſpeculatur ens vt ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt; nullæ autem cæterarum vniverſaliter de ente prout ens eſt, conſiderant; ſed ejus aliquam partem abſcindentes, quod ei accidit, ſpeculantur, vt ſcientiæ Mathematicæ. Ariſtoteli concinit Averroës, dum ait 2. Phyſic. comm. 22. Metaphyſicam conſiderare materiam vt eſt quoddam ens; Phyſicam verò, vt eſt ſubjectum formæ.

Objicies 1. Objectum Metaphyſicæ ſunt tantùm ea quæ abſtrahunt à materia tum re, tum ratione; Phyſicæ, quæ nec re, nec ratione; Mathematicæ, quæ non re, ſed ratione: at ſolæ ſubſtantiæ immateriales abſtrahunt à materia & re & ratione: ergo ſolæ ſubſtantiæ immateria-

les ſunt objectum Metaphyſicæ.

Reſp. Ad majoris primam partem, nego, ſi ſermo ſit de objecto totali, non partiali. In hoc enim ab aliis diſciplinis diſtinguitur, quòd ſub illius conſiderationem cadant, quæ tum re, tum ratione ab omni materia abſtrahunt; quæ autem ab aliis conſiderantur, vel ratione tantùm, vel ne ratione quidem abſtrahunt.

Objicies 2. Ejuſdem eſt ſcientiæ conſiderare ens & ejus inferiora: ergo Metaphyſica debet cujuſque entis quidditates contemplari.

Reſp. Diſtinguo ant. Secundùm rationes vniverſales, concedo; ſecundùm rationes ſpeciales, nego. Sic Metaphyſica cognoſcit ens eſſe creatum vel increatum; ſubſtantiam eſſe finitam vel infinitam, quia ſunt affectiones communes entis. Hinc explicabis textum 2. libro 4. Metaph. cum ait Ariſtoteles: *Sicut eſt vnus ſenſus vnius objecti, & eorum quæ ſub ipſo continentur*; ita vna ſcientia hæc ſpeculatur ens in quantum ens, & ſpecies ejus, & ſpecies ſpecierum, nempe quatenus ſpecies continentur in ente ſecundùm rationes communes: vnde Metaphyſica in ordine ad alias ſcientias rite comparari poteſt cum ſenſu communi in ordine ad alios ſenſus.

## ARTICULUS II.

### *De cauſa efficiente & finali, variiſque muneribus, affectionibus & partitione Metaphyſicæ.*

CAUSAM tum materialem, tum formalem Metaphyſicæ ſuperiori articulo perſtrinxi-

mus ; jam ad cauſam efficientem & finalem, munera & affectiones, orationem traducimus, eandem deinde partituri.

## §. I. *Quæ ſit cauſa efficiens & finalis Metaphyſicæ.*

I. Assertio. Causa princeps Metaphyſicæ Deus eſt. Probatur, tum quia homini cuilibet ſapientiæ cupiditatem indidit, ejuſque menti totum vniverſum contemplandum propoſuit ; tum quia acutiſſima quæque ingenia ad hujus ſcientiæ culturam & cauſarum ſummarum inveſtigationem arcano quodam impetu impulit ; tum quia Adamo in ortu hanc partem cum cæteris indidit, quam ad poſteros ſubinde transfunderet haud paulò auctiorem, vt ipſo Logicæ noſtræ aditu ac veſtibulo oſtendimus.

II. Assertio. Cauſa minùs principalis Metaphyſicæ extitere Philoſophi inſignes, ſed præſertim Ariſtoteles. Probatur, quia nulla ætas fuit in qua Philoſophi complures huic parti illuſtrandæ operam non dederint. Sed omnibus fere Ariſtoteles facem prætulit, qui primus rebus Metaphyſicis certo ordine dirigendis incubuit, prædicata communiſſima cauſaſque ſummas non minùs felici ſucceſſu, quàm ſolerti ſtudio explicuit: vnde ab interpretibus Græcis μεθοδικὸς, ordinis ſtudioſiſſimus, φίλος καθόλου, vniverſalium amantiſſimus, & φιλαίτιος, in cauſarum inveſtigatione ſummè induſtrius, non ſemel vocatus eſt. Id ipſum quàm meritò de illo dictum ſit, patet ex totius hujuſce operis inſpectione ac partitione.

Totum quippe opus continetur præfatione & tractatione. Illa duobus primis capitibus concluditur, & quidem ad hujus ſcientiæ commendationem: hæc reliquum opus ſibi vendicat. Quatuordecim libris conſtat, quorum nonnulli ſex primos *præparatorios* vocant, octo poſteriores *tractatorios*. Primo libro, veterum ſententias de primis rerum principiis examinat, confutatque. Secundo, modum indagandæ veritatis proponit. Tertio, multa agitat in vtramque partem, ſubinde definienda. Quarto, ſubjectum hujus diſciplinæ conſtituit, affectiones declarat, & terminorum vniverſaliſſimorum, cujuſmodi ſunt, principium, cauſa, elementum, explicationem aggreditur, quæ fusè libro quinto proſequitur, vt vocum ambiguitatem tollat. Sexto, Metaphyſicæ naturam & conſtitutionem inquirit; & quæ ratio entis ad ejus objectum pertineat, quæve removeatur, diligentiùs inveſtigat. Septimo, de ente per ſe & reali, quod in decem prædicamenta dividitur, ſed præſertim de ſubſtantia materiali agit. Octavo, de natura & forma, quæ ſubſtantiam conſtituunt, diſputat. Nono, cum materia potentia ſit & forma actus, de potentia & actu tractat. Decimo, vnitatem, quæ eſt prima entis affectio, & multitudinem eidem oppoſitam perpendit. Undecimo, & prima parte duodecimi, multa repetit quæ in Phyſicis & in hoc opere ſcripſerat, vt inde ad ſubſtantias immateriales aſſiliat. Poſteriori parte duodecimi, de ſubſtantiis ſeparatis & de primo rerum omnium principio edisſerit. Denique decimo-tertio & decimo-quarto, Pythagoræ & Platonis ſententias de ſubſtantiis immateriali-

bus ſubtiliùs diſcutit, ideas à Platone inductas numeroſque nititur evertere. De cauſa efficiente tantùm, jam de finali.

III. Assertio. Finis proximus, iſque abſolutus, Metaphyſicæ, eſt contemplatio entis ſeu primorum entium: remotus, cognitio veritatis. Probatur prima pars: quia verſatur circa ens à materia tum re, tum ratione abſtractum. Secunda patet ex dictis alibi. Porrò ad finem proximum pertinet quoque cognitio terminorum vniverſaliſſimorum, diſtinctionum communiſſimarum, principiorum ſummorum, concluſionum vniverſalium, & quidem accurata.

IV. Assertio. Finis reſpectivus Metaphyſicæ, reſpectu intellectus creati, eſt intellectum primò & per ſe perficere. Probatur: quia intellectus cognitione rerum vniverſalium juxta & immaterialium maximè perficitur. Ratio eſt, quòd in vniverſalibus principiis tanquam in ſemine multæ concluſiones contineantur, res immateriales affinitatem cum mente noſtra habeant, ipſeque Deus pabulum illius ſit jucundiſſimum, quo ſaturatur & gliſcit: vnde ab Ariſtotele libro 1. de anima, *quodammodo divinus* dicitur: at Metaphyſicæ eſt res à materia abſtractas & omnia vniverſim menti per ſe exhibere, quod de Phyſica & Matheſi dici non poteſt, quia licèt intellectum perficiant, non tamen primò & per ſe perficiunt, quia vniverſaliſſima quæ ſunt genuinum intellectus objectum, non attingunt.

V. Assertio. Finis Metaphyſicæ reſpectivus ad diſciplinas iterum duplex; alter internus, externus alter. Internus eſt, dirigere cæteras diſciplinas, ipſiſque præeſſe modo ſpeculativo. Por-

rò dirigit, 1. quatenus principia ipſis ſufficit, quæ probat tum oſtenſivè, terminorum notiones explicando, tum ad contradictionem adverſarium negantem deducendo. 2. Quatenus vnicuique objecti fines præſcribit, de quo præcognoſcit quòd ſit, & quid ſignificet. 3. Quatenus ſubortas in iiſdem controverſias componit, dum abſtractionem & rationem formalem terminorum vrget; applicationem vniverſalium ad ſpecialia inſtituere docet, diſtinctiones vtiliſſimas ſubminiſtrat.

Hinc patet, cur Metaphyſica dicatur ab Ariſtotele princeps & domina aliarum diſciplinarum, quia illas ſibi ſubordinat, quatenus demonſtrat principia earumdem: v. g. Metaphyſica demonſtrat nihil à ſe fieri, hoc Phyſici aſſumunt tanquam principium. Porrò circa principia prima & indemonſtrabilia verſatur non vt principia ſunt, ſed vt aliquatenus induunt naturam concluſionum, in quo ab intelligentia differt, quæ circa prima principia ſimplici apprehenſione verſatur. Verſatur autem circa illa per diſcurſum. 1. Per accuratam explicationem terminorum, ex qua diſtincta notitia paritur, quæ eſt veluti medius terminus quo principiorum veritas probatur: quò enim diſtinctiùs intelliguntur termini, eò firmiùs principiorum veritatem mens amplectitur. 2. Per deductionem ad abſurdum. 3 Per quandam reflexionem mentis in ſe ipſam: ſic colligimus principia vera eſſe & αὐτόπιστα, quia natura duce ad iis aſſentiendum trahimur. Patet 2. quæ & quanta ſit hujus principis ſcientiæ vtilitas ad omnes alias ſcientias; habet enim ſe ad illas vt cauſa eminentior, quæ in ipſas influit dirigendo, earum-

quæ principia tuetur & communit. Patet 3. cur dicatur accuratiſſima certiſſimaque certitudine objecti; omnia quippe à principiis ſummis repetit, & in rebus maximè vniverſalibus occupatur, quibus maxima certitudo convenit, ratione probationis eminentis, non demonſtrationis evidentis, qualis Matheſi convenit. Patet 4. cur apta ſit ad docendum, non quidem methodi præſcriptione, quæ Logicæ partus eſt, ſed apta rerum ſubminiſtratione, cauſarum primarum inveſtigatione, & terminorum dilucida expoſitione. Patet 5. cur dicatur omnia noſſe, nempe poteſtativè, quia prima tradit principia, in quibus cætera virtute continentur; deinde confusè & communiter, quia conſiderat ens vniverſim, & communia illius attributa, & ita attingit omnia, prout rationem entis induunt. Denique aliquatenus diſtinctè, non rationem cujuſque entis inveſtigando, ſed rerum omnium quidditates ſecundùm rationes generales cognoſcendo, gradus entis ſeriatim ordinando, & eoſdem diſtributos particulari cuique ſcientiæ applicando. Hinc pronunciatum, Metaphyſicæ eſt res ἐν τύπῳ proponere. Patet 6. cur inter omnes ſcientias dicatur maximè appeti. Cum enim certitudinem ſummam habeat, circa entia nobiliſſima & vniverſaliſſima verſetur, ſuiſque principiis cæteras diſciplinas fulciat, vtique ab homine qui ſcire pervelit, non poteſt non maximè appeti.

Finis externus ſeu vſus Metaphyſicæ multiplex eſt: vagatur enim per omnes diſciplinas communitate principiorum & objecti amplitudine. Nulla ſiquidem diſciplina eſt, quæ non

agat de quadam parte entis, hoc eſt, de hoc vel illo ente: at hoc vel illud ens cognoſci non poteſt, niſi cum quadam dependentia à cognitione entis. Sic non poteſt cognoſci homo diſtinctè, niſi cognito animali: nec animal cognoſci, niſi cognito corpore: nec corpus perfectè percipi, niſi quid ſit ſubſtantia, quid ens, intelligatur.

Ne ipſa quidem Theologia ſine Metaphyſicæ ſubſidio ſtare poteſt. Nam vt myſteriorum fidei exiſtentiam non demonſtret, certè poſſibilitatem aſtruit. Deinde terminorum plurimorum notiones ipſi ſufficit, putà eſſentiæ, ſubſtantiæ, perſonalitatis, &c. principiorum quæ hæretici fingunt, falſitatem detegit; quæ vera ſunt, & vitioſè detorquent, nudè & ſincerè explicat. Ut meritò dixerit olim vir eruditus: *Tum demum fore quietas & beatas Eccleſias, ſi aut Philoſophi boni Theologiæ dent operam, aut Theologi philoſophentur piè.*

VI. Assertio. Metaphyſica per omnes cauſas, ſed potiſſimùm per cauſam formalem demonſtrat. Probatur inductione. Nam per cauſam efficientem & finalem demonſtrat; agit enim de primo ente quod eſt primum principium rerum omnium, & de intelligentiis quæ inferiora regunt. Utitur etiam cauſa exemplari, quæ ex ſe abſtrahit à materia; item & materiali, licèt ad Phyſicam hoc genus demonſtrationis pertineat: ſic probat accidentia angelica eſſe immaterialia ex ſubjecto cui inſunt; item illa accidentia non creari probat, quia à ſubjecto ſuo & in productione & in conſervatione pendent. Deinde potentiam paſſivam conſiderat, & per eam plura demonſtrat. Sed per cauſam forma-

# PARS PRIMA METAPHYSICÆ, SEU METAPHYSICA GENERALIS.

## *De ente in communi, ejuſque principiis & proprietatibus.*

HÆc pars Metaphyſicæ vniverſaliſſimas entis notiones, prout ab ente corporeo & incorporeo aliquatenus abſtrahit, conſiderat, ejus principia & affectiones juxta & diviſiones fuſiùs proſequitur. Duabus omnino diſputationibus conſtabit. Prima erit de ente, & illius principiis & affectionibus. Secunda de ſpeciebus entis.

II. Observatio. Entis ſtricta definitio dari non poteſt, quia cum vniverſaliſſimum ſit, genus ſupra ſe habere non poteſt, nec juxta ſe æquale agnoſcere, nec genus ipſum eſſe niſi analogum: quare ad ſummum deſcribi poteſt.

I. Assertio. Ens deſcribitur, id quod non repugnat exiſtere, ſeu quod opponitur nihilo, aut quod non eſt nihil. A quibuſdam per ordinem ad intellectum, id quod omnium primò cognoſcitur, quatenus dum circa rerum cognitionem mens noſtra verſatur, ſub entis notione ſaltem confusè percipit; hæc quippe indoles mentis noſtræ, vt cognitionem ſuam à communiſſimis notionibus auſpicetur.

Probatur aſſertio: quia naturam entis variæ illæ deſcriptiones vtcumque explicant, & cuilibet enti, ſive ſit potentiâ, ſive ſit actu, ſaltem analogicè conveniunt. Sed quoniam ens ſumi poteſt vel vt nomen, vel vt participium, ſit

II. Assertio. Ens vt nomen, deſcribitur id quod habet eſſentiam realem. Eſſentia porrò ſumitur per ordinem ad mentem, vel per ordinem ad proprietates & effectus Per ordinem ad mentem, definitur, id quod primo concipitur in re, ipſamque conſtituit intrinſecè. Primò, inquam, non ordine originis. Nam primam rei notionem ab iis qui extra eſſentiam rei poſita ſunt, inchoamus; ſed ordine nobilitatis & primitatis objecti, inquit Suares Gran. quo ſenſu quidditas vocatur, quia quærenti quid res ſit, per eſſentiam reſpondemus, ab Ariſtotele dicitur: *τὸ τί ἦν εἶναι, quod quid erat eſſe.* Per ordinem ad proprietates & effectus, definitur id quod eſt primò in re tanquam radix & princi-

pium cæterorum, quæ enti inexiſtunt; hinc dicitur ſubſtantia, quia cæteris omnibus ſubſtat: natura, quatenus eſt fons & principium operationum cujuſlibet entis.

Dicitur realis eſſentia, id eſt, non ficta. Realitas autem eſſentiæ explicatur tum negativè, tum affirmativè. Negativè quidem, ſi dicas eſſentiam realem eſſe, quæ nullam in ſe repugnantiam involvit, nec per mentem fingitur involvere. Affirmativè autem dupliciter. 1. A priori, ſi creata ſit, deſcribitur, quæ à Deo produci poteſt, & in eſſe actuali conſtitui. 2. A poſteriori radix prima operationum realium. Denique Metaphyſicè definitur, id quod primò rem conſtituit, & ex quo cætera fluunt.

Circa eſſentiam plura ſunt pronuntiata. 1. *Entis vnius vna eſt tantùm eſſentia*, 6. Top. cap. 3. Cum enim quælibet eſſentia ens conſtituat, abſoluta abſolutum, relativa relativum, vbi ſunt plures eſſentiæ, plura quoque entia ſint neceſſe eſt. 2. *Eſſentia eſt prima & generaliſſima forma.* Quia eſt id quo primò res conſtituitur. 3. *Eſſentia conſiſtunt in indiviſibili*, 8. Metaph. c. 15. Non quòd omnis eſſentia indiviſibilis ſit: conſtat enim genere & differentia, ſi Metaphyſica ſit; materia & forma, ſi Phyſica: ſed quòd res nihil magis minuſve accipiant quoad partes eſſentiales, vt tales ſunt. Sic infans octo dierum æquè eſt homo eſſentialiter atque vir adultus: vnde eſſentiæ ſe habent vt numeri. Ut enim ternario non poteſt addi vel demi vnitas, quin ratio ternarii pereat; ſic nullus eſſentiæ gradus addi poteſt vel detrahi, quin ipſa mutetur. Ratio pronuntiati petitur ex natura eſſentiæ quæ

primo rem conſtituit intra latitudinem entis realis, & diſtinguit à quolibet alio: at ſecus ſe habet entitas rei, quæ ſi dividua ſit, ſuſcipit magis & minus, poteſtque major integraliter fieri. 4. *Nihil eſt magis intrinſecum quàm quod eſt de eſſentia rei.* Quia principia eſſentialia primò rem conſtituunt. 5. *Quod eſt ente poſterius, non eſt de illius eſſentia.* 6. *Eſſentiam rei qui ignorat, ipſam rem ignorat.* 7. *Non quidquid realiter eſt ipſa res, ſtatim eſt de eſſentia.* Sic in divinis perſona eſt idem re cum eſſentia, nec tamen eſt de eſſentia naturæ divinæ.

III. Assertio. Ens participium definitur, id quod exiſtit, ſeu id quod eſt extra cauſas, in quarum virtute ante productionem continebatur. Quid enim eſt exiſtentia quàm rei poſitio extra cauſas, & vltima ejuſdem actualitas. Porrò ens ſumptum pro actuali exiſtentia dicitur ſumi, vt participium; ſumptum autem pro eſſentia, vt nomen: quia participia ſignificant actus ſuorum verborum, vt ſcribens actum ſcribendi: nomina autem non ſemper actualitates rerum ſignificant, ſed res ſecundùm ſe: v. g. roſa certum florem ſignificat, non exiſtentiam ejus actualem; hinc verbum ſubſtantivum in propoſitionibus de ſecundo adjacente exiſtentiam importat: in propoſitionibus de tertio adjacente neceſſariam connexionem attributi cum ſubjecto.

Plura hîc quæri poſſent de eſſentia & exiſtentia inter ſe comparatis, ſed alius erit poſtea diſputandi locus. Item cùm ens tranſcendentale quiddam ſit, quod ratione ſuæ communitatis per omnes categorias vagatur, ratio ordinis id

exigeret vt examinarem hîc, an ens ad ſua inferiora analogum ſit, necne. Sed hæc quæſtio profligata eſt tomo 1. Log. part. 3. diſput. 1. de antepræd. art. 3.

## §. II. *De principiis entis realis.*

I. OBSERVATIO. PRINCIPIA alia ſunt rei, alia cognitionis. Principia rei ſunt, ex quibus res ſunt, ſive externa ſint, vt cauſa finalis & efficiens: ſive interna, vt materia & forma in Phyſicis; genus & differentia in Metaphyſicis. Hæc principia vocantur incomplexa, ſive eſſendi. Principia cognitionis ſunt à quibus res pendent in ſui cognitione, quæ iterum vel ſunt ſimplicia, vt cauſæ, operationes, effectus & accidentia, ex quibus mens in cognitionem rei deduci poteſt; vel complexa, cujuſmodi ſunt propoſitiones quædam primæ, vniverſales, immediatæ & per ſe notæ, ex quibus concluſiones colliguntur. Philoſophis dicuntur axiomata & principia.

II. OBSERVATIO Ens vel ſumitur vniverſim, vt convenit Deo & creaturis: vel reſtrictè, vt vnis creaturis tribuitur. Status quæſtionis eſt, an ens vtroque reſpectu ſumptum habeat principia tum incomplexa, tum complexa, cùm rei, tum cognitionis.

I. ASSERTIO. Ens commune Deo & creaturis nulla habet principia incomplexa, ſeu principia rei externa; cauſam nempe finalem & efficientem, ſeu interna phyſica, hoc eſt, materiam & formam.

Probatur: Quod convenit enti vt ens eſt,

convenit cuilibet enti, ac proinde Deo ipſi: Deus nullam habet cauſam efficientem, nec finalem; vt enim eſt à ſe, ita propter ſe: nullam materialem aut formalem, quia actus puriſſimus eſt omnis compoſitionis expers: ergo nec ens vt ens eſt.

II. Assertio. Ens vt ens, habet principia intrinſeca eſſentialia metaphyſica.

Probatur: Quidquid habet rationem formalem propriam, per quam definiri vtcumque poteſt, habet principia intrinſeca eſſentialia metaphyſica: ens habet rationem formalem propriam, per quam definiri vtcumque poſſit, licèt citra præciſionem perfectam: ergo ens habet principia intrinſeca formalia.

III. Assertio. Ens reſtrictum ad creaturas habet principia rei tum interna, tum externa.

Probatur: Omne ens creatum eſt ens reſtrictum: ens creatum eſt à Deo, vt à cauſa efficiente, propter Deum vt cauſam finalem, quæ ſunt principia externa, habetque eſſentialia principia, quæ ſunt interna, & ex quibus conſtituitur: definiri enim poteſt ens ab alio: ergo, &c.

IV. Assertio. Ens reale, quatenus ens commune, habet principia cognitionis incomplexa.

Probatur: Quia poteſt cognoſci ex multis effectis quæ producit, aliiſque rebus per terminos ſimplices ſignificatis.

V. Assertio. Ens, vt ens vniverſim ſumptum, habet principia complexa.

Probatur: Omnis ſcientia habet principia complexa, quibus proprietates de ſubjecto ſuo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

demonſtret : Metaphyſica eſt ſcientia entis vt ens eſt: ergo habet principia complexa, quibus proprietates de ſubjecto ſuo demonſtret. Major certa eſt, quia principium complexum eſt propoſitio vniverſalis, in qua aſſumitur definitio, vel proprietas aliqua prior vnitur cum poſteriori de ſubjecto pariter demonſtranda: v. g. hæc propoſitio : *Id quod habet eſſentiam, eſt vnum*; continet definitionem entis vnitam cum vno, quod eſt ejus, proprietas : vnde per eam vnum de ente ita demonſtrari poteſt:

*Omne habens eſſentiam eſt vnum:*
*Ens eſt habens eſſentiam:*
*Ergo ens eſt vnum.*

Confirmatur: In Phyſicis datur primum principium motûs, nempe primus motor. In Logicis primum principium ſyllogiſmorum, dictum de omni, & dictum de nullo. In Moralibus primum principium actionum humanarum, quod eſt beatitudo objectiva, ſeu finis vltimus. Ergo à pari in Metaphyſica datur primum principium complexum.

Probatur 2. Vel datur primum principium indemonſtrabile in Metaphyſica, vel omnia ſunt demonſtrabilia : non omnia ſunt demonſtrabilia. Si enim omnia demonſtrari poſſint & debeant, vel duo per ſe invicem demonſtrabuntur, vel erit infinitus progreſſus in demonſtrando; duo non poſſunt per ſe invicem demonſtrari, quia idem eſſet altero notius & ignotius : nec eſt infinitus in demonſtrando progreſſus; alioquin nulla foret demonſtratio, quia nulla foret mentis quies.

## §. III. *Quodnam ſit primum principium cognitionis.*

I. Observatio. Hactenus confecimus dari aliquod primum principium complexum ſeu cognitionis in Metaphyſicis. Sed cum multa ſint principia circa quæ Metaphyſica verſatur; nempe: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: Quodlibet eſt, vel non eſt: Quodlibet, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe: Subſtantia eſt ens per ſe, &c. quæritur hîc, quodnam principium ex iſtis primum & vniverſaliſſimum ſit.

II. Observatio. Principium aliud primum, aliud non primum. Non primum eſt, quod ex primo ſequitur, vt in Medicina, contraria contrariis curantur. Primum eſt quod non ſequitur ex alio, idque duplex, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Primum ſecundùm quid eſt in certo genere ſcientiæ, vt definitio objecti illius, putà corporis naturalis in Phyſica, numeri in Arithmetica. Primum ſimpliciter, quod ex terminis cuique ſcientiæ communibus conſtat, vt *Ens eſt, quod extra nihil eſt: Totum eſt majus ſua parte*, &c.

I. Assertio. Primum principium in Metaphyſica eſt: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Ita Ariſtoteles lib. 4. Metaph. tex. 9. τὸ γὰρ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν, καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ τὸ αὐτό. . . αὕτη ἁπασῶν ἐστι βεβαιοτάτη τῶν ἀρχῶν. *Cùm enim impoſſibile ſit, vt idem ſimul inſit, & non inſit eidem, & ſecundùm idem: hoc eſt omnium principiorum firmiſſimum.*

Probatur ratione : Primum ſimpliciter principium tria requirit. Primum, vt circa illud nemo errare poſſit; erramus enim circa ea tantùm, quæ non novimus: at primum principium eſt notiſſimum. Secundùm, vt non ſit ex ſuppoſitione alicujus prioris, id ėſt, nullius alterius principii veritatem ſupponat, ad quod proinde revocari poſſit, ſed omnia ad ipſum revocentur. Tertium, vt ſit velut nobis à natura inſitum, nec per demonſtrationem acquiratur, ſed ex vna terminorum apprehenſione pateat: at principium mox allatum habet tres iſtas conditiones : ergo eſt ſimpliciter primum. Probatur minor: Nam 1. nemo poteſt circa ipſum errare; eſt enim inter terminos contradictorios: at oppoſitio contradictoria eſt omnium notiſſima, cùm impoſſibile ſit exiſtimare duo contradictoria eſſe ſimul vera; alioquin darentur duo judicia contradictoria de eadem re: at duo judicia contradictoria eſſe non poſſunt circa idem ſubjectum, & attributi conjunctionem, inquit Ariſtoteles, quia vnum eſſet approbatio alterius, & alterum rejectio; rejectio autem includit approbationis negationem. Deinde ſi contradictoria eſſent vera, nulla eſſet ſubſtantia, ſed omnia eſſent accidens, quia omnia adeſſent & non adeſſent: at omnia non poſſunt eſſe accidens. 3. Omnia forent vnum & idem, vnumque foret omnia:. omnia eſſent in omnibus & in quolibet; hinc licèt duo contradictoria ſimul eſſe vera verbo tenus affirmes, numqu·m tamen poteris mente judicare: vnde Ariſtoteles ait Heraclitum, dum hoc principium viſus eſt negare, aliud ore protuliſſe, aliud mente tenuiſſe.

auiſſe. 2. Non habetur ex ſuppoſitione, quia in illud alia omnia principia reducuntur, ipſum autem in nullum aliud reducitur.

Patet prima pars: Concluſiones enim probantur per principia, ex quibus immediatè deducuntur; principia autem omnia probari debent per aliquod impoſſibile conſequens ex eorum negatione, ſi à pervicaci negentur: nullum eſt magis impoſſibile quàm eſſe ſimul & non eſſe, quia res omnium maximè impoſſibilis eſt conjunctio contradicentium. Contradictio enim eſt omnium oppoſitionum maxima, vt oſtendimus Logicæ tom. 1. part. 3. diſput. vnica de poſtprædic. art. 1. §. 5.

Patet ſecunda: Nam ſi hoc principium reduceretur in aliud, probaretur vel per ſyllogiſmum, vel per clariorem propoſitionem: neutrum dici poteſt. Non per ſyllogiſmum, quia vis omnis ſyllogiſtica nititur hoc principio: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Non per clariorem propoſitionem, quia hæc propoſitio eſt omnium clariſſima; claritas enim propoſitionis ex terminorum generali notione & eorumdem oppoſitione exiſtit: at termini ex quibus conſtat propoſitio, ſunt generaliſſimi, putà ens & non ens, & oppoſitio eorum eſt contradictoria, itáque omnium clariſſima, quia omnium communiſſima, vtpote quæ in aliis oppoſitionibus includatur, vt aliàs oſtendimus. Ad hæc, omnis demonſtratio vel eſt directa ſeu oſtenſiva, vel indirecta, ſeu reductio ad impoſſibile: per neutram hoc principium probari poteſt. Non per oſtenſivam, quia fit per aliquod prius & notius: nihil eſt hoc principio prius &

notius. Non per indirectam, quia id tantùm per illam demonſtratur, ex quo aliquid deducitur, cujus falſitas eſt evidentior falſitate & impoſſibilitate ejus quod ab adverſario aſſeritur, ſeu quod opponitur principio ab illo negato: at nihil eſt evidentius hoc principio: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

3. Hoc principium cuilibet à natura inſitum eſt, non demonſtratione partum: tum quia terminis communiſſimis conſtat, à quibus mens humana ſenſim natura duce ad particularia progreditur: tum quia clariſſimè naturam entis explicat, quod eſt primus omnium terminus, entis enim indoles iſthæc eſt, vt ſit extra nihil. Id autem clariùs exprimi non poteſt, quàm ſi dicatur fieri non poſſe vt idem ſimul ſit & non ſit.

Confirmatur aſſertio. Si quod aliud eſſet primum principium, maximè iſtud, *Quodlibet eſt, vel non eſt:* at primum eſſe non poteſt, quia non eſt propoſitio omnium clariſſima. Clarior enim ea eſt propoſitio, quæ ait contradicentia ſibi repugnare, quàm ea quæ aſſerit medio carere; repugnantia enim terminorum contradicentium ex ipſis terminis innoteſcit, vtpote communis omnibus oppoſitis: carentia medii diſcurſu eget, & eſt contradictoriorum propria: at principium negativum, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, contradictoriorum repugnantiam importat; principium autem affirmativum medii carentiam inter ipſa contradictoria ſignificat: ergo, &c. Meritò itaque pronunciat Leſſius lib. de perfection. divin. capite 2. hoc eſſe principium omnis ratiocinationis, in quod omnis ratio omniſque diſputatio vltimò reſolvitur.

Tria ex dictis inferuntur. 1. Hoc principium, *Ens eſt ens*, non eſt primum, tum quia eſt identicum, & omnis artis expers, tum quia ad illud ſingulæ demonſtrationes non revocantur. 2. Illud principium, *Impoſſibile eſt idem de eodem ſimul affirmari & negari*, fundatur in primo principio, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: quia veritas affirmationis & negationis fundatur in veritate entis. Propoſitio enim dicitur vera vel falſa ex eo quòd res eſt vel non eſt. Dicitur tamen primum apud Logicos. 3. Duo principia iſta, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, *Quodlibet eſt vel non eſt*, non verbis tantùm, ſed ſenſu etiam diſtinguuntur. Ratio eſt, quòd diverſa ſignificent. Nam primum ſignificat repugnantiam terminorum ſecundùm carentiam medii inter terminos, ſeu immediationem talem, vt impoſſibile ſit inter illos dari medium: at repugnantia reperitur inter quoſdam terminos, inter quos non eſt immediatio ſeu immediata oppoſitio. Sic nigrum & album pugnant inter ſe, quamvis medium habeant, nempe rubrum & fuſcum.

## §. II. *Diluuntur objecta.*

OBjicies 1. Primum principium debet eſſe ſimpliciſſimum; quod enim prius eſt, id ipſum ſimplicius: principium modò allatum non eſt ſimpliciſſimum: ergo nec primum.

Reſp. diſt. majorem: Debet eſſe ſimpliciſſimum ſimplicitate demonſtrationis, concedo: ſimplicitate terminorum, nego. Porrò ſimplex eſt hoc principium ſimplicitate demonſtratio-

nis, quia nullum aliud eſt per quod demonſtretur.

Objicies 2. Omnis propoſitio modalis eſt ſimplici poſterior: hæc propoſitio, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, eſt modalis. Deinde negatio eſt poſterior affirmatione: hoc principium eſt negativum: ergo ſupponit affirmativum ſe ipſo prius, nempe *neceſſe eſt idem non ſimul eſſe & non eſſe*, ſeu *non & idem eſt & non eſt*.

Reſp. 1. illum modum poſſe abjici, & tunc reducetur in formam propoſitionis de *ineſſe*. 2. Diſting. ratione compoſitionis & generationis, concedo: ratione evidentiæ, nego; quæ reſponſio valet ad ſecundum. Certè nihil eſt evidentius repugnantia entis & non entis, quia per ipſam natura entis belle explicatur reſpectu noſtri. Deinde negatio notior eſt affirmatione in rebus ſimpliciſſimis & vniverſalibus, tum quia latiùs patet, tum quia eſt imperfectior quædam cognitio; natura autem ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur: quare diſtinguo, negatio poſterior eſt affirmatione in genere propoſitionis, eſto; in genere principiorum, nego.

Objicies 3. Primum principium eſt id per quod cætera omnia demonſtrantur: per noſtrum principium cætera demonſtrari non poſſunt: præſertim principia affirmativa: ergo non eſt primum.

Reſp. diſting. majorem: primum principium eſt id per quod cætera demonſtrantur, demonſtratione deducente ad incommodum, concedo: demonſtratione oſtenſiva, nego. Omnia quippe ſcientiarum principia eatenus probantur, quatenus pervicaces qui ea negant, eò tandem de-

ducuntur, vt fateantur idem ſimul eſſe & non eſſe; quod incommodum eſt omnium abſurdiſſimum.

Inſtabis: Ariſtoteles libro 4. Phyſic. probat hoc principium: ergo non eſt indemonſtrabile, adeóque nec primum.

Reſp. Ariſtotelem hoc principium non probare ſimpliciter, ſed per redargutionem tantùm eorum qui illud pervicaciter negabant, id eſt, per argumenta ad hominem ducta ex quibuſdam admiſſis ab iis qui illud negabant; hinc monet Ariſtoteles primum principium non eſſe probandum, niſi qui ipſum negat, aliquid dicat, & quidpiam per verba à ſe prolata ſignificare velit. Niſi enim quidpiam dicat, inepti hominis ſit contra ipſum diſputare, quippe qui nullam rationem præ ſe ferat, & plantæ quàm ſimillimus videatur. Cætera quidem principia probantur tum inductione, tum ſyllogiſmo dialectico & piraſtico, tum demonſtratione ad incommodum deducente: at primum principium inductione aſtrui non poteſt, quia enthymema & ſyllogiſmus ipſi innituntur; hinc duo pronuntiata Philoſophi. Primum: *Primi principii demonſtrationem quærere, hominis eſt rerum imperiti.* Secundum: *Nihil rationis habet, qui primum principium ex animo negat, nec eſt ſyllogiſmi capax.* Poteſt tamen piraſticè vtcunque & dialecticè probari adverſus protervos, ſed non ſine petitione principii aliqua vel explicata vel implicita, vt obſervat Craſſotius Metaphyſicæ tractatu 1.

Quæres quot modis primum principium ſyllogiſmo inſervire poſſit.

Reſp. duobus modis. Primo quidem, cum ſyllogiſmo actu intexitur tanquam pars, quod commodiùs præſtat, cùm affirmativè potiùs quàm negativè effertur, vt obſervat Ariſtoteles, ob concurſum multiplicem negationum. Intexi tamen vtcumque poteſt, ſi per partes hoc modo explicetur:

*Non & homo eſt aliquid, & homo non eſt aliquid:*
*Homo eſt aliquid:*
*Ergo homo minimè non eſt aliquid.*

Secundo verò, cum potentiâ tantùm & mediatè intexitur, nempe per principia mediata, quæ per ipſum probari poſſunt, ſeu quæ ab eo deducta, in idem reſolvi poſſunt.

Objicies vltimò cum Carteſio: Primum principium omnium eſt iſtud, cogito, inquiro, dubito: ergo ſum, quia fieri non poteſt, vt qui cogitat, inquirit, dubitat, non ſit, adeóque hoc primò in philoſophando eſt cognitum, veriſſimum, certiſſimum: ego ſum res cogitans, inquirens, dubitans: ergo ſum.

Reſp. Hoc principium, vt ſit primum ad inferendam exiſtentiam rei quæ cogitat, non eſt tamen primum principium cognitionis ſimpliciter. Prior enim eſt veritas & certitudo in terminis ſimplicibus & propoſitionibus non illatis, ſed inferentibus. Non enim poteſt cognoſci verè & certò, eum qui inquirit, dubitat, cogitat, exiſtere, eo quòd inquirat, dubitet, cogitet, niſi priùs cognoſcatur an & quid ſit inquiſitio, dubitatio, cogitatio, certitudo, exiſtentia. Deinde quàm multa præſupponit hoc principium: ego cogito. Nam 1. ſupponit hanc propoſitionem: qui cogitat, eſt: ergo non eſt

prima propoſitio. 2. Conſtare ipſi Carteſio debet de vi formæ Logicæ, quia hanc propoſitionem non infert, niſi ratiocinando: quod cogitat, eſt: ego cogito: ergo ſum. Quid quòd cognitio exiſtentiæ non neceſſariò connexa eſt cum cognitione eſſentiæ? Aliàs quæcumque exiſtere ſenſibus percipimus, vtique ſecundùm naturam intimam noſcemus: ergo ex eo quòd quis novit ſe eſſe, non poteſt inferri ipſum noſſe aut noſſe poſſe naturam ſuam: ergo debet dari aliud principium per quod in cognitionem eſſentiæ ſuæ deducatur.

## ARTICULUS II.

## *De proprietatibus entis.*

A SIMPLICI entis conſideratione ad affectionum doctrinam progredimur, de quibus quæremus 1. an ſint, 2. quid ſint, 3. quot ſint; primas deinde ſpecies examinaturi.

### §. I. *De exiſtentia, eſſentia, partitione & ordine affectionum entis.*

I. OBSERVATIO. NOMINE proprietatis attributum ſubjecti intelligitur, quod naturam illius ſequitur, & cum eo ad convertentiam dicitur; affectio, paſſio & modus etiam appellatur. Dividitur in exquiſitam, & minùs exquiſitam. Exquiſita eſt quæ à ſubjecto realiter diſtinguitur, vt vis attrahendi ferrum in magnete. Minùs exquiſita re idem eſt cum ſubjecto, ſed conceptu aliquatenus diſtincto, hoc eſt, conceptu

vel vnivoco, vt riſibile à rationali, vel analogo, vt vnitas ab ente.

II. Observatio. Proprietas item alia primaria, alia ſecundaria. Primaria eſt quæ non ex alia oritur, nec ad aliam reducitur, ſed ex qua aliæ oriuntur, & ad quam revocantur. Secundaria, quæ ex primaria oritur, aut ad illam reducitur. Item aliæ vnitæ, aliæ disjunctæ. Unitæ dicuntur modi entis per excellentiam, & converſim dicuntur citra diviſionem: disjunctæ ſunt modi diviſi, qui latitudinem entis exhauriunt membris ſuis disjunctis. Sic independens & dependens exhauriunt vniverſam entis latitudinem. Rurſus vnitæ ſubdividuntur in primarias & ſecundarias. Primariæ ens immediatè ſequuntur, & cum eo citra diviſionem convertuntur. Disjunctæ cum ente quoque reciprocantur, ſed diviſim; ab Alſtedio differentiæ entis vocantur: hinc quælibet entis affectiones dicuntur ad convertentiam cum ente, vel ſimpliciter, ſi vnitæ ſint; vel diviſim, ſi disjunctæ. Poſtremò disjunctæ, aliæ primariæ, aliæ ſecundariæ. Primariæ dividuntur in immediatas, quæ ex rei eſſentia proximè fluunt, vt actus & potentia; & mediatas, quæ ex vnitate, veritate & bonitate fluunt. His obſervatis ſit

I. Assertio. Ens habet proprietates aliquas. Probatur: Dantur attributa quædam entis, quæ non ſunt de primario illius conceptu, & cum eo convertuntur, vel ſimpliciter, vt vnitas aut veritas, vel diviſim, vt actus & potentia: ejuſmodi attributa ſunt proprietates entis: ergo dantur aliquæ proprietates entis. Probatur 2. Ens vt ens eſt objectum Metaphyſicæ ſcientiæ: ergo

habet proprietates quæ de ipſo demonſtrari poſſint. Proprietates enim de ſubjecto à qualibet ſcientia per principia demonſtrantur.

II. Assertio. Proprietates entis nihil aliud ſunt quàm conceptus generaliſſimi, qui à primo conceptu illius manant, ipſumque tranſſcendentaliter denominant, id eſt, cum eo convertuntur ſimpliciter, ſi ſint vnitæ, vel diviſim, ſi disjunctæ.

III. Assertio. Tres ſunt entis primariæ proprietates, nempe vnitas, veritas, bonitas. Duæ ſunt partes aſſertionis; prima, quòd ſint tres proprietates entis: ſecunda, quòd ſint primariæ.

Probatur prima: Proprietas entis eſt attributum quod addit aliquid entis ipſius eſſentiæ: vnitas, veritas, bonitas ſunt attributa quæ entis eſſentiæ addunt conceptus ſaltem analogicè diverſos, tum ab illius eſſentia, tum à ſe invicem. Unitas enim eſt negatio diviſionis in ſe, & conjunctionis cum alio, à qua habet vt ſit hoc, & non aliud: veritas connotat intellectum, ſicut bonitas voluntatem, qui conceptus ſunt diverſi ab eſſentia entis, & à ſe invicem, & aliunde cum ente reciprocantur.

Confirmatur: Illi conceptus ſunt diverſi, qui opponuntur conceptibus diverſis: conceptus vnitatis, veritatis & bonitatis opponuntur conceptibus diverſis; vnitas enim opponitur multitudini, veritas falſitati, bonitas malitiæ. Ergo, &c. Hinc res & aliquid non conſtituunt proprietates & attributa ab ente diſtincta: quia non ſatis ab ente differunt; res enim videtur eſſe quod opponitur nihilo, & aliquid quod habet

determinatam aliquam eſſentiam, quæ cum ente coincidunt. Non tamen prædicantur de ente, licèt accipiantur pro ente; quia prædicatio eſſet nugatoria.

Probatur ſecunda pars: Proprietates primariæ ſunt, quæ non ex aliis oriuntur, nec ad alias revocantur, ſed ex quibus oriuntur aliæ, & ad quas revocantur: tales ſunt vnitas, veritas & bonitas in ente: ergo vnitas, veritas & bonitas ſunt primariæ entis proprietates. Probatur minor: Nullæ ſunt proprietates iſtis tribus priores: imò ad eas reliquæ revocantur, puta ad vnitatem multitudo, ſimplicitas, compoſitio, totalitas, identitas, æqualitas, ſimilitudo; ad veritatem intelligibilitas, ad bonitatem amabilitas ſeu appetibilitas, malitia, perfectio, imperfectio, neceſſitas, contingentia, duratio, ordo, pulcritudo, &c.

IV. Assertio. Proprietates entis ſunt idem realiter cum ente, & ab eo conceptu analogo diſtinguuntur.

Probatur prima pars: quia nulla eſt neceſſitas diſtinctionis realis, ſed ſufficit diſtinctio formalis inadæquatè præciſa; hinc proprietates entis non ſunt exquiſitæ, ſed minus exquiſitæ, quia diſtinguuntur tantùm formaliter à ſubjecto ſuo.

Probatur ſecunda: Unum, verum, bonum habent diverſas definitiones ab ente, & licèt implicitè ens includant, conceptum tamen explicitum habent aliquatenus ab ente diſtinctum.

V. Assertio. Inter proprietates entis primarias prior eſt vnitas, deinde veritas, tum bonitas. Ita vterque Suares poſt D. Thomam. Probatur: Abſolutum prius eſt relativo: vnum eſt

quid abſolutum, vtpote indiviſum in ſe, verum & bonum reſpectiva. Nam verum eſt quid conforme cum principiis ſuis, vt multis placet, & cum intellectu divino tanquam menſura ſui ipſius: bonum integrum quiddam eſt ex attributis ad rei perfectionem requiſitis, & voluntati conforme; quæ duo reſpectiva ſunt.

Jam quòd veritas prior ſit bonitate, probatur: Talis eſt ordo objectorum, qualis eſt ordo facultatum: intellectus qui verſatur circa veritatem, eſt prior voluntate, quæ verſatur circa bonum præcognitum: ergo veritas prior eſt bonitate.

Objicies: Unum, prout dicit diviſionem ab alio, reſpicit aliud; ergo eſt quid reſpectivum.

Reſp. diſt. ant. reſpicit aliud ſecundariò, concedo: reſpicit aliud primariò, nego. Ens quippe ſpectari poteſt vel ſecundùm primariam rationem à qua habet vt ſit quid indiviſum in ſe: vnde Deus etiam vnus foret, quamvis nullum aliud ens ſupponeretur eſſe poſſibile: vel ſecundùm rationem ſecundariam, quo ſenſu eſt diviſum ab alio.

Alii diſtinguunt: vnum reſpicit aliud abſtractivè & ſecundùm rationem entis, conc. in concreto & ſecundùm talem rationem entis, negant. At verum & bonum reſpiciunt aliud ſecundùm rationem talis entis, hoc eſt, intellectum, quà intellectus eſt, & voluntatem, quà voluntas eſt. At in quolibet ente prior eſt aliquatenus ratio entis, quàm ratio talis entis.

VI. Assertio. Præter primarias proprietates entis dantur aliæ ſecundariæ, quarum aliquæ disjunctæ appellantur, vt diſtinguantur à

primariis, quæ dicuntur vnitæ.

Probatur: Affectiones ſecundariæ ſunt eæ, quæ vel à primariis fluunt, vt intelligibilitas à veritate, & appetibilitas à bonitate; vel ſi quæ disjunctæ ſunt, exhauriunt plenitudinem entis, nec proinde dicuntur reciprocè cum ente ſimpliciter, ſed cum hoc vel illo ente: at dantur ejuſmodi affectiones disjunctæ; ergo dantur affectiones ſecundariæ entis. Minor probatur præſertim de disjunctis affectionibus; aliæ enim ſunt principales immediatæ, vt neceſſarium & contingens, independens & dependens, increatum & creatum, potentia & actus, principium & principiatum, cauſa & cauſatum: aliæ principales mediatæ, vt completum & incompletum, ſimplex & compoſitum, idem & diverſum, naturale & artificiale, infinitum & finitum, permanens & ſucceſſivum, circumſcriptum & incircumſcriptum: aliæ denique minùs principales, vt abſolutum & reſpectivum, ſubjectum & adjunctum, ſignum & ſignatum, imago & exemplar, menſura & menſuratum.

Scio iſtas minutias affectionum entis à multis negligi; unde obſcuritas ſæpe in ſcribendo oritur: quia ignorantia terminorum confuſionem parit & ambiguitatem. Alii diviſiones entis potiùs vocant, ſeu membra ipſum ens dividentia, quàm entis proprietates, quæ proinde explicant, dum ens ipſum dividunt. Nos veteres Philoſophos ſecuti, præcipuas proprietates ordine explicabimus, & principes entis proprietates hoc articulo includemus.

## §. II. *De vno & vnitate.*

I. Obser-vatio. Unum idem ſonat aliquando ac ſolum, quo ſenſu Deus dicitur vnus. Item vnitas interdum ſumitur pro principio numeri. Hîc vſurpatur à nobis, vt eſt natiua entis affectio.

II. Observatio. Unum ſic acceptum ſumitur abſolutè & reſpectivè.

I. Assertio. Unum abſolutè ſumptum, rectè definitur, id quod eſt indiviſum in ſe. Probatur: quia hoc ipſo quòd res eſt indiviſa in ſe, id eſt, non habet diviſionem in talia, qualis ipſa eſt, ſtatim eſt vna, v. g. Petrus eſt vnus numero in ſe, quia licèt poſſit dividi in plures partes, non poteſt tamen dividi in plures Petros. Solet tamen addi, & diviſum à quolibet alio, quod eſt attributum ſequens rationem vnitatis abſolutæ. Ex eo enim quòd vnum eſt in ſe indiviſum, conſequens eſt vt ſit diviſum à quolibet alio.

II. Assertio. Unum relativè ad extrinſecum, definitur id quod eſt diſtinctum aut diviſum à quolibet alio, id eſt, quod nihil aliud eſt, quàm illud ipſum quod eſt: ſic Petrus nullum habet eſſe aliud à ſuo eſſe: vnde negat de ſe omne aliud eſſe præter ſuum eſſe. Non enim poteſt dici de Petro, quòd ſit Paulus aut Joannes.

Dixi diſtinctum aut diviſum, quia in heterogeneis aliquid poteſt eſſe vnum, licèt non ſit ab alio diviſum: v. g. anima Pauli eſt vna anima, licèt non ſit à corpore diviſa, ſed duntaxat diſtincta.

III. Assertio. Unitas formaliter ſumpta eſt negatio ſimplex diviſionis, ſed inſtar privationis. Tres ſunt aſſertionis partes. Prima, quòd vnitas ſit negatio: ſecunda, quòd ſit ſimplex negatio: tertia, quòd ſit inſtar privationis.

Probatur prima pars: Intellecta negatione diviſionis, & ſublata qualibet entitate, ens rectè intelligitur vnum: v.g. probè intelligo Paulum eſſe vnum hominem, dum concipio eum nec in ſe dividi, nec alteri conjungi: ergo ſuperflua eſt entitas poſitiva, ſed ſufficit negatio pluralitatis non formaliter quidem ſumptæ, ſecus negatio negationi opponeretur, ſed materialiter ſeu fundamentaliter ſumptæ.

Confirmatur: Si vnitas adderet aliquid enti poſitivum, vel eſſet reale, vel rationis: non poteſt eſſe aliquid reale, aut enim eſſet aliquid reale extrinſecum, aut aliquid reale intrinſecum: non poteſt eſſe aliquid reale extrinſecum, quia nullum apparet: non aliquid reale intrinſecum, quia illud intrinſecum diſtingueretur ab ipſo ente aut ex natura rei, aut virtute ſeu conceptu objectivo. Non ex natura rei, quia illud intrinſecum reale foret etiam ens, & ita fieret vnum per aliam entitatem. Non virtute ſeu conceptu objectivo: quia proprietates entis diſtinguuntur tantum ab ente, vt conceptus diſtinctus à conceptu confuſo. Non poteſt etiam eſſe aliquid rationis, quia vnitas eſſet tantùm relatio rationis, quæ tamen rebus convenit citra mentis operam.

Probatur ſecunda pars, nempe quòd ſit negatio ſimplex. Privatio non negat capacitatem formæ oppoſitæ, ſed negatio duntaxat ſimplex:

vnitas vt ſic negat capacitatem formæ oppoſitæ, nempe diviſionis: ergo in ente vnitas eſt negatio ſimplex, non vera privatio. Minor patet, datur enim vnitas in Deo, qui diviſionis nullatenus capax eſt.

Probatur tertia pars, nempe quòd negatio illa ſimplex ſit inſtar privationis. Mera negatio ſubjectum non ſupponit: v. g. nunc datur negatio alterius mundi citra ſubjectum: vnitas ſupponit ſubjectum, nempe ipſum ens cui ſuo modo inſit, adeóque eſt inſtar privationis, quia id cum ea commune habet, quòd ſubjectum habeat.

Ad faciliorem objectorum ſolutionem, hæc obſervabis. Primum, vnum duo dicit: alterum in recto, nempe ipſum ens; & alterum in obliquo, nempe carentiam diviſionis, ſeu plurium entium quæ multa dicuntur.

Secundum, quæ multa ſunt, duo quoque dicunt, nempe in recto plures entitates reales, & in obliquo negationem illius entis quod ſit vnum. Hinc.

Tertium, vnum & multa in hoc conveniunt, quòd in recto ens importent, & in obliquo negationem entis; ea tamen lege vt vnum dicat in recto illud ens, cujus negationem plura dicunt in obliquo; in obliquo autem dicat negationem illius entis, vel illorum entium, quæ ipſa multa ſeu plura dicunt in recto: vnde vnum dicit negationem poſitivi quod pluralitas includit; plura autem negationem illius poſitivi quod ipſa vnitas continet; & ita non negatio negationi, ſed poſitivum negativo ſemper opponitur.

Quartum, vnitas & vnio non idem ſunt for-

maliter; Deus enim eſt maximè vnus, nec tamen vnitus, nec vnionem ſuarum perfectionum habet, ſed perfectam identitatem; hinc eſſe indiviſum non idem eſt ac eſſe vnitum: angelus eſt indiviſus, nec tamen vnitus: vnde non valet conſecutio: angelus non eſt vnitus: ergo diviſus, quia nec eſt vnitus, nec diviſus in ſe. His obſervatis

Objicies: Quidquid opponitur negationi, eſt poſitivum, aliter negatio negationi opponeretur: vnitas opponitur negationi: ergo vnitas eſt poſitiva. Probatur minor: Unitas opponitur diviſioni ſeu multiplicitati: diviſio ſeu multiplicitas eſt quid negativum: ergo vnitas opponitur negationi. Minor clara, quia diviſio eſt carentia vnionis & indiviſionis.

Reſp. data majore & minore primi ſyllogiſmi, diſtinguo majorem ſecundi: vnitas fundamentalis opponitur diviſioni, concedo: vnitas formalis, nego: ergo vnitas opponitur negationi, diſtinguo conſequens: vnitas materialiter ſeu ſecundùm id quod dicit in recto, opponitur negationi, concedo: formaliter ſumpta ſeu ſecundùm id quod dicit in obliquo, nego. Itaque vnitas ſumpta ſecundùm id quod dicit in recto, & materialiter ſumpta, diviſioni ſeu multitudini formaliter ſumptæ opponitur, & ita poſitivum negativo opponitur: ſicut multitudo materialiter ſumpta, prout eſt ipſa entia diſtincta, opponitur vnitati formaliter ſumptæ, quæ eſt negatio.

Inſtabis: Id quod eſt fundamentum relationis realis, eſt reale: vnitas tum generica, tum ſpecifica & numerica eſt fundamentum relatio-

nis realis: nam Petrus & Paulus habent relationem identitatis in ſubſtantia & animalitate, & diverſitatis in natura individua: ergo vnitas eſt realis.

Reſp. diſt. minorem: vnitas fundamentaliter ſumpta, ſeu ratione entis quod importat, eſt fundamentum relationis realis, eſto: formaliter ſumpta, & ſecundùm quod dicit in obliquo, nego.

Objicies 2. Deus eſt vnus; & non eſt vnus per negationem: ergo vnitas non eſt negatio.

Reſp. Deum eſſe vnum per ſuam entitatem, materialiter, non autem formaliter: ſicut duæ albedines ſunt fundamentaliter ſimiles per ſuam entitatem, quamvis non ſint formaliter ſimiles, niſi per ſimilitudinem à ſua entitate virtualiter diſtinctam.

Inſtabis: Quò res eſt magis vna, cò plus habet negationis: Deus eſt maximè vnus: ergo plus haberet negationis; quod eſt abſurdum.

Reſp. valeret quidem argumentum, ſi vnitas eſſet mera negatio: at præterea includit entitatem in qua fundetur, in quo nihil eſt abſurdi: vnitas enim eſt entitas rei negans diviſionem.

Objicies 3. Unitas in rebus compoſitis eſt quid poſitivum: ergo & in ſimplicibus, quæ multò ſunt præſtantiores. Probatur ant. vnitas in rebus compoſitis reſultat ex vnione partium: at vnio partium eſt quid poſitivum: ergo & vnitas.

Reſp. eſto, vnio in rebus compoſitis ſit aliquid poſitivum; nego ideo vnitatem quæ reſultat ex partibus vnitis, eſſe poſitivam, ſi formaliter ſumitur: vnio quippe partium poſita eſt in compoſitione illarum quarum eſt nexus: quæ compoſitio v. g. in homine ex corpore organico &

anima ſimul vnitis reſultans dicitur humanitas: vnitas autem tranſcendentalis hominis poſita eſt in eo quòd homo in ratione hominis neget multiplicitatem in plures homines; quæ ratio multùm differt à priore ſecundùm ſuum eſſe formale.

## §. III. *Partitio vnitatis in ſpecies.*

1. UNUM tot modis dicitur, quot ipſum ens; hinc vnum aliud per ſe, aliud per accidens, ſicut ens aliud per ſe eſt, aliud per accidens. Unum per ſe eſt, quod ex multis entibus eſſentialiter incompletis; quorum vnum ſit potentia, & alterum actus, coaleſcit, vt homo. Unum per accidens eſt, in quo multa entia completa ad quandam indiviſionem rediguntur. Quanquam

Unum per accidens multiplex: vel enim dicit ſubjectum & accidens, vt Ariſtoteles Philoſophus: vel duo accidentia eidem ſubjecto inhærentia diverſa ratione, vt Philoſophus & Muſicus in eodem Socrate.

Unum per accidens conſtat aliquando ex iis quæ in ſe diviſa & ſine ordine ſunt, vt acervus lapidum, & dicitur ens per accidens puræ aggregationis: vel cum ordine, vt exercitus, & dicitur ens per accidens ordinis: vel quæ vnita ſunt ex arte, vt ſtatua: vel à natura, vt ſubjectum & accidens, aut duo accidentia in eodem ſubjecto; & dicitur ens per accidens informationis; hinc vnitas eſſentialis differt ab accidentali, 1. ratione ſubjecti, quia illa ens per ſe, hæc ens per accidens denominat: 2. ratione formæ; illa in

eſſentiæ quadam indiviſione, hæc in plurium vel concretione vel aggregatione conſiſtit: illa nullam de ſe compoſitionem infert, hæc non eſt niſi cum accidentali compoſitione: illa perfectionis eſt abſolutæ, hæc nonniſi ſecundùm quid: illâ deperditâ, tollitur res ipſa; hac ſolutâ, non deſinunt res eſſe, ſed deſinunt per accidens ſibi adeſſe.

II. Unum per ſe multiplex, nempe genere, ſpecie, numero, proportione.

III. Unum genere duplex, vel phyſico, ſic dicuntur vnum genere, quorum eadem eſt ſpecie materia, vt corpora cæleſtia & ſublunaria: vel metaphyſico remoto aut proximo, ſic homo & equus ſunt vnum genere tam remoto quàm proximo.

IV. Unum ſpecie vel infima, vel ſubalterna dicuntur eſſe quæ ſub ſpecie atoma vel ſubalterna vnivocè conveniunt: vt Petrus & Paulus, qui ſub animali & homine vnivocè conveniunt.

V. Unum numero aliud ſimplex, aliud compoſitum: ſimplex eſt quod indiviſum eſt, neque dividi poteſt, vt Deus.

VI. Rurſus ſimplex aliud realiter tantùm, aliud realiter ſimul & virtualiter. Simplex realiter eſt quod non habet partes realiter dividuas, licèt virtuales non reſpuat, vt angelus. Simplex realiter & virtualiter, quod nec partes reales, nec virtuales habet, vt punctum mathematicum.

VII. Unum compoſitione, aliud continuitate, aliud totalitate. Unum continuitate, aliud continuum per ſe, & non medio nexu, vt aqua ex

multis guttis compoſita; aliud quod medio nexu continuatur: ſic navis per clavos, corpus & anima per vnionem junguntur. Porrò vnitio, vnio & communio aliquatenus diſtinguuntur. Unitio eſt actus conjungens res diverſas ad vnitatem, vt diviſa aliquatenus fiant vnum. Unio, concurſus communicabilis rerum per naturam diſtinctarum. Primo ſenſu ſumitur activè, & ex parte efficientis; ſecundo, paſſivè ex parte vnibilium, quibus ſtatum quemdam tribuit. Communio eſt quâ propter vnionem id quod vnius proprium eſt, alteri communicatur ſine ſui vel multiplicatione, vel tranſfuſione, verè tamen & realiter. Dicitur Græcis μετάδοσις, quia per eam fit vt quod vnius eſt per ſe, id ab alio per & propter vnionem participetur; hinc actus & potentia poſſunt concurrere ad vnum per ſe conſtituendum, quia ſequitur quædam περιχώρησις, *circuminceſſio*, quâ actus potentiam perficiat, & id quod ex vnitis perfectius eſt, alteri ſe imperfectiori communicet. Itaque per communicationem quæ ſunt in vno per eſſentiam & originaliter, incipiunt participari ab altero. Ratio à priori eſt, quòd per vnionem reſultet vnitas ſuppoſiti: vnde cùm vnitorum nobilius agit, toti ſuppoſito tribuitur operatio: nec vlla eſt in actione communio, quorum non eſt communis agendi poteſtas: quia actus ſecundus non poteſt eſſe abſque primo; hinc

Triplex pronuntiatum. 1. *Negata communione proprietatum, negatur communio operationum.* 2. *Negata in agendo communione, negatur termini communis participatio.* 3. *Negata termini communis participatione, negatur ipſa vnio.*

Unum totalitate eſt, cujus partes debito conſtant ordine, vt domus; partes enim illius ita inter ſe cohærent, vt ordinem ſervent juxta regulas artis.

VIII. Unum proportione dicuntur, quæ proportione conſentiunt; proportione autem conſentiunt quæ vnum faciunt, vt duo equi vnam trahentes rhedam; vel quæ patiuntur vnum, vt vnus populus ſub rege; vel quæ poſſident vnum, vt ſocietas; vel quæ habent formam vnam; ſic duo Æthiopes ſunt quid vnum in nigredine; vel quæ tendunt ad diverſa eodem modo, vt oculus corporis & oculus mundi. Quemadmodum enim oculus corpus dirigit: ita providentia Dei quæ eſt oculus mundi, ipſum moderatur & regit; vel ad vnum diverſo modo, vt multa ſana.

IX. Hæc ſunt de vnitate pronuntiata. 1. *In vnitate indiviſibili nulla vnio*, quia vbi eſt ſimpliciſſima vnitas, ibi nulla eſt diviſibilitas. 2. *Major vnitas includit minorem, non viciſſim:* ſic quæ ſunt vnum numero, ſunt vnum ſpecie: quæ ſpecie vnum, vnum & genere. 3. *Quod non eſt vnum, illud nequidem eſt*; hinc diviſio eſt principium deſtructionis. 4. *Tantùm de vno quæque habent, quantùm de ente.*

Ex occaſione vnitatis individui, quæritur hîc, per quid conſtituatur individuum, ſeu vnde petatur individuatio.

## §. IV. *Vnde petenda ſit individuatio.*

I. OBSERVATIO. INDIVIDUATIO eſt determinatio ad individuum, ideóque effe-

ctus formalis ſingularitatis ; ſingularitas autem vltima affectio incommunicabilis, quæ naturæ ſpeciei vltimæ adjuncta, facit, vt res hæc ſit, & non alia. Dicitur differentia numerica, quia eſt id quo res eſt vna numero.

II. Observatio. Individuatio duplex; altera quoad ſe, altera quoad nos: à prima res habet vt ſecundùm ſe ſit hæc vna numero, non alia: à ſecunda, vt nobis talis demonſtretur; ideóque petitur à materia ſignata. Hæc eſt affecta certa accidentium complexione. Quanquam

III. Observatio. Materia ſignata triplici ſenſu ſumitur à Thomiſtis; vel vt eſt quanta & extenſa; vel vt eſt apta & proclivis ad quantitatem; vel vt eſt radix illius proclivitatis.

IV. Observatio. Res aliæ ſunt ſubſtantiæ compoſitæ ex materia & forma, vt homo: aliæ ſimplices, vt Deus & angelus. His poſitis.

Duplex eſt circa principium individuationis ſententia. Prima Thomiſtarum, qui docent cujuſque rei individuationis principium eſſe materiam ſignatam: vnde inferunt angelos, vtpote immateriales, non numero, ſed vna tantùm ſpecie inter ſe differre. Secunda, quæ communis eſt in Scholis, cujuſque rei entitatem ſeu differentiam individuantem principium individuationis agnoſcit.

I. Assertio. Rei cujuſque individuatio ſecundùm ſe & à priori, petitur ab eſſentia ipſius, vt tali, ſeu à differentia individuante.

Probatur 1. Ut ſe habet differentia ſpecifica ad genus, ita individuans ad ſpeciem: diffe-

rentia ſpecifica determinat genus ad talem ſpeciem: ergo differentia individuans ſpeciem determinat ad tale individuum.

Probatur 2. Poſita entitate rei, vt tali, intelligitur res ipſa individuari, aliis omnibus etiam præciſis: ergo fruſtra recurritur ad materiam ſignatam.

Probatur ant. Sicut res quælibet eſt ſubſtantia vel accidens per ſe formaliter, ita eſt hæc ſubſtantia vel hoc accidens per ſe formaliter, vt talis intelligitur.

II. Assertio. In compoſitis naturalibus materia & forma ſimul ſumptæ ſunt principium individuationis: ſeu compoſitum individuatur præciſè ex eo quòd eſt tale hoc compoſitum.

Probatur 1. Quod eſt principium eſſentiæ, eſt principium vnitatis, quia ab eo res habet vnitatem à quo habet eſſe: principium eſſentiæ in compoſitis naturalibus eſt materia & forma ſimul vnitæ: ergo ab iis ſimul vnitis indiviđuatio petitur.

Probatur 2. argumento negativo: Non ſola materia, non ſola forma eſt principium individuationis: ergo materia ſimul & forma. Non materia ſola; aliter enim idem eſſet numero individuum, cùm manet eadem numero materia ſucceſſivè ſub multis formis: v. g. cùm aër in aquam vertitur, rurſuſque ex aqua aër efficitur. Deinde forma potiùs rem individuaret, quàm materia, vtpote pars perfectior. Non forma, quia materia etiam ſeparata à forma, adhuc eſſet ſingularis.

Reſpondent Thomiſtæ non à materia ſola, ſed à materia ſignata rem individuari.

Contra ſic vrgeo: per materiam ſignatam vel intelligunt materiam, vt affectam certa com-

plexione accidentium, vel vt affectam quantitate, vel vt aptam ad quantitatem: nullo ex his modo individuat,

Non vt affecta complexione accidentium, quia complexio accidentium non tam facit individuationem ſecundùm ſe, quàm à poſteriori indicat.

Non vt affecta quantitate, tum quia licèt deſtruatur quantitas corporis Chriſti in Euchariſtia, manet tamen idem numero corpus Chriſti: tum quia eadem materia cum ſua quantitate divinitus ſervata poteſt vniri ſucceſſivè cum variis formis ſubſtantialibus, etiam diverſæ ſpeciei: quo in caſu non fiet idem numero individuum per eandem numero materiam ſignatam, quod tamen fieri deberet: tum quia ens per accidens non eſt principium individuationis, ſiquidem individuum eſt ens per ſe, materia autem quanta ens per accidens.

Non denique vt eſt apta ad quantitatem. Vel enim illa aptitudo eſt eſſentialis materiæ, vel accidentalis. Si primum, non poteſt magis individuare quàm nudè ſumpta: ſi ſecundum, multo minùs, quia ens per accidens non eſt principium individui, quod eſt ens per ſe.

Tria ex dictis colliguntur. Primum, Deus ex eſſentia ſua individuatur, quia ex conceptu ſuo id habet vt ſit incommunicabilis & indiviſibilis in inferiora. Secundum, angelus quoque individuatur ab eſſentia ſua, vt eſt tale ens. Certè eſſentia angeli vt ſic, habet multa ſub ſe inferiora, vnde non individuatur niſi ab hac tali eſſentia. Tertium, materia & forma individuantur à ſe ipſis. Vel enim forma individuatur à materia,

materia, vel materia à forma, vel vtraque à toto vel à ſe ipſis. Non individuatur à materia, quia anima divi Petri, v. g. etiam nunc à corpore ſejuncta vna numero eſt. Deinde anima rationalis, vt non habet eſſe à materia, ita nec rationem individuantem indidem trahit. Non materia à forma, quia formâ ſublatâ, manet adhuc eadem numero materia. Non vtraque à toto, quia totum eſt quid poſterius cùm materia, tum forma.

Idem dixeris de accidente. Ideo enim v. g. calor in manu mea exiſtens, eſt hic numero calor, quia habet hanc numero eſſentiam. Et verò à ſubjecto individuari non poteſt, quia idem numero ſubjectum multis accidentibus commune eſt. Sic idem oculus multas numero imagines ab eodem ſubjecto ad ſe tranſmiſſas recipit.

III. Assertio. Individuatio à poſteriori & quoad nos in compoſitis naturalibus petitur à materia, certa accidentium complexione affecta.

Probatur: quia differentia individuans per ſe non incurrit in ſenſus, ſed per certam complexionem accidentium, quæ talis eſt in vno individuo, qualis eſt in altero; adeóque eſt index ſingularitatis, & cauſa ejuſdem cognoſcendæ quoad nos; & ita conciliantur vtcunque ambæ ſententiæ, ipſeque Ariſtoteles facile explicatur, dum ait 5. Metaph. ea eſſe vnum numero, quorum vna eſt materia; & lib. 12. quæcunque multa ſunt numero, habere materiam; & lib 7. tex. 29. aliis 34. Calliam & Socratem differre propter materiam. Deinde eſto, aliter cenſuerit

Philoſophus, in ſpiritualibus ſubſtantiis homini, nonniſi materialia cognoſcenti, fides non eſt omnino habenda.

## §. V. *Diluuntur objecta.*

Objicies 1. Ideo Petrus eſt hoc numero individuum, quia hanc habet numero materiam: ergo individuatio petitur à materia, non à rei ipſius entitate.

Reſp. diſt. ant. ideo Petrus eſt hoc numero individuum, quia hanc habet numero materiam, quoad nos, à poſteriori & ſenſibiliter, concedo: quoad ſe & quaſi à priori, nego ant. ergo individuatio petitur à materia, diſt. conſ. quoad nos, à poſteriori & ſenſibiliter, concedo conſ. quoad ſe & velut à priori, nego conſ.

Reſp. 2. Nego ant. ſi materiam tanquam cauſam adæquatam ſumas. Licèt enim non negem in entibus materialibus individuationem ab vnitate materiæ ex parte peti, non tamen petitur tota à ſola materia, ſed à materia & forma ſimul vnitis. Ideo enim Paulus dicitur hoc numero individuum ſecundùm ſe, quòd ſit hoc compoſitum ex hac materia, & hac forma.

Inſtabilis 1. à quantite habet individuum vt ſit demonſtrabile, ex Ariſtotele: ergo quantitas eſt cauſa individuationis illius.

Reſp. diſt. conſ. eſt cauſa individuationis quoad nos & ſenſibiliter, concedo: quoad ſe & abſolutè, nego. Itaque quantitas eſt quidem nobis cauſa cognoſcendi individui, quatenus ipſum ſenſibus noſtris ingerit cum qualitatibus tactibilibus, ſed non eſt cauſa illius eſſendi.

Porrò de differentia individuante perinde philoſophari nos decet, atque de differentia ſpecifica, ſervata tamen proportione. Nam 1. vt differentia ſpecifica trahit genus ad ſpeciem, ita differentia numerica trahit naturam ſpecificam ad tale individuum. 2. Sicut per differentiam ſpecificam formaliter inter ſe differunt, quæ genere conveniunt; ita per differentiam individuantem differunt inter ſe numero, quæ ſpecie conveniunt. 3. Sicut differentia ſpecifica eſt radix certarum proprietatum quæ indidem fluunt, putà rationalitas riſibilitatis; ita differentia individualis eſt principium ſuarum proprietatum & accidentium, quibus res à poſteriori individuatur. 4. Sicut differentia ſpecifica nihil addit reale phyſicum generi, quia ab eo tantùm virtualiter diſtinguitur; ita differentia individuans nihil reale phyſicum addit ſpeciei primò intentionaliter ſumptæ, quia diſtinguitur tantùm virtualiter ab entitate rei vt modus metaphyſicus.

Objicies 1. Angelum Michaëlem ab alio, putà à Raphaele, diſtinguere non poſſumus, quia caret materia quanta: ergo materia quanta eſt principium diſtinctionis numericæ.

Reſp. diſtinguo ant. Non poſſumus diſtinguere quoad nos & ſenſibiliter, concedo: quoad ſe & abſolutè, nego. Quamvis enim angelum vnum ab alio diſtinguere non poſſimus, quippe qui materialia dignoſcamus, tamen angeli ſe mutuò dignoſcunt, vt ſunt talia individua ſpiritualia & vniuſmodi.

Inſtabis: Ariſtoteles numerum intelligentiarum ex numero cælorum repetit: ergo angeli individuantur à materia.

Reſp. nego conſ. quia argumentum probat, tantùm numero cælorum angelorum numerum ab Ariſtotele definitum fuiſſe, quòd putarit intelligentias propter motum cælorum duntaxat extitiſſe, quod falſum eſt. Deinde argumentum probat tantùm ſenſibiliter & quoad nos, angelos à motu cælorum individuari.

## APPENDIX.

### *De multo & multitudine.*

I. UNI opponitur multum, multitudo vnitati; hinc

II. Multum eſt quod eſt aut actu diſtinctum & diviſum, vt vnitates in numero: aut potentiâ tantùm, vt partes in continuo homogeneo, quæ potentiâ quidem, non actu diſtinctæ aut diviſæ ſunt.

III. Multitudo eſt diſtinctionis & diviſionis terminus ſeu collectio vnitatum: vnde multitudo includit diſtinctionem aut diviſionem & collectionem.

IV. Multitudo tot modis dicitur, quot vnitas; hinc multum aliud genere, aliud ſpecie, aliud proportione.

V. Multitudo opponitur vnitati, ex 4. Metaph. c. 2. multis modis, nempe quaſi privativè, contrariè & relativè. 1. Quaſi privativè opponitur vnitati quam tollit, & quæ ſtaret, ſublata diviſione: ſic multitudo partium diviſarum corporis opponitur negativè vnitati corporis, vel potiùs quaſi privativè, quia non eſt mera negatio, ſed quaſi privatio vnitatis totalitatis. Porrò multitudo ſpecifica ratione vnitatum diviſarum quas continet,

eſt quaſi forma; vnitas illius formæ privatio, vtpote indiviſio ſeu negatio entitatum diviſarum.

2. Relativè, vel vt totum partibus, ſi confertur cum vnitatibus, ex quibus componitur, vt exercitus ad milites: vel ſubjectum proprietati, ſi confertur cum vnitate, per quam dicitur vnica multitudo.

3. Contrariè quodammodo, ſi ratione entitatum diviſarum ſpectatur, & vnitas ratione entitatis indiviſæ in ſe, & diviſæ ab aliis: quia ſic maximè diſtant ſub genere analogo, nempe ſub ente quod dividitur in vnum & multa.

VI. Cauſa efficiens multitudinis eſt principium dividens & ordinans vnitates. Sic Deus eſt cauſa multitudinis rerum quæ ſunt in mundo. Finis verò creaturarum in orbe eſt bonitas divina iiſdem communicata, quæ vtpote infinita non potuit niſi multiplici creaturarum genere repræſentari.

VII. Multitudo prior eſt & poſterior vnitate, ſed diverſo reſpectu. Prior quidem eſt vnitate, ex qua componitur ſecundùm ſenſum & quoad nos, ex 10. Metaphyſ. tex. 9. quia multitudo collecta magis ferit ſenſum, quàm pars quælibet illius. Sed poſterior eſt vnitatibus ex quibus componitur tanquam materia, & ipſa vnitate cui opponitur. Hinc multa pronunciata de vnitate & multitudine. 1. *Vnitas abſolutè prior eſt multitudine*, quia pars eſt prior ſuo toto. 2. *Aliquid datur magis vnum quàm aliud*: nam vnum vnitate individua magis eſt vnum, quàm quod vnum eſt vnitate dividua. 3. *Magis vnum dicitur, quod ſimplicius.* 4. *Multa ex quibus aliquid componitur, aut miſcetur, ſe invicem obſcurant.* Ita Ariſtoteles de ſenſu & ſenſili: *Multi-*

*tudo*, inquit, *parit confuſionem.* 5. *Multitudo ingens non poteſt bene ordinari niſi per divinam potentiam,* 7. Metaph. c. 4. 6. *In paucis quàm in multis facilius errare*, 7. Top. 7. *Multa agere rectè, aut multa ſæpe difficile eſt*, 2. de Cæl. tex. 63. 8. *Vt unitas eſt origo ſimilitudinis in qualitate, æqualitatis in quantitate, identitatis in ſubſtantia: ita multitudo diſſimilitudinis, inæqualitatis & diverſitatis.* Multitudinem, inquit Philoſophus, conſequitur diviſum, diſſimile & inæquale.

## §. VI. *De vero & veritate.*

I. Veritas alia eſt ſigni, alia rei. Veritas ſigni convenit vel conceptibus, vel vocibus. Ut convenit conceptibus, dicitur veritas in cognoſcendo, quæ eſt conformitas cognitionis cum objecto. Ut convenit vocibus, dicitur veritas in ſignificando. De vtraque in Logica diſputavimus Tom. 2. par. 5. diſp. 2. a. 1. §. 1. Veritas rei ſive in eſſendo quæ & tranſcendentalis dicitur, eſt ea quâ res dicitur vera in ſe, ideóque proprietas entis, de qua hîc agitur.

II. Veritas rei ſumitur vel abſolutè, vel reſpectivè. Abſolutè ſumpta eſt ipſa rei entitas, prout habet negationem fictionis & apparentiæ: ſic verum aurum dicimus & non fictum, quod non eſt tantùm apparens, ſed tale in ſe eſt quale eſſe natura auri exigit.

III. Relativè ſumpta eſt ipſa rei entitas, quatenus conformis eſt principiis ſuis aut quaſi principiis: vnde relatio quædam eſt conformi-

tatis rei cum ſuis principiis, & principiorum cum re; quia conformitas rei cum ſuis principiis eſt id quo certiſſime exploratur, an ens ſit verum: v. g. dubitas, an Petrus ſit verus homo, an monſtri ſimile quidpiam: expende ipſum penes conformitatem ad humanæ naturæ principia, vtique verum hominem deprehendes, ſi conformem eſſe noveris; falſum autem, ſi difformem. Deinde ſcientia inquirit veritatem; eſt enim cognitio veritatis, & quidem objectivæ: quid autem eſt veritas objectiva, niſi conformitas rei cum principiis ſuis, quâ ſemel inventâ, quieſcit animus, quia putat ſe rei veritatem apprehendiſſe, vbi illius principia perſpexit. Denique veritas rei eſt attributum quod convenit rebus ſecundùm eſſentiam, ſeu ſecundùm principia eſſentialia ſumptis, & ab iiſdem immediatè oritur: ac proinde prior eſt aliquomodo cognitione quam Deus habet de rebus. Certè Petrus non ideo eſt homo, quia Deus novit Petrum eſſe hominem; ſed ideo Deus novit, quia homo eſt: & ideo eſt homo, quia eſt animal rationale.

IV. Aliis veritas objectiva reſpectiva, eſt conformitas rei cum intellectu vero, præſertim divino. Ita D. Thomas: res, inquit, dicitur vera ſecundùm ordinem ad intellectum à quo pendet; hinc res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum noſtrum. Domus enim vera dicitur, quæ aſſequitur ſimilitudinem formæ quæ eſt in mente artificis. Similiter res naturales dicuntur eſſe veræ ſecundùm quod aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum quæ ſunt in mente divina. Dicitur enim verus lapis, quia

aſſequitur propriam lapidis naturam, juxta præceptionem intellectus divini. Vides ex mente D. Thomæ veritatem rei objectivam eſſe quandam relationem conformitatis rei ipſius ad intellectum verè cognoſcentem: vnde & res & intellectus ſuam veritatem habent; res quidem, quatenus eſt repræſentabilis per veram cognitionem; intellectus autem, prout rem intelligit per cognitionem ipſi conformem. Prima dicitur veritas rei; ſecunda, imaginis: prima, veritas objectiva; ſecunda, formalis: prima, veritas in eſſendo; ſecunda, veritas in cognoſcendo: prima, rebus ipſis intrinſeca eſt, vtpote nativa cujuſque entis affectio; ſecunda, extrinſeca, ſicut ipſa cognitio quæ dicitur vera formaliter.

Dixi per ordinem ad intellectum, præſertim divinum, rem dici veram, quia eſt primum verum quod reſpicit veritas entis; poteſt tamen reſpicere intellectum creatum, ſed conſequenter & quaſi ſecundariò, quatenus per eum res vera cognoſcitur. Porrò dicitur veritas rei eſſe conformitas cum intellectu divino, quia tales ſunt res ipſæ, qualis eſt cognitio Dei, vel ratione menſurationis, quia intellectus divinus eſt menſura veritatis rerum. Quidquid enim verum eſt, reſpectum involvit ad intellectum Dei, vel quòd ipſi Dei cognitioni reſpondeat, vel quòd ab idea quæ eſt in mente divina, pendeat. Unde pronuntiatum Alexandri ab Ales, 2. Met. *Verum omne ex hoc verum eſt, quia aliquando aſſequitur primum verum.* Quanquam ſi ſtrictè loquimur, intellectus divinus non eſt propriè menſura veritatis tranſcendentalis quæ convenit enti vt ſic,

& rebus quoad eſſentiam ſumptis & merè poſſibilibus: quia menſura debet eſſe prior natura, quàm menſuratum, quod ei æquari debet; cognitio autem divina non eſt prior natura, quàm res quoad eſſentiam ſumptæ: nec ideo res ſunt poſſibiles, quia Deus eas cognoſcit; ſed potiùs ideo eas Deus cognoſcit, quia ſunt talis eſſentiæ & poſſibiles: quare cùm dicitur ſcientia Dei eſſe cauſa rerum, & quidem exemplaris, non eſt cauſa exemplaris ſeu ars reſpectu eſſentiæ & poſſibilitatis earum tranſcendentaliter ſumptæ, ſed eſt tantùm cauſa & idea reſpectu earum productionis & exiſtentiæ. Itaque juxta primam ſententiam non dicitur propriè menſura veritatis tranſcendentalis, ſed minùs propriè, quomodo imago, vel ſtatua dicitur aliquando menſura hominis quem repræſentat.

Colliges ex dictis veritatem tranſcendentalem non eſſe denominationem extrinſecam ab intellectu cognoſcente petitam: quia quod eſt enti extrinſecum, non poteſt eſſe illius proprietas, quæ debet ab eo tanquam à principio manare: at denominatio petita ab intellectu cognoſcente eſt enti extrinſeca, vt patet.

Quæres 1. in quo diſtinguatur intelligibilitas rei à veritate tranſcendentali. Reſp. in hoc à quibuſdam diſtingui, quòd intelligibilitas vt ſic dicat ordinem ad cognitionem, quatenus præſcindit à vera aut falſa; tranſcendentalis autem veritas ad cognitionem veram, præſertim divinam, reſpiciat, vtpote veram omnium regulam. Videtur tamen D. Thomas confundere cognoſcibilitatem cum veritate tranſcendentali, 1. p. q. 16. a. 2. Nec refert quòd cognoſcibilitas videa-

tur convenire non enti. Nam, vt ait D. Thomas, non ens non habet vnde cognoſcatur; ſed cognoſcitur in quantum intellectus facit illud cognoſcibile. Senſus eſt, cognoſcibilitatem per ſe non convenire non enti, quia eſſe cognoſcibile eſt proprietas entis; ſed convenire duntaxat per aliud, nempe ex ſola vi intellectûs, qui ex cognitione entis ad cognitionem non entis oppoſiti aſſilire poteſt. Porrò cognoſcibilitas ſeu intelligibilitas ſe habet ad veritatem ſicut viſibilitas corporea ad colorem, aut appetibilitas ad bonum.

Quæres 2. Quænam ſint magis intelligibilia, particularia, an vniverſalia; ſimplicia, an compoſita.

Reſp. 1. vniverſalia ſecundùm ſe eſſe magis intelligibilia cognitione diſtincta; quoad nos autem eſſe minùs intelligibilia. Probatur prima pars; quia imagis vniverſalia à materia abſtrahunt: ergo ſecundùm ſe ſunt magis intelligibitia. Probatur ſecunda: quia particularia magis pendent à ſenſu; quæ autem pendent à ſenſu, notiora ſunt quoad nos.

Reſp. 2. ſimplicia per ſe eſſe intelligibiliora, quàm compoſita: noſtri autem reſpectu eſſe minùs intelligibilia cognitione diſtincta. Ratio eſt, quòd debeant ſimplicia, vtpote componentia, diſtinctè ante cognoſci quàm compoſita. At vniverſalia & compoſita notiora ſunt cognitione confuſa quàm particularia & ſimplicia, quia vniverſalia dum confusè cognoſcuntur, cognoſcuntur vt tota quædam: at tota priùs confusè à nobis cognoſcuntur quàm partes Et verò dum eminus quidpiam intuemur, priùs gradus vniverſa-

les detegimus quàm particulares ; hinc infantes, vt docet Philoſophus, ſolent primùm omnes feminas vocare matres ſuas, perinde ac viros patres ſuos. Poſtea verò rationis vſu creſcente & experientia ſolent matrem primum à cæteris feminis, patrem deinde à viris aliis ſecernere. De totis, ratio in promptu eſt ; omne enim totum majus eſt partibus adeóque prius innoteſcit, quàm partes ex quibus componitur.

v. De veritate hæc ſunt pronuntiata. 1. *Veritas vna tantùm eſt.* De veritate eſſentiali id certum, quia vnius rei vna eſt tantùm eſſentia. De veritate cognitionis probatur : veritas cognitionis eſt conformitas cum rebus ; res verò omnes ſunt veræ eſſentialiter per convenientiam cum principiis ſuis, aut cum intellectu divino : ergo quàm neceſſaria eſt & immutabilis conformitas rerum & principiorum ſeu intellectus divini, tam neceſſaria eſt & immutabilis conformitas mentis & rerum in veritate cognitionis ; hæc enim ſe mutuò reſpiciunt. Hinc falſum eſt aliquid falſum eſſe in Theologia, quod ſit verum in Philoſophia, & viciſſim, quia veritas cognitionis Theologicæ eſt adæquatio notionum mentis cum rebus revelatis, ſicut veritas philoſophica eſt adæquatio notionum cum rebus lumine naturæ notis : at nulla eſt hîc oppoſitio. Certè Deus æquè verax eſt in creatione atque in revelatione, cùm ſe ipſum abnegare non poſſit. 2. *Veritas eſt indiviſibilis*, quia ex natura ſua eſt perfecta & omnimoda conformitas cum objecto, & objecti cum idea cui congruit. Porrò vt ſit veritas in conceptu, non neceſſe eſt id omne quod eſt in re, à nobis concipi ; ſed ſatis eſt, id quod

concipitur, rei ineſſe, quia veritas conceptus præcisè conſiſtit in conformatione ejus quod concipitur, cum objecto: ergo licèt plura alia inſint objecto, non ideo conceptus præſcindens eſt falſus, ſed verus, ex quo pronuntiatum in Philoſophia: *Abſtrahentium non eſt mendacium.* 3. *Omne quod eſt in eſſentia*, *verum eſt*, quia vnitas rei & eſſentia idem ſunt.

## §. VII. *De falſo & falſitate.*

1. NON datur propriè falſitas in rebus tranſcendentalis & abſoluta. Probatur: quia res quælibet habet veritatem tranſcendentalem; eo quippe modo eſt vera, quo eſt ens: ergo ſi eſt ens reale, eſt quoque vera veritate entis, adeóque non poteſt habere falſitatem tranſcendentalem.

Probatur 2. Ut veritas, ſic falſitas ſumi debet per ordinem ad intellectum vel ſpeculativum, vel practicum: nulla eſt falſitas per ordinem ad intellectum ſpeculativum vel practicum: ergo nulla eſt falſitas propriè dicta in rebus. Minor probatur: Non datur falſitas in ordine ad intellectum ſpeculativum divinum & creatum.

Non ad divinum ſpeculativè cognoſcentem, quia cognitio quâ res ſpeculativè cognoſcit, eſt veriſſima & rebus perfectè adæquata.

Non per ordinem ad intellectum creatum ſpeculativum: nam ſi res propriè & intrinſecè denominarentur falſæ, vel ex difformitate aptitudinali, vel ex virtuali denominarentur falſæ: at ex neutra falſæ propriè denominantur. Non ex aptitudinali, quia res quælibet de ſe apta eſt cognoſci

ſicuti eſt, & generare proprium & adæquatum ſui conceptum. Non ex actuali, quia ſi res falsò cognita ab intellectu creato, haberet propriam & intrinſecam falſitatem, ex eo quòd difformis ſit toti intellectui; nulla vtique res eſſet, quæ non poſſet falsò denominari, quia nulla eſt quæ non poſſet falsò cognoſci: & ita eſſet etiam in Deo falſitas, quo nihil magis impium. Deinde res vel diceretur falſa per ordinem ad conceptum ſimplicem, vel per ordinem ad conceptum compoſitum. Non primum, quia nulla omnino eſt falſitas in conceptu ſimplici, vt oſtendimus in Logica: non ſecundum, quia veritas formalis, quæ ex compoſitione & diviſione conceptuum oritur, non eſt in rebus, multò minùs falſitas.

Non per ordinem ad intellectum practicum increatum. Vel enim res ſunt factæ à Deo, vel non: res non facta à Deo aut eſt Deus ipſe, adeóque res ſummè bona, quæ eſt ſupra menſuram intellectus practici; aut res ſummè mala, vt culpa, quia ſicut à Deo non fit, ita nec ideam in Deo habet propriam, ſed eſt in Deo idea bonitatis à qua diſſentit culpa: vnde eſt vera culpa; hinc cum culpa deceptio dicitur aut falſitas, vtique ita dicitur in ratione boni potiùs quàm in ratione mali aut culpæ, quia omne peccatum habet aliquam rationem boni apparentis, ſub qua falſum & larvatum bonum vocari ſolet, & quidem cum reſpectu ad hominem quem decipit. Quæ autem à Deo fiunt, ſemper ejus ideæ & arti conſentiunt. Quin ètiam ipſa naturæ monſtra practicæ Dei ſcientiæ congruunt, quia ſicut vult cum cauſis ſecundis nullatenus impeditis

influere ad effectus integros, ita vult cum iiſdem impeditis influere in monſtrorum productionem. Monſtrum à ſolerti pictore ex induſtria depictum non diſſonat ejus arti: nec monſtra naturæ falſi quidpiam habent reſpectu Dei artificis, quia ea ſciens prudenſque fabricatur, prout entia ſunt.

Non denique per ordinem ad intellectum creatum practicum. Nam primò res naturales non poſſunt dici falſæ ſub hoc reſpectu, quia ab intellectu creato, tanquam ab artifice non pendent: vnde monſtris naturæ nulla ineſt falſitas propria, ſed imperfectio & defectus. Deinde quoad res artificiales ſpectat, quarum eſt cauſa intellectus creatus, & quæ ab arte diſcordant, nulla quoque propriè dicta falſitas ineſt. Vel enim ineſſet per reſpectum ad artem à qua procedit, vel ad ideas perfectiores aliorum artificum. Non primum, quia res non diſcrepat ab idea à qua procedit. Non ſecundum, quia non comparatur ad ideas perfectiores aliorum artificum tanquam ad principium practicum, ſed ad cognitionem quaſi ſpeculativam; & ita non habet propriam falſitatem. Certè ſi quis artifex geminam ideam habeat perfecti & imperfecti artificii, prudenſque juxta ideam imperfectam operetur, vtique non errat vt artifex, nec opus ejus falſum dici poteſt. At inquies, quid ſi artefactum prodeat ideæ quæ eſt in artifice, vt actu operante, diſſentaneum, nonne falſum propriè dicetur? Nequaquam, quia talis defectus non ex falſitate intellectus, cujus idea eſt perfecta, ſed ex imbecillitate potentiæ executricis, alióve impedimento orietur: quare ad ſummum dicetur illud

artificium incongruum aut malum in genere artificii.

Idem dixeris de operibus moralibus, quæ regulis prudentiæ non conſonant, & quæ non dicuntur falſa practicè, niſi per ordinem ad judicium intellectus componentis aut dividentis, à quo extrinſecè falſa appellantur; comparata autem ad dictamen per quod vitari deberent, tunc prava dicuntur, non falſa, quia illud debitum operandi ex dictamine prudentiæ ad honeſtatem morum pertinet. Deinde quia ejuſmodi opera, quatenus realiter fiunt, non ſunt objectum illius dictaminis, nec ab illo dimanant. Hinc Auguſtini pronuntiatum lib. 2. Solil. c. 8. ſi verum eſſe id quod eſt, dixerit, falſum non eſſe vſpiam, concludetur. Hoc argumentum eſt Suaris Gran. in Metaph. diſp. 9. ſect. 1. Dixi rebus non ineſſe propriam falſitatem. Nam

11. Rebus falſitas quædam metaphorica dici poteſt ineſſe per quandam analogiam, putà falſitas quædam cauſalis, quæ nihil aliud eſt quàm quælibet rei affectio, à qua res habet, vt intellectui erroribus obnoxio ſui conceptum ingeneret, vnde occaſionem ſumit errandi: ſic aurichalcum dicitur falſum, quia propter aliquam cum auro ſimilitudinem à multis concipitur tanquam aurum: quæ falſitas cauſalis eſt, non formalis, nec impedit quominus aurichalcum ſit verum aurum. De hac falſitatis ſpecie loquitur Ariſtoteles 5. Metaph. c. 29. *Falſa*, inquit, *dicuntur quæ natura ſua apta ſunt vt videantur eſſe aut quæ non ſunt, aut qualia non ſunt, velut pictura & ſomnia*. 2. Dicitur eſſe falſum quod eſt objectum falſæ opinationis, ſic idolum dicitur à D. Paulo

*mendacium* eſſe & falſus deus, quia eſt obje-ctum falſæ opinionis, quòd idolum ſit deus. Denique res dicitur falſa, cùm ideæ non adæquatur: ſed tunc hæc denominatio fit, quatenus habet aliquid de non ente, vt obſervat idem Suares.

## §. VIII. *De bonitate.*

I. DE bonitate & malitia fusè egimus Tom. I. Eth. vniverſ. p. I. diſp. I. a. I. & de multiplici vtriuſque ſpecie: quare hîc de bonitate tranſcendentali ſtrictim ago.

II. Bonitas tranſcendentalis ſumitur abſolutè vel relativè. Abſolutè ſumpta, eſt ipſa rei perfectio ſecundùm ſe, ſeu res quatenus habet plenitudinem rerum omnium quæ adeſſe debent. Probatur: quia ſic bene explicantur omnia quæ ad bonitatem entis abſolutam pertinent. Cùm enim quodlibet ens habeat eſſentiam ſuam, habet quoque & perfectionem. Quo ſenſu ipſe dæmon eſt bonus bonitate tranſcendentali, quamvis malus ſit malitia morali.

III. Bonitas relativè ſumpta eſt vis perfectiva entis ſeu convenientia perfectionis debitæ. Bonum eſt idem ac perfectivum ſeu conveniens. Convenientia dicitur πρός τι, *ad aliquid*, nempe ad ſubjectum cui convenit, & ad bonum cujus perfectivum eſt, vel vt alii volunt, ad divinam voluntatem: hinc bonitas relativa definitur, perfectionis debitæ convenientia, aut rei conformitas cum voluntate divina. Conciliabis vtcunque vtramque ſententiam, ſi definias bonitatem relativam, perfectionis debitæ convenientiam, voluntati divinæ conformem.

1V. Bonitas, quam definivimus, eſt verè proprietas entis. Probatur, quia convenit ſoli enti & omni; ſoli quidem, quia ſolum ens eſt perfectum & conveniens, nulla eſt enim non entis perfectio & integritas. Omni, ſiquidem bonum tot modis dicitur, quot ipſum ens, nec vllum ens eſt, quod non ſit aliquatenus perfectum, & alteri conveniens; hinc Geneſ. 1. de ſingulis Dei operibus dicitur: *Et vidit Deus quòd eſſet bonum.* De omnibus verò ſubditur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Deinde omne ens habet ex ſe perfectionem, vel infinitam ſimpliciter, vt Deus, vel in certo tantùm genere, eamque completam, vt homo; vel incompletam, vt materia & forma quæ ad totum ordinantur. Si primum, Deus eſt ſummum bonum rebus creatis maximè conveniens, & vt cauſa efficiens, à qua omnia pendent tanquam à principio, & vt terminus ac finis ad quem omnia tendunt, & vt objectum beatitudinis reſpectu naturæ intelligentis. Quidquod ejuſdem eſſentia bona eſt perſonis quibus communis eſt, & quælibet perſona eſt alteri bona? vt enim bonum eſt Patri quòd Filium ſibi conſubſtantialem generet; ita Filio bonum eſt quòd generetur à Patre: & ſicut Patri & Filio bonum eſt quòd producant Spiritum ſanctum, ita bonum eſt Spiritui ſancto, quòd ſic à Patre & Filio procedat; hinc circuminceſſio illa mirabilis, quâ fit vt quælibet perſona poſſideat quidquid eſt proprium alterius, quatenus illi ſummè bonum eſt, quod ſic ſe ad illam perſonam habeat. Si ſecundum, id eſt, ſi in certo tantùm genere perfectionem habet, eamque completam, vtique congruit ſuo

fini quà tale ens, & cauſæ ſuæ efficienti: quo ſenſu creaturæ, purà cæli, elementa, animalia dicuntur convenire Deo, quatenus ipſum decent, ejuſque ſapientiæ & bonitati congruunt: quo ſenſu cæli dicuntur opus dignum Deo. Sin autem perfectionem incompletam tantùm habeat, vt materia & forma, cùm ordinetur ex natura ſua ad complendum aliud, eſt bonum illi à quo differt aliquatenus, vt pars à toto, ipſumque totum partibus convenit; hinc pars appetit non tantùm conſervationem ſui, ſed etiam conſervationem totius, & quidem magis quàm ſuam.

v. Prima partitio boni fit in bonum ſummum & independens, & in participatum & dependens. Primum eſt ſolus Deus qui dicitur bonus per eſſentiam, cauſa & origo, exemplar & idea omnis boni, ideóque eſt menſura omnis boni creati: bonum participatum eſt quod eſt à Deo per dependentiam, & dicitur bonum ſecundùm quid. Alias partitiones boni habes in Æthica loco jam citato.

vi. Circa bonum varia ſunt pronuntiata. 1. *Prima bonitas eſt menſura omnis bonitatis:* quare ad hanc menſuram exigi debet quidquid pro bono habetur. Unde fluxit alterum D. Dionyſii pronuntiatum: *Quantùm res habet boni, tantùm habet & Dei.* Hinc etiam defectus à prima bonitate eſt malitia, quæ proinde non eſt aliquid poſitivum, nec à Deo eſſe poteſt, vtpote ſummo & indefectibili bono. Quin etiam Deus, vt ſummum bonum, eſt menſura malitiæ, quia idem eſt menſura recti & obliqui. 2. *Bonum per eſſentiam potius eſt bono per parti-*

*cipationem.* 4. *Bona ea præſtant propter quæ alia ſunt in pretio.* 5. *Bonum neceſſarium præſtat non neceſſario, permanens tranſeunti, verum apparenti, honeſtum jucundo & vtili.* De bono tantùm, jam de malo.

## §. IX. *De malo & malitia.*

I. CUM bono malum oppoſitum ſit, bonum autem ſit proprietas entis, quatenus ens eſt; vtique malum non poteſt eſſe proprietas entis, quatenus ens eſt, ſed ipſius non entis; ſi tamen non ens habet proprietates, nec enim non entis qualitas eſt. Hinc

II. Malum abſolutè ſumptum, formaliter eſt carentia perfectionis debitæ; relativè autem ſpectatum, eſt carentia convenientiæ. Hæc eſt doctrina SS. Patrum & Divi Thomæ, qui rationem formalem malitiæ in privatione conſtituunt. D. Dionyſii qui cap. 4. de div. Nom. ait *malum non eſſe exiſtens, neque eſſe aliud, ſed eſſe perfectionis bonique proprii & accommodati privationem.* D. Gregorii Niſſeni hom. 2. in Cant. *Non alia mali ſubſtantia quàm ſeparatio à bono.* Aug. lib. 11. de Civ. c. 9. *Mali nulla natura eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit.* D. Thomæ 1. p. q. 5. a. 3. ad 2. qui ait nullum ens dici malum, in quantum eſt ens, ſed in quantum caret quodam eſſe. Vide Ethicæ vniverſ. partem 1. diſp. 1. a. 2. vbi hanc quæſtionem ſubtiliùs agitavimus, variaſque mali partitiones attulimus.

III. Ex hac doctrina ſequitur 1. rationem mali non poſſe à nobis cognoſci, niſi per ordi-

nem ad bonum, cujus eſt privatio: quia privatio non cognoſcitur niſi per habitudinem ad formam quam excludit. 2. eò majus aut minus malum videri, quò bonum cui opponitur, majus eſt aut minus. De proprietatibus entis tantùm, jam de illius partitione in ſuas ſpecies.

### ARTICULUS II.

## *De proprietatibus entis vnitis ſecundariis.*

AFFECTIONES entis vnitæ ſecundariæ quatuor numerantur ab Alſtedio; numerus, ordo, perfectio & pulcritudo, quæ cum ente perinde convertuntur atque primariæ: nullum quippe ens eſt, quod non ſit numerabile, ordinatum, perfectum in ſe & pulcrum, licèt comparatè quædam innumerabilia, confuſa, imperfecta & deformia dici queant. Harum affectionum maximè notiones communes breviſſimè explico.

### §. I. *De numero tranſcendentali.*

DIXI tranſcendentali, vt diſtinguatur à purè accidentali, qui eſt quantitas diſcreta.

I. Numerus eſt modus entis, quo ens numerabile eſſe intelligitur.

II. Numerus duplex; abſolutus & relativus. Abſolutus eſt quo res numerabilis in ſe ipſa modificatur; vt Deus eſt vnus numero. Relativus, quo res cum aliis collata modificatur; vt tres ſunt perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis.

III. De vtroque comparato hoc eſto pronuntiatum. Numerus tranſcendentalis abſolutus eſt

prior relativo. Ratio eſt, quia reſpectivum fundatur in abſoluto: ſic Trinitas perſonarum fundatur in vnitate eſſentiæ.

IV. Plura de numero accidentali ſcire ſi aves, vide tomum I. Logicæ part. 3. diſp. 3. a. 1. §. 3.

## §. II. *De ordine.*

EX rerum multitudine & vnitate naſcitur ordo, cujus hîc naturam & ſpecies breviter inquiro.

I. Ordo eſt debita plurium diſpoſitio ſecundùm prius & poſterius. Dicitur *diſpoſitio*, id eſt, habitudo rerum ad invicem. *Debita*, id eſt, naturalis ſeu conveniens rebus ipſis, juxta pronuntum ipſius Philoſophi, 8. Phyſic. tex. 15. *Ordinis cauſa omnibus eſt natura.* vnde inordinatio eſt præter naturam. *Plurium*, quia vbi ordo, ibi relatio; vbi relatio, ibi pluralitas terminorum: igitur vbicunque eſt ordo, ibi plura ſunt. Hinc pronuntiatum: *Vbi ordo, ibi multitudo*, putà rei, ſi multitudo ſit realis; vel rationis, ſi ſit tantùm per mentem, vt cùm ordinamus attributa Dei per mentem. Denique *ſecundùm aliquid prius & poſterius*, quia plurium diſpoſitio fit comparativè ad aliquod primum principium, ſub quo omnia ordinari debent; ita vt vnum principio illi propius ſit, adeóque prius, & alterum remotius, itáque poſterius, juxta illud pronunt. Metaphy. 5. tex. 16. *Ordinata ſunt, quæ ab vno aliquo ſervatâ proportione diſtant.* Hinc

II. Tria ad ordinem requiruntur; diſtinctio plurium; deinde diſtinctorum connexio per comparationem ad aliquod primum; denique prio-

ritas & poſterioritas: hæc enim tria faciunt multitudinem adunatam.

III. Ordo tot modis dicitur, quot prius & poſterius. Rurſus in quolibet modo eſt duplex ordo, activus & paſſivus. Activus eſt ratio ordinis in mente, quæ ordinatio appellatur: quo ſenſu lex ordinatio dicitur. Paſſivus eſt diſpoſitio rebus ordinatis inhærens: talis eſt diſpoſitio militum ſub duce. De vtroque hoc placitum eſto: *Ordo in mente, eſt cauſa ordinis in rebus.*

IV. Ordo activus alius ſucceſſivus, alius non ſucceſſivus. Primus fit cum ſucceſſione, talis eſt ordo ædificii in mente architecti: ſecundus quo Deus omnia ab æterno præordinat. Primus ei non abſimilis, quo characteres pinguntur in charta: ſecundus eum refert, quo Typographus characteres ſecundùm ordinem prioris & poſterioris in eadem pagina diſponit.

V. Ordo rebus inhærens dividitur in abſolutum & reſpectivum. Primus eſt, quo res in ſe ipſa ordinata eſt, vt homo in ſe ſpectatus. Secundus, quo vnum ens cum alio ente ita diſponitur, vt nihil confuſum præpoſterumque ſit.

VI. Effectus ordinis eſt perfectio, pulcritudo & decentia quædam: *Omne quippe bene ordinatum pulcrum eſt, quia* σύμμετρον, 3. Topic.

VII. Circa ordinem multa ſunt pronunciata. 1. *Quæ ordinantur debent eſſe finita*, quia πᾶν ἄπειρον ἄτακτον, *Omne infinitum confuſum*, 8. Phyſ. tex. 2. 2. *Ordo eſt, per quem aguntur omnia*, Aug. lib. 1. de ord. cap. 10. Patet pronuntiati veritas inductione per ſingula. 3. *Vbi ordo, ibi varietas partium.* Hoc pronuntiatum eruitur ex definitione ordinis; eſt enim parium, diſpariumque

rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. 4. *Rectus ordo poſtulat vt deteriora melioribus ſubjiciantur.* Unde Aug. lib. 1. de lib. arbit. cap. 8. *Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus eſt omnino, vbi deterioribus meliora ſubjiciuntur.*

VIII. Ex dictis de ordine tria inferuntur. Primum. Ordo eſt in partibus vniverſi & quidem decentiſſimus, quia 1. eſt in eo plurium diſtinctio, nempe generum, ſpecierum & individuorum. 2. Diſtinctorum conjunctio; eſt enim in eo agens & patiens, cauſa & effectus, totum & pars, dependentia inferiorum à ſuperioribus à quibus moventur; communicatio perfectionum, quia inferiorum perfectio eſt eminenter in ſuperioribus, v. g. auri perfectio in ſole, & ſuperiorum virtus in inferioribus per participationem: affinitas, quia ſummum inferioris genus accedit ad vltimum ſuperioris, vt perfectiſſima planta ad imperfectum animal: continuitas, quâ natura non immediatè extrema extremis junxit, ſed mediis interjectis corporibus temperavit. 3. Ratio prioris & poſterioris, quia res creatæ aliæ aliis ad Deum propiùs accedunt, prout aliæ aliis perfectiores ſunt: ſubſtantiæ ſpiritales propiùs accedunt ad Deum quàm res corporatæ: inter res corporatas aliæ propiùs abſunt à ſpiritibus, vt cæli & ſidera, aliæ longiùs abſunt, vt elementa, &c. Meritò itaque pronunciavit Ariſtoteles lib. 12. Metaph. ordinem habere totum vniverſum; qui ordo eſt bonum ipſius, ſeque habet ad Deum, vt ordo exercitus ad ducem, & amplæ familiæ ad patresfamilias. Porrò ordinat Deus quæ ſunt in mundo tum per inſtinctum, tum per legalem juſtitiam.

Secundum. Partes vniverſi non æqualiter ordinem participant: vt enim partes familiæ, quæ propiùs accedunt ad patrem, magis de ordine participant, vt liberi, deinde ſervis quæ autem magis diſtant ab eodem, minùs ordini communicant, vt pecudes, adeòque fortunæ & caſui magis ſunt obnoxia: ita inter partes mundi quæ Deo propiores ſunt, magis ordinantur. Rurſus, ſicut familiæ partes quæ recedunt ab ordine jubentis, incidunt in ordinem punientis: ita inter partes mundi naturæ ſpirituales quæ à lege Dei per inobedientiam recedunt, in ordinem punientis juſtitiæ incurrunt.

Tertium. Patet jure dictum ab Ariſtotele 12. Metaph. ordinem non eſſe, ſi non ſint aliæ ſubſtantiæ præter ſenſibiles, tum quia vbi eſt ordo, ibi eſt comparatio & relatio; quæ duo non poſſunt peragi ac percipi, niſi à natura intelligente: tum quia ordo activus eſt in ordinante; nullum autem ens ordinare poteſt, niſi rationis ſit & intelligentiæ compos.

## §. II. *De perfecto & imperfecto.*

I. QUAMVIS perfectio cujuſque rei idem ſit realiter cum eſſentia, non eſt tamen idem formaliter; tum quia perfectum non dicitur eſſentialiter de omni ente, adeòque nec de ente quà tali: tum quia de ente denominativè prædicatur; ens enim non dicitur ipſa perfectio.

II. Perfectum aliud eſt abſolutum, aliud reſpectivum. Abſolutum eſt, cui nihil deeſt eorum quæ adeſſe debent. Reſpectivum eſt, quod eſt perfectivum alterius, aut habet aliquam in ſe perfe-

perfectionem. Sic Medicina dicitur perfecta, quia perfectam efficit ſanitatem: & homo ſanus dicitur perfectus, quia perfectam habet ſanitatem. Illud dicitur perfectum effectivè, & ſumitur pro actu perficiente; hoc autem ſubjectivè, & ſumitur pro re jam perfecta, vel pro actionis termino. De primo duplex pronunciatum. 1. *Perfectum illud dicimus quod poteſt aliud efficere tale quale ipſum eſt*, 4. Meteor. textu 19. 2. *Perfectio effectiva ſupponit virtutem in perficiente.* De ſecundo vnicum ſit: *Quidquid perficitur, ab alio perficitur.*

III. Perfectum aliud ſimpliciter, aliud ſecundùm quid. Perfectum ſimpliciter eſt, quod omnem perfectionem includit, & omnem proinde imperfectionem tum privativam, tum negativam excludit. Dicitur perfectum eminens, cujuſmodi eſt ſolus Deus, qui ideo à Patribus Græcis ὑπερτελὴς nuncupatur. Perfectum ſecundùm quid, illud eſt quod eſt tantùm perfectum in aliquo genere entis, ſeu quod definitam habet perfectionem: vnde habet aliquid imperfectionis ſaltem negativæ, quia non habet omnes gradus perfectionis in vniverſa latitudine entis poſſibilis, tales ſunt creaturæ. De hoc ſit pronuntiatum: *Non omne quod perfectum eſt, abſolutam obtinet perfectionem.* Rurſus perfectio creaturæ, alia συςατικὴ ſeu *conſtitutionis*; alia ἐνεργητικὴ ſeu *operationis*. Per illam res conſtituitur in ſuo eſſe; per iſtam ad operandum: illa per modum formæ & habitus; hæc per modum actus & operationis.

IV. Perfectum aliud tranſcendentaliter, aliud ſecundùm naturam, aliud ſecundùm artem.

Tranſcendentaliter perfectum eſt, cui nihil deeſt perfectionis entitativæ. Perfectum ſecundùm naturam, cui nihil deeſt bonorum naturalium. Perfectum ſecundùm artem, cui nihil deeſt ad habitum artis, ſeu quod ad regulas artis exactum eſt.

v. Perfectum iterum dicitur vel per ordinem ad totum, vel per ordinem ad virtutem, vel per ordinem ad finem. Ita Ariſtoteles 5. Metaph. Perfectum per ordinem ad totum eſt, id extra quod non eſt accipere vllam partem : ita dicitur perfectum illud tempus, extra quod non poteſt accipi tempus vllum, quod ſit illius pars : v. g. perfecta hora eſt, cui nulla pars horæ deeſt. Perfectum ſecundùm virtutem, quod non habet exceſſum ad genus, ſeu quod nec plus, nec minus habet quàm habere debet : ita dicitur perfectus Muſicus, qui ſecundùm propriam virtutis ſpeciem in nullo deficit. Sic etiam per ampliationem quandam dicitur perfectus fur, qui omnes furandi artes novit. Perfectum per ordinem ad finem, quod finem conſecutum eſt, præſertim ſi bonus ſit : ſic perfectus orator dicitur, qui ſuum finem aſſecutus eſt. Et quia finis eſt aliquid vltimum quod attingitur, & quod vltimum eſt in vno quoque genere, dicitur perfectum; hinc etiam dicitur perfectè malus qui finem malum eſt aſſecutus.

VI. Perfecto opponitur imperfectum, ſicut perfectioni imperfectio; hinc tot modis dicitur imperfectum, quot perfectum.

VII. Imperfectio tranſcendentalis alia, alia prædicamentalis : illa cum non ente convertitur; hæc cum tali non ente, quod enti categorico opponitur.

VIII. Imperfectio prædicamentalis, alia negativa, quâ res comparata cum aliis dicitur imperfecta: v. g. Angelus reſpectu Dei eſt imperfectus, homo reſpectu Angeli; alia privativa, quando res caret perfectione ſibi debita: v. g. peccatum dicitur imperfectum privativè.

IX. De imperfecto duplex pronuntiatum. 1. *Perfectum prius eſt ſubſtantiâ quàm imperfectum, licèt generatione poſterius ſit*, 13. Metaph. c. 2. 2. *Imperfectio privativa vitio vertitur, non item negativa*, quia prima eſt defectus perfectionis debitæ, vt avaritia in homine; ſecunda autem eſt abſentia perfectionis non debitæ: hinc pura neſcientia in Adamo, non vitio vertitur ante lapſum, nec mutabilitas in homine culpabilis, quia conſequitur naturam ipſius, licèt reddat imperfectum comparativè ad Deum.

## §. III. *De pulcro & pulcritudine.*

I. PULCRITUDO ſumitur, vel vt eſt terminus tranſcendens, vel reſtrictiùs, vt eſt terminus categoricus. Primo ſenſu cuilibet enti convenit: ſecundo, eſt ſpecialis qualitas orta ex ſitu & temperie convenienti. De tranſcendentali primùm, de categorica deinde.

II. Pulcritudo tranſcendentalis oritur ex convenientia entis cum intellectu, ſicut bonitas voluntati eſt commenſa; hinc

III. Bonum & pulcrum, quamvis metaphyſicè ad convertentiam dicantur, tamen partim conveniunt, partim diſcrepant.

IV. Conveniunt, 1. quòd eodem vocabulo apud Græcos exprimantur, καλὸν enim vtrumque

ſignificat. Pulcrum autem ideo vocatur καλὸν, quòd ad ſe vocet omnia, vel ἀπὸ τῦ κηλεῖν, καὶ θέλγειν, *à demulcendo & alliciendo*; animos enim decentia quadam ad ſe allicit, & intuentes permulcet. 2. Bonum aptum eſt & congruens; pulcrum in quadam congruentia quoque ſitum eſt. 3. Modus, ſpecies & ordo bono tribuuntur ab Auguſtino: modus, qui eſt rei menſura inter nimium & parum interjecta; ſpecies, quæ eſt determinatio quædam & moderatio ab infinitate rem ad certam rationem redigens; ordo, à quo ſingula proprium obtinent dignationis gradum, ſeu, vt ait Bernardus, Ser. 49. in Cant. *Qui modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem.* At hæc tria pulcro conveniunt, ipſumque componunt.

v. Diſcrepant, 1. quia aptitudo & congruentia boni non abſolutè ſumitur, ſed ad voluntatem refertur, quam ad ſe rapit: vnde bonum dicitur quod omnia appetunt; ipſa autem pulcri congruentia non appetentem facultatem præcisè, ſed cognoſcentem reſpicit, atque adeo veram germanamque ſpeciem & exemplār ſui, quam ideam Platonici appellant. Hinc pulcra vocamus, quæ mentem delectant, oculos & aures afficiunt, vt cantus, & vocum modulationes, & orationes, & carmina; quæ autem aliis ſenſibus placent, non pulcra, ſed bona & jucunda vocamus; ſic bonum & ſuavem cibum aut odorem dicimus, non pulcrum. Ratio differentiæ eſt, quòd oculus & auditus ad intelligentiam omnium maximè accedant. 2. Quòd bonum rationem finis obtineat; pulcrum autem pertineat ad rationem cauſæ formalis, ex D. Thoma 1. p. q. 5. art. 4. ad 1. *Pulcrum & bonum in ſubjecto quidem ſunt idem,*

*quia ſupra eandem rem fundantur, ſcilicet ſuper formam: & propter hoc bonum laudatur vt pulcrum; ſed ratione differunt. Nam bonum propriè reſpicit appetitum, & ideo habet rationem finis. Nam appetitus eſt quidam motus ad rem. Pulcrum autem reſpicit vim cognoſcitivam; pulcra enim dicuntur, quæ viſa placent: vnde pulcrum in debita proportione conſiſtit, quia ſenſus delectatur in rebus debitè proportionatis, ſicut in ſibi ſimilibus. Nam & ſenſus ratio quædam eſt, & omnis virtus cognoſcitiva: & quia cognitio fit per aſſimilationem, ſimilitudo autem reſpicit formam; pulcrum propriè pertinet ad rationem cauſæ formalis.* Hinc

VI. Definitio pulcri erui poteſt. Pulcrum eſt id cujus cognitio delectationem affert, quòd exemplari ſuo & formæ ſuæ primigeniæ exactè reſpondeat.

VII. Pulcritudo, alia increata, quæ Deo vni convenit; alia creata, quæ rei creatæ. Porrò quàm perfecta ſit Dei pulcritudo, patet ex eo quòd ſit ipſe primaria rerum omnium idea & exemplar: quare cum à ſe ipſo abhorrere non poſſit, vtique eſt exemplari perfectiſſimo maximè conſentaneus, itáque pulcherrimus.

VIII. Creata dividitur in ſpiritalem & corporatam; illa ſpiritalibus ſubſtantiis, hæc corporatis convenit. Omne autem ſpiritale eatenus pulcrum eſt, quatenus ita temperatum eſt in ſe, vt nihil non juſtum & adæquatum in eo ſit, adeóque quatenus eſt conſonum ideæ ſuæ: *Pulcra eſt omnis anima*, inquit Baſilius Tom. I. *quæ in bene temperato commenſu propriarum facultatum conſideratur.*

IX. Pulcritudo corporata ex apta membro-

rum proportione & coloris ſuavitate effloreſcit. Tria ad hanc requiruntur à D. Thoma. *Primò quidem integritas ſive perfectio; quæ enim diminuta ſunt, hoc ipſo turpia ſunt. Et debita proportio ſive conſonantia. Et iterum claritas. Vnde quæ habent colorem nitidum, pulcra eſſe dicuntur.* Itaque pulcritudo in convenientia & quadam adæquatione conſiſtit.

x. Cauſa illius efficiens, alia naturalis, alia artificialis. Naturalis duplex: remota quæ eſt vis formatrix & auctrix; propinqua, quæ eſt apta proportio partium omnium inter ſe, quæ tria requirit, debitum numerum membrorum, aptam eorundem ſuis in ſedibus collocationem, congruam denique magnitudinem & molem definitam pro materia: vnde corpora exigua non dicuntur pulcra, & qui nimio calore & ſiccitate abundant, non eximiæ ſunt formæ, quia vtraque qualitas lineamenta faciei contrahit & contorquet. Itaque humidum & calidum moderatum, cùm ſint temperaturæ ſanguineæ, & propria ſanguinis effloreſcentia circa genas & ora, pulcritudinem corporis conſtituunt. Cauſa formalis eſt claritas & nitor effloreſcens. Finalis reſpectu Dei, eſt in homine, vtpote ſui imagine, totius mundi harmoniam, ſeu conſenſum & decentem ordinem creaturarum exprimere; reſpectu autem hominum conſociatio eorumdem & commercium. Effecta, conciliatio amoris & deſiderii; allicit enim ad ſui amorem id quod pulcrum eſt. Denique delectatio quædam & voluptas; oculi enim pulcro delectantur & mirè afficiuntur. Affectiones, per ſe expetibilitas, & amabilitas; cum enim pulcrum & bonum aliquando conver-

tantur, non minùs à pulcro quàm à bono extrinſecùs rapimur; inſitum quippe mentibus noſtris, vt credamus in pulcro corpore pulcram habitare animam. Quia etiam interdum à pulcro celeriùs movemur quàm à bono; nam infantibus arrident pulcra, quia bona, cum nonniſi ſola mente percipiamus, ſolemus eadem ex pulcritudine æſtimare.

Porrò viri pulcritudo non tam ſuavitate coloris, quàm definita mole corporis & apta membrorum proportione continetur; ſecus accidit in muliere. Ratio eſt, quòd in viro ſapientia potiſſimùm dominari debeat, quæ ſiccam temperiem deſiderat, cujus calor aduſtus obſcurat & offuſcat cutem ac ſanguinem; color autem eſt efflorefcentia ſanguinis.

XI. Cognata pulcritudinis duo, gratia & ſanitas. Gratia, quæ actionis ſal dici poteſt ex geſtibus, moribus & actionibus effloreſcit. Differt à pulcritudine & quòd ſit gradus quidam pulcritudini additus, & quòd ex formæ potiſſimùm, pulcritudo ex materiæ conditione fluat. Deniquæ gratia rebus inanimis non convenit, pulcritudo verò tribuitur. Certè qualis quiſque ſit intus, gratia, ſi quæ ei ineſt, præmonſtrat. Sanitas quoque iis vt plurimùm corporibus non deeſt, quibus ineſt pulcritudo vegeta, cujus florem morbus demetit.

XII. In cæteris animantibus non ex corpore per ſe immediatè, ſed ex excrementis, v. g. in avibus ex pennis & cauda, maximè exiſtit. In homine præſertim eminet, tum quia temperamentum ipſi exquiſitius elaboratiuſque eſt: tum quia cùm ſit quaſi finis aliarum creaturarum,

debet in ſe ipſarum concinnitatem exprimere: tum quia in vultu potiſſimùm elucet: cæteræ animantes demiſſo ſunt vultu, homo verò erecto.

## Articulus III.

### *De disjunctis modis ſeu proprietatibus entis.*

ORdinem disjunctarum entis proprietatum alii aliter inſtituunt. Quidam in primarias & ſecundarias dividunt; primarias deinde in immediatas & mediatas partiti. Immediatæ fluunt proximè ex eſſentia, vt eſſe actu & potentiâ, principium & principiatum, cauſa & cauſatum, neceſſarium & contingens, independens & dependens, ens à ſe & ens ab alio, increatum & creatum, infinitum & finitum, incorruptibile & corruptibile. Mediatæ ex primariis modis entis fluunt, putà ex vnitate identitas & diverſitas, ſimplicitas & compoſitio, totalitas & partialitas, vniverſalitas & ſingularitas, communicabilitas & incommunicabilitas: ex veritate, naturale & artificiale, perfectum & imperfectum: ex bonitate, completum & incompletùm, abſolutum & reſpectivum, permanens & ſucceſſivum. Sub ſecundariis complectuntur ſubjectum & adjunctum, ſignum & ſignatum, menſuram & menſuratùm.

Alii hanc partitionem aliter inſtituunt, vt velint nonnullas oriri ex principiis entis, nempe ex eſſentia & exiſtentia; aliquas ex modis primariis entis. Ex principiis entis fluunt, per ſe & per accidens, vniverſale & ſingulare, actu & potentia, independens & dependens, increatum &

creatum, abſolutum & reſpectivum, incorruptibile & corruptibile, completum & incompletum, naturale & non naturale. Ex modis primariis, nempe ex vnitate, ſimplex & compoſitum, totum & pars, prius & poſterius & ſimul ſeu connexum, idem & diverſum, locale, & illocale, permanens & ſucceſſivum: ex veritate, menſura & menſuratum, poſſibile & impoſſibile, infinitum & finitum, ens reale & rationis, abſtractum & concretum: ex bonitate, principium & principiatum, cauſa & cauſatum, neceſſarium & contingens, ſubjectum & adjunctum, ſignum & ſignatum, communicabile & incommunicabile, imago & exemplar.

Sed cùm de pluribus iſtiuſmodi entis affectionibus ſeu ſpeciebus jam in tota Philoſophia paſſim egerimus: ſatis nobis erit hîc indicare loca in quibus illos explicuimus; alios autem hîc delibabimus.

De vniverſali & ſingulari jam egimus in Log. Tom. 1. p. 1. diſput. 2. a. 1. §. 1. & diſp. 3. a. 3. §. 2. De abſoluto & reſpectivo, Tom. 1. par. 3. Log. diſp. 4. a. 1. §. 1. De priori & poſteriori, Tom. 1. p. 3. Log. diſp. vnica de poſtpræd. a. 2. §. 1. De illocali & locali, Tom. 2. Phyſ. vniverſ. p. 4. diſp. 1. De finito & infinito, Tom 2. Phyſic. vniverſ. par. 3. diſp. 2. art. 1. §. 1. & 2. De ente reali & rationis, Tom. 1. Log. par. 1. diſp. 4. ſeu append. de ente rationis a. 1. §. 1. De cauſa & cauſato, Tom. 1. Phyſ. vniverſ. par. 2. diſp. tota. De ſigno & ſignato, Tom. 2. Log. par. 4. diſp. 1. a. 1. §. 1. 2. 3. Alios modos entis breviter expedio.

## §. I. *De ente potentiâ & actu, independente & dependente, increato & creato, incorruptibili & corruptibili, completo & incompleto.*

### *De ente potentiâ & actu.*

I. ENs actu eſt, quod in rerum natura exiſtit: ens potentiâ, quod nondum eſt, ſed poteſt eſſe. quæ partitio non eſt generis in ſpecies, ſed diverſorum ſtatuum vnius & ejuſdem rei.

II. Potentia dicitur vel poſitivè, vt eſt potentia agendi aut patiendi; vel negativè, vt eſt negatio impoſſibilitatis. Ex primo reſpectu duplex potentia, paſſiva & activa. Activa eſt vis agendi in aliud; paſſiva, jus, vel potiùs capacitas patiendi ab alio, ſeu recipiendi. Ex ſecundo reſpectu duplex quoque potentia, objectiva & obedientialis.

III. Potentia activa, alia infinita, quæ Dei propria, eaque vel abſoluta, quâ Deus poteſt omnia quæ contradictionem non involvunt; vel ordinaria quæ Dei voluntatem includit: alia finita, quæ creaturæ propria. Item alia phyſica, quæ cum motu conjuncta, vt potentia alterativa; alia ὑπερφυσικὴ, quæ ſine motu agit, vt vis creatrix. Alia naturalis quæ ad vnum determinata, & dicitur neceſſaria; alia libera quæ indifferens, &c. Paſſiva, alia naturalis, quæ poteſt deduci in actum à principio interno: alia obedientialis, quæ præter naturam à principio externo, putà ab omnipotentia Dei, in actum exeritur

IV. Objectiva aliquando eſt non repugnantia ad produci; ſic roſa nondum producta, eſt in potentia ad generandum: aliquando eſt reſpectus rei poſſibilis ad ſuum agens, à quo res poteſt effici. Sic ante creationem mundus erat in potentia Dei objectiva; dicitur etiam potentia logica.

V. Actus vt ſic, eſt perfectio rei in ſuo genere. Alius purus, qui caret potentia paſſiva: alius impurus, cui aliquid eſt potentiæ paſſivæ admixtum. Alius item primus, alius ſecundus. Primus eſt forma rei, eſtque vel ſubſtantialis, vt anima reſpectu corporis; vel accidentalis, vt intellectus reſpectu animæ: ſecundus eſt ipſa operatio. Alius phyſicus, vt forma; alius metaphyſicus, vt exiſtentia reſpectu eſſentiæ.

VI. Pronuntiata de potentia & actu hæc ſunt. 1. *Potentia paſſiva eſt quædam impotentia*, quia vt talis, poteſt tantùm pati ab alio. 2. *Cuilibet potentia paſſiva reſpondet ſuus actus*. 3. *Potentia non repugnantia reſpondet actus eſſentia, paſſiva forma, activa operatio* 4. *Actus eſt prior potentia, vic ſſimque potentia prior actu*; diverſo nempe reſpectu. Nam actus prior eſt potentiâ, cognitione, quia potentia cognoſcitur per actum, qui magis participat de ente; tempore, quia nihil exiſtens in potentia paſſiva, ſe reducit in actum; eſſentiâ ſeu perfectione, quia actus eſt efficiens, quatenus potentiam deducit in actum, & finis, quia potentia eſt propter actum; hinc actus dicitur perfectio potentiæ. Potentia autem eſt prior actu, ſi ſpectetur vt potentia in certo ſubjecto, ſeu vt materia. Sic homo prior eſt potentiâ quàm actu. 5. *Actus primus antecedit ſecundum,*

quia eſt velut principium ſecundi : vnde poſito actu primo , non infertur actus ſecundus; & negato actu ſecundo , non ſemper eſt negandus actus primus , quia poteſt impediri potentia ne in actum exeat. Deinde actus primus ſe habet vt forma, ſecundus vt operatio : at poteſt eſſe forma , licèt non operetur ; quare non valet conſecutio : Corpus Chriſti in Euchariſtia nec palpatur , nec videtur : ergo non eſt in Euchariſtia. 6. *Potentia activa non mutat agens . quatenus agens eſt.*

## *De independente & dependente.*

I. INDEPENDENS eſt quod non indiget alio priori à quo ſit. Aliud ſimpliciter, quod nec à cauſa, nec à ſubjecto, nec à termino pendet, talis eſt Deus : aliud ſecundùm quid, quod in certo genere ab alio non pendet ; ſic ſubſtantia eſt independens inhæſivè à ſubjecto, accidens abſolutum à termino.

II. Dependens eſt, quod eſt alio poſterius à quo fluit. Dependentia duplex : realis , quâ res in eſſendo pendet ab alio ; & intentionalis, quâ pendet in cognoſcendo. Ad dependentiam ſtrictam duo requiruntur, præexigentia alterius præſuppoſiti, ſeu ordo poſterioris naturâ à priori. Hinc Filius in divinis non pendet à Patre ; deinde influxus prioris in poſterius quoad eſſe, hoc eſt, in fieri & conſervari ; hinc relatum non pendet propriè à correlato.

III. Realis dependentia triplex , effectiva, ſubjectiva & objectiva. Effectiva eſt , quâ cauſatum prærequirit aliquid à cujus influxu pendeat : ſubjectiva , alia ſubſtantialis quâ forma ſubſtantialis pendet à materia recipiente aut

ſuſtentante; alia accidentalis ſeu inhæſiva, quæ eſt habitudo accidentis ad ſubjectum: objectiva, ſeu intellectualis, quâ noſtra cognitio pendet à rebus; ſic menſuratum pendet à menſura per quam cognoſcitur, omnis notitia à principiis cognoſcendi.

IV. Circa dependentiam non vnum eſt pronuntiatum. 1. *Quidquid ſtrictè dependens eſt, idem finitum, creatum, participatum, potentiale, & contingens:* omnes enim illi termini æquivalent in re; hinc dependentia radix imperfectionis multiplicis. 2. *Quod pendet ab alio ſecundùm eſſe eſſentialiter, pendet etiam in operari*; hinc concurſus divini neceſſitas aſtruitur. 3. *Quidquid dependens eſt, eſſentiam habet, ſaltem numero diverſam ab eo à quo pendet.* Ita Suares diſp. 12. Metaph. 2. num. 5. 6. vnde Filius in divinis non pendet à Patre, quia eandem habet numero eſſentiam.

V. Dependentiæ modi varii ſunt, nempe eſſentialiter, accidentariò, perfectè, imperfectè, mutuò vel non mutuò, neceſſariò vel contingenter, quoad eſſe & operationem, quoad initium & deſitionem, &c. Porrò de creato & increato dicere omitto, quia ſunt termini explicatu faciles.

## *De incorruptibili & corruptibili.*

I. INCORRUPTIBILE eſt, quod de eſſe ad non eſſe tranſire non poteſt. Aliud ſimpliciter tale, aliud ſecundùm quid. Simpliciter incorruptibile eſt, quod eſt intrinſecè & extrinſecè incorruptibile, adeóque perire nullatenus po-

teſt. Incorruptibile ſecundùm quid illud eſt, quod exigit non corrumpi ex natura ſua, ſed abſolutè deſinere poteſt; ſeu quod exigit conſervari ex natura ſua, ſed ab extrinſeco deſtrui poteſt, vt Angelus, anima rationalis.

II. Corruptibile eſt, quod tranſite ab eſſe ad non eſſe poteſt. Aliud extrinſecè, aliud intrinſecè. Corruptibile extrinſecè eſt id quod poteſt deſtrui ab agente voluntario, v. g. Angelus poteſt deſtrui à Deo: corruptibile intrinſecè eſt quod ex principiis internis, vtpote contrariis, deſinere poteſt, vt corpora ſublunaria.

III. Res corrumpuntur vel juxta periodum, quâ definiuntur: ſic res ſublunares certa periodo definiuntur; vel à contraria qualitate, vt mixta; vel abſumptione, vt calidum innatum; vel per violentiam, vt qui morte violenta rapitur.

## *De completo & incompleto.*

I. COMPLETUM eſt, quod ad vlteriorem perfectionem non ordinatur, ſeu quod vltimam perfectionem in ſuo genere habet. Aliud eſt completum abſolutè, aliud comparatè.

II. Completum abſolutè eſt, quod ita per ſe ſubſiſtit, vt compoſitionem non ingrediatur, vt homo: completum comparatè eſt, quod ita per ſe ſubſiſtit, vt poſſit alterius compoſitionem ingredi, vt elementa, quæ completa quidem ſunt in ratione elementi, ſed reſpectu formæ mixti inſtar materiæ ſecundæ obtinent.

III. Incompletum eſt, quod ad alterius perfectionem ordinatur; hinc incompletum vt tale,

pendet ab alio, & habet rationem partis.

IV. Incompletum aliud metaphyſicum, vt anima rationalis, quæ poteſt ſeparatim exiſtere: aliud phyſicum, vt forma materialis, quæ ſeorſim à materia exiſtere non poteſt: aliud logicum, vt genus, vel differentia.

V. Pronuntiata. 1. *Ex duobus completis non fit vnum ens per ſe.* Intellige abſolutè & in ſubſiſtendo completis. Nam completum in eſſendo, poteſt eſſe incompletum in ſubſiſtendo: ſic humana Chriſti natura eſt completa ſecundùm eſſentiam phyſicam, ſed incompleta metaphyſicè, ideoque completur per ſubſiſtentiam verbi. 2. *Ex duabus ſubſtantiis incompletis, quarum vna ſit inſtar materiæ, & altera inſtar formæ, fit vnum ens per ſe, putà ex corpore & anima.*

## §. II. *De modis qui fluunt ab vnitate.*

SIMPLEX & compoſitum, idem & diverſum, totum & pars, prius, poſterius & ſimul, permanens & ſucceſſivum ab vnitate ducuntur & manant.

### *De ſimplici & compoſito.*

I. SIMPLEX eſt, quod negat compoſitionem, ſeu quod non eſt ex multis compoſitum; vt enim vnitas negat diviſionem, ita ſimplicitas compoſitionem: vnde ſimplicitas perfectionem infert, ſicut compoſitio imperfectionem.

II. Simplex aliud abſolutum, aliud reſtrictum. Abſolutum iterum duplex, aliud abſtractivum quod dicit indiviſibilitatem abſtractionis, eſtque

eorum quæ non ſunt compoſita, poſſunt tamen compoſitionem ingredi; talis eſt ſimplicitas in tranſcendentibus: aliud quod vocant poſitivum, diciтque indiviſibilitatem perfectionis, quæ omnem compoſitionem excludit, nec in compoſitionem aliorum venire poteſt, vt Deus. Reſtrictum eſt in certo tantùm genere ſimplex, cujuſmodi ſunt ſpiritus, accidentia incomplexa, & differentiæ vltimæ. Scaligero triplex eſt, ſummum, infimum & medium. Summum ſimplex eſt, quod compoſitionis eſt omnis expers, ideóque nullius rei indigum: infimum, quod omnium maximè indigum: medium mediæ eſt cujuſdam naturæ. Sed quæ ſint ſimplicitatis ſpecies, faciliùs cognoſces ex variis ſpeciebus compoſitionis.

III. Compoſitum eſt, quod ex partibus conſtat. Compoſitio quaſi multorum vnio, ſeu plurium ſimul poſitio, vnum tertium conſtituentium;

IV. Duplex eſt, alia realis, alia rationis. Realis tria requirit: 1. Terminos reales, quia non entis nulla eſt affectio; 2. realiter diſtinctos, aliàs eſſet compoſitio rationis; 3. qui ſe reſpiciant, vt actus & potentia. Non realis ſeu intentionalis, quæ fit per mentem, vel cum fundamento in re, vt compoſitio ex eſſentia & exiſtentia, ex genere & differentia: vel ſine fundamento, vt compoſitio ex veſte & indumento.

V. Realis duplex, propria & impropria. Impropria eſt accidentalis, quæ fit ex ſubjecto & accidente, vel plurium accidentium in eodem ſubjecto. Propria eſt diſtinctorum mutuo ſe excludentium vnio, quæ ſubſtantiis finitis convenit,

qualis eſt ex natura & ſuppoſito; & in ſubſtantiis corporeis eſt vel totius ex materia & forma, vel partis, putà materiæ ex partibus integrantibus. Alii partiuntur in generalem & ſpecialem. Generalis vel metaphyſica, vel logica; ſpecialis, phyſica.

VI. Metaphyſicæ ſeptem ſunt modi. 1. ex ente & eſſentia; nam in homine aliud eſt ens, aliud eſſentia. 2. ex eſſentia & eſſentia, putà ex natura generica & ſpecifica. 3. ex eſſentia & exiſtentia. 4. ex natura & ſuppoſito. 5. ex potentia & actu. 6. ex materia & forma metaphyſica. 7. ex ſubſtantia & accidente metaphyſico. Logica fit ex genere & differentia. Phyſica fit vel ex partibus materialibus, vel ex materia prima & forma phyſica. Huc revoca compoſitionem artificialium, in qua vna pars alteri apponitur, & dicitur à Craſſotio compoſitio hujus ad hoc.

VII. Compoſitioni opponitur diviſio ſeu ſeparatio, quæ eſt totius in partes ex quibus conſtat, tributio. Porrò ita ſeparantur partes, vel vt vtraque pereat, vel vtraque remaneat, vel vna ſuperſit, altera pereunte. Separatio fit per receſſum & motum localem, vt cum partes à ſe diſtare incipiunt: vel citra receſſum, ſublata tantum vnione, vt ſi anima ſoluto temperamento deſinat informare corpus, in quo tamen maneat.

VIII. Varia ſunt pronuntiata. 1. *Simplex prius eſt compoſito*, nempe naturâ vel tempore, quia ſimplex vel ingreditur compoſitionem, vel eſt cauſa efficiens. Ergo ſaltem prius natura eſt compoſito. 2. *Qualis eſt extremorum diſtinctio, talis eſt ex iiſdem facta compoſitio.* 3. *Summè ſimplex omnis compoſitionis expers.* 4. *Diſtinctio non*

*arguit ſemper compoſitionem.* Patet in Trinitate, in qua ſicut eſſentiæ communitas non tollit ſimplicitatem, ita perſonarum diſtinctio non infert compoſitionem.

## *De toto, parte & mutilo.*

I. TOTUM & pars ſunt termini reciproci. Pauca primùm de parte, deinde de toto nonnulla ſubjicio.

I. Pars vt ſic, eſt id ex quo totum coaleſcit, & in quod totum reſolvitur, ſive pars metiatur totum, ſive non: ſic duo ſunt pars ternarii. Mathematicis pars eſt, quæ aliquoties repetita, adæquat totum vel ſuperat, vt duo reſpectu quaternarii.

II. Pars, alia ſubjectiva, ſeu potentialis, alia integralis, eſſentialis alia. Subjectiva eſt, cui totum ineſt & attribuitur: ſic ſpecies eſt pars generis. Integralis, quæ componit totum, non vt actus aut potentia, ſed per modum continuitatis, vel contiguitatis, vel colligationis. Eſſentialis, quæ rei eſſentiam componit; ideóque alia eſt phyſica, vt anima & corpus: alia metaphyſica, vt eſſentia & exiſtentia: alia metaphyſica, vt genus & differentia.

III. Totum definitur, vel vt opponitur parti, quod ita continet ea quæ continentur, vt ea ſint vnum. Ita Ariſtoteles. Vel vt opponitur mutilo & imperfecto, cujus nulla pars abeſt eorum, ex quibus per naturam totum nominatur. Breviùs, cujus nulla pars eſt extra, ex 3. Phyſic. tex. 63.

IV. Ad totum duo requiruntur. 1. Pluralitas

partium, nam ex vno non poteſt fieri totum: 2. partium in toto vnio & colligatio.

v. Totum, aliud eſſentiale, cujus partium altera eſt inſtar potentiæ eſſentialiter incompletæ; altera inſtar actus: hinc ex partibus vnitis vna exiſtit eſſentia, vel phyſica, quæ dicitur totum phyſicum; vel metaphyſica, quæ dicitur totum metaphyſicum: illius partes realiter, hujus ſola ratione diſtinguuntur. Aliud integrale, quod coaleſcit ex multis partibus per modum continuitatis, vel contiguitatis & collectionis; idque vel eſt ſimilare, quod coaleſcit ex partibus ejuſdem rationis ſeu eſſentiæ; vel diſſimilare, cujus partes eſſentiâ differunt. Aliud vniverſale, quod continet partes ſubjectivas ſub ſe actu vel aptitudine, &c.

vi. Omne & totum differunt ex Ariſtotele, 1. quia omne dicuntur ea quorum poſitio non facit differentiam, quæque non habent propriam figuram, ſed alienam facilè induunt: ſic dicitur omnis aqua. Totum autem ea, in quibus poſitio facit differentiam, vt tota domus: vnde in toto eſt principium, medium & infimum. 2. Omne videtur indicare multitudinem, totum magnitudinem.

vii. De toto & parte plura ſunt pronuntiata. 1. *Totum non cognoſcitur ignoratis partibus*, ex 1. Phyſ. tex. 35. Intellige de cognitione diſtincta, vt enim res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci: ergo vt ex conjunctione diſtincta partium reſultat totum: ita ex earundem cognitione cognitio totius. 2. *Omnis pars eſt propter ſuum totum*, 2. Phyſ. tex. 2. quia pars, quà pars, ordinatur ad totum, vt illius materia aut forma. Hinc 1.

Polit. c. 8. partis virtus ad totum reſpicere debet. 3. *Pars ignobilior eſt propter nobiliorem*, 1. Polit. c. 9. ſic plantæ dicuntur eſſe animalium cauſâ, cætera animalia cauſâ hominis. 3. *Totius perfectio eſt recta partium conſtitutio*, quia totum nihil eſt præter partes vnitas: ergo quò arctior partium compoſitio, ordinatiorque, eò major totius perfectio conſurgit. 4. *Eadem eſt ratio totius & partium*, lib. 1. de cælo tex. 19. valet hoc effatum in partibus homogeneis. 5. *Totum prius eſt ſimul & poſterius ſuis partibus*, diverſo nempe reſpectu, quia prius eſt dignitate & intentione, poſterius autem generatione.

VIII. Mutilum ex Ariſtotele eſt imperfectum, ſed non omne imperfectum eſt mutilum. Deſcribitur ab Ariſtotele 5. Met. totum aliquod quantum continuum diviſibile in partes diſſimiles habentes poſitionem ad invicem, cui detracta pars non ſit eſſentialis, ſed in extremitate poſita, & quæ ablata renaſci non poſſit. Hinc

IX. Septem conditiones ad rationem mutili requiruntur. 1. Ut totum permaneat, id eſt, ſit majus parte mutilata, adeòque retineat nomen totius. Sic poculum anſâ mutilatum, adhuc poculum eſt. 2. Ut ſit continuum; hinc conceptus non dicitur propriè mutilus. 3. Sit dividuum in partes diſſimiles: vnde aqua non dicitur mutila. 4. Debent partes habere naturalem ordinem & determinatam poſitionem in toto. 5. Pars detracta non ſit eſſentialis; hinc homo, animâ amiſsâ, non dicitur mutilus. 6. Pars detracta ſit in extremitate, vt manus in homine, anſa in poculo. 7. Pars ſublata non poſſit reparari: inde cervi quibus cornua decidunt, non dicuntur mutili, quia iis renaſcuntur.

x. Pronunciatum vnicum Ariſtotelis, 7. Polit. c. 16. *Nullum mutilum in republica optima educandum.* Sed in hoc erravit graviſſimè Philoſophus, & à ſapientibus omnibus rejicitur. Quamvis enim membrum reipublicæ mancum ſit parte aliqua corporis, conſilio ſaltem reipublicæ prodeſſe poteſt. Immo vitium corporis natura ſolers ſæpius perfectione animi aliqua repræſentat.

## *De eodem & diverſo.*

I. IDEM latè dicuntur, quæ in aliquo conveniunt; identitas, convenientia in aliquo, ſive eſſentiale ſit, ſive accidentale. Concipi debet quaſi relatio vnius ad aliud, eáque vel rationis, vel rei; illa eſt identitas ejuſdem ad ſeipſum, hæc inter plura, vt inter Petrum & Paulum.

II. Identitas vel extrinſeca, vel intrinſeca eſt. Extrinſeca quadruplex; cauſalis, effectiva, ſubjectiva, & accidentalis. Cauſalis extrinſeca eſt, quâ plura conveniunt relativè ad cauſam efficientem vel finalem. Effectiva, quâ conveniunt ratione effectûs. Sic identitatem habent artifices, ratione operis externi; fratres, ratione parentum; ſervi, ratione domini. Subjectiva eſt convenientia in eodem ſubjecto. Sic intellectus & voluntas ſunt vnum ſubjectivè. Accidentalis eſt convenientia, ratione quantitatis, vel qualitatis; illa æqualitas, hæc ſimilitudo dicitur.

III. Intrinſeca, vel primaria, vel ſecundaria eſt. Primaria eſt eorum quæ ſimpliciter idem ſunt; eſtque in rebus creatis vel formalis eorum quæ differunt, vt definitum & definitio; vel nu-

merica, quâ aliquid eſt vnum numero, vt Plato; vel in divinis, eaque duplex: eſſentialis, quâ tres perſonæ in divinis ſunt vnum in eſſentia; vel perſonalis, quâ duæ naturæ ſunt vnum ſuppoſitum, vt in Chriſto. Secundaria in iis reperitur, quæ ſecundùm quid idem ſunt, putà genere vel ſpecie.

IV. Diverſum eſt, quod cum alio non convenit; diverſitas autem negatio convenientiæ: quare diverſitas arguit privationem quandam vnitatis, identitatis, & præterea multitudinem. Ut enim identitas affinis eſt vnitati, ita diverſitas multitudini, in qua fundatur.

V. Primò diverſum & differens aliquatenus diſtinguuntur. Primò diverſa ſunt, quæ non conveniunt in aliquo prædicato eſſentiali vnivocè; ſic decem ſuprema genera dicuntur primò diverſa: differentia vero, quæ in aliquo conveniunt quidditativè, & in aliquo differunt.

VI. Diverſitas eſt vel diſtinctionis, vel oppoſitionis. Diſtinctio eſt diverſitas abſque pugna, eaque vel realis vel rationis: ſpecies illius habes Tom. 1. Log. p. 2. diſp. 1. a. 1. §. 1.

VII. Oppoſitio eſt diverſitas cum pugna, eáque duplex, negativa & poſitiva; illa major, hæc minor. Negativa eſt inter extremum poſitivum & negativum, & quidem duplex, contradictoria & privativa. Poſitiva inter duo poſitiva, quæ duplex quoque eſt, contraria & relativa. De ſpeciebus hujus diverſitatis fusè egimus Tom. 1. Log. part. 3. diſp. VII. de poſtpræd.

VIII. Varia ſunt pronuntiata de identitate, & diſtinctione; nonnulla accipe. 1. *Quæ in vno tertio ſunt idem, ſunt idem inter ſe* : intellige in

vno tertio indiviſibiliter accepto. 2. *Quæ numero ſunt idem, ſunt maximè vnum*: quia identitas numerica includit alias. 3. *Quæ ſeparari poſſunt, differunt realiter, & non viciſſim*; nam in Trinitate datur diſtinctio perſonarum, non ſeparatio. 4. *Producens & productum diſtinguuntur realiter*, quia producens alius eſt à producto; deinde datur relatio realis inter producens & productum. Hoc pronunciatum valet in heterogeneis, non in homogeneis, niſi addas, potentiâ. 5. *Quæ diverſis ſubjectis inſunt, diſtinguuntur realiter*; aliàs idem manens idem, ineſſet & non ineſſet.

## *De permanente & ſucceſſivo.*

I. PERMANENS per habitudinem ad ſucceſſivum, definitur negativè, quod non habet partes in fluxu vnius ad aliam abeuntem. Poſitivè, quod habet totum ſuum eſſe ſimul. Succeſſivum, cujus partes ſunt in fluxu continuo.

II. Permanens aliud ſimpliciter, quod eſt omnino indefectibile, vt Deus: aliud ſecundùm quid, quod eſt totum quidem ſimul, ſed non ſemper, vt homo.

III. Succeſſio, vel eſt imaginaria & extrinſeca, vel intrinſeca & realis. Imaginaria eſt, quæ concipitur in æternitate per coexiſtentiam ad tempus: intrinſeca, vel poſitiva eſt, vel privativa. Privativa eſt inter terminum poſitivum & negativum, putà inter eſſe & non eſſe, & ſic convenit generabili & corruptibili: quia generatio phyſica ſaltem præſuppoſitivè eſt ſucceſſio à non eſſe ad eſſe, ſicut corruptio ab eſſe ad non

eſſe. Poſitiva, alia diſcreta, quæ eſt inter plura entia; alia continua, quæ eſt inter partes ejuſdem entis non interruptas; & hæc conſtituit ens ſucceſſivum, quod ſuum eſſe non habet ſimul, ſed jam partem habuit, adhuc partem habet, & partem deinceps habiturum eſt.

## §. III. *De modis à veritate & bonitate fluentibus.*

EX veritate fluunt menſura & menſuratum, e bonitate ſignum & ſignatum, de quibus ſtrictim hîc agimus: nam de aliis modis qui ex hocce vtroque atributo fluunt, aliis in locis jam egimus, vt obſervavi.

### *De menſura & menſurato.*

1. MENSURA eſt, qua menſuratum cognoſcitur. Sumitur 1. activè & paſſivè. Activè ſumpta, eſt id quod menſurat; paſſivè ſumpta, id quod menſuratur. Sic tempus dicitur menſura motus. 2. Sumitur negativè & poſitivè: negativè dicitur Deus menſura ſui ipſius, non quòd ſe ipſum menſuret, ſed quòd nihil aliud ſit à quo menſuretur: poſitivè, quo ens denominatur menſurans activè. Dicitur norma, γνώρισμα, quòd in cognitionem alicujus rei deducat.

Menſuræ conditio quadruplex. 1. Debet eſſe notior menſurato. 2. Homogenea, id eſt, proportionata & conveniens; ſecus tempus non foret menſura rerum, quia illud ſucceſſivum, hæ permanentes. 3. Infallibilis & certa, quia per eam de certitudine menſurati conſtare debet. 4. Una

4. Una & indiviſibilis: nam de vlna licèt quidpiam aufferri poſſit, vt eſt quanta; nihil tamen demi poteſt, vt eſt vera vlna.

III. Menſuræ ſpecies non vna. Alia quantitatis, alia perfectionis, alia qualitatis ſeu cognitionis. Menſura quantitatis eſt, quâ cognoſcitur quantum, quæ eſt vel adæquationis, vel repetitionis: illa quantum nec excedit, nec ab eo exceditur; hæc vtpote inadæquata, per repetitionem menſurat: ſic vlna repetita menſurat pannum. Menſura perfectionis eſt, quæ menſurat vel per approximationem ad aliud, vel per receſſum ab alio, vt Deus reſpectu creaturarum; nam per approximationem ad eum res cæteræ judicantur perfectæ, per receſſum ab eodem imperfectæ. Menſura cognitionis eſt, ad quam cognitio exigitur; mens quippe noſtra in cognoſcendo à rebus menſuratur.

IV. Ad tres illas ſpecies revocatur partitio alia, quæ fit in menſuram effectionis ſeu architectonicam, ſic gnomon dicitur menſura quantorum; in menſuram doctrinæ, ſic principia diſciplinarum ſunt norma dicendorum; & in moralem, ſic leges ſunt norma vivendi.

V. Pronuntiata. 1. *Omnis menſura additionis & diminutionis experſ.* 2. *Menſuratum non debet extra menſuram extendi:* hoc pronuntiatum debet de menſura cognitionis & perfectionis potiſſimùm intelligi. Nam quantum ſæpe excedit menſuram, vt pannus vlnam. 3. *Normæ officium eſt directivum & correctivum;* hinc rectum dicitur norma ſui & obliqui.

## *De exemplari & imagine.*

I. IMAGO eſt id quod ad ſimilitudinem alterius exprimitur; id à quo procedit, exemplar appellatur.

II. Cognata imaginis ſunt ſimilitudo, ſignum & veſtigium. Diſtinguitur à ſimilitudine, quòd imago ad ſimilitudinem alterius procedat; ſimilitudo autem ſit convenientia rerum diverſarum, & quidem in imagine correſpondentia imaginis cum exemplari, cujus eſt imago. Omnis itaque imago infert quandam ſimilitudinem ſeu convenientiam cum exemplari: at non omnis ſimilitudo importat rationem imaginis, niſi ſit ſimilitudo exemplaris quà talis; ſimilitudo enim eſt duorum aut plurium convenientia, imago autem debet ab exemplari exprimi; hinc ovum ſimile eſt ovo, non illius imago.

III. Signum convenit cum imagine, quòd ſicut ſignum ſignatum repræſentat ratione ſui, ita imago exemplar repræſentet ratione ſui, quantum ad proportionem quæ eſt inter ſignum & ſignatum, vt & inter imaginem & imaginatum. At reſpectu noſtri differunt, quòd ſignum relationem ad potentiam cognoſcentem importet, non item imago; nam lumen eſt imago lucis, nec tamen potentiam cognoſcentem reſpicit. Porrò multa ſigna ſunt imagines, vt ſigna formalia, cujuſmodi ſunt conceptus & ſpecies. Dantur tamen ſigna quæ non ſunt imagines, ſicut dantur imagines quæ non ſunt ſigna: v. g. filius eſt imago patris, non ſignum; Iris ſignum fœderis inter Deum & homines initi, non imago.

IV. Veſtigium eſt imperfecta ſimilitudo, imperfectè ducens in cognitionem ejus cujus eſt ſimilitudo: vnde imago perfectè repræſentat, veſtigium obſcurè: ideoque homo dicitur imago Dei; res aliæ creatæ, veſtigia tantùm.

V. Tria ad imaginem requiruntur. 1. Similitudo & convenientia, quia imaginis eſt rem repræſentare, cujus eſt imago. 2. Origo ſeu proceſſio imaginis ab imaginato; omnis enim imago eſt expreſſio prototypi ſui: defectu hujus conditionis homo ſimilis alteri quoad lineamenta corporis, non eſt illius imago; ſimilitudo quippe importat adæquationem proportionis, & origo ordinem. Diſtinguunt multi inter eſſe imaginem alterius, & eſſe ad imaginem alterius: in primo nulla imperfectio, in ſecundo eſt aliqua; hinc Filius in divinis eſt imago Patris, non autem ad imaginem Patris, quia eſt ejuſdem naturæ cum Patre.

VI. Imago, alia perfecta, alia imperfecta. Prima eſt rei perfecta & indiſcreta ſimilitudo ad rem coæquandam: imperfecta æqualitatem non per commenſurationem, ſed per proportionem requirit. Aliis imago perfecta exemplar ſuum exactè refert quantum ad ſpeciem & ſignum ſpeciei; vt filius reſpectu patris, quem in humana ſpecie & figura imitatur: imperfecta exemplar refert quoad ſignum, non quoad ſpeciei veritatem, vt imago hominis in ſtatua lapidea. Ab aliis triplex imaginis ſpecies aſſignatur: imago æqualitatis, quæ pleniſſimè habet quidquid eſt in exemplari, vt Filius reſpectu Patris æterni: imitationis, vt homo reſpectu Dei: repræſentationis, ſic mundus dicitur ſpeculum Creatoris

& quædam quaſi imago, quia Deum in eo tanquam architectum in opere, & cauſam in effectu ſpeculamur. Denique dividitur ab aliis imago in eſſentialem & accidentalem. Prima infert ſimilitudinem in eſſendo ſeu in perfectione eſſentiali καθ' ὁμουσίαν, vt Filius in divinis: ſecunda infert ſimilitudinem in repræſentando tantùm, vt homo.

VII. Exemplar eſt id ad quod aliud exprimitur, quod cum eodem ſimilitudinem habet. Duo requirit, expreſſionem imaginis, & convenientiam imaginis expreſſæ. Exemplar eſt forma imitabilis ab agente intellectuali.

VIII. Pronuntiata. 1. *Omnis imago ſimilis eſt exemplari.* 2. *Omnis imago eſt aliunde expreſſa*; nempe ab archetypo, cujus eſt quædam imitatio: quare ſimilitudo cum expreſſione eſt de ratione imaginis. Fit autem illa expreſſio vel ſecundùm ſpeciem tantùm, & tunc imago non eſt vſquequaque perfecta; vel ſecundùm eandem numero eſſentiam, & tum eſt perfectiſſima; vt in Trinitate.

# DISPUTATIO II.

## *De variis ſpeciebus entis.*

CUM multiplex ſit ſpecies entis, multiplex quoque fieri quæſtio de ente hîc deberet. Sed cùm varias in Logica ſpecies entis jam proſecuti ſimus, duas hîc duntaxat quæſtiones inſtituemus. Prima erit de ente eſſentiæ & exiſtentiæ, ſecunda de ſuppoſito.

### ARTICULUS I.

### *De ente eſſentiæ & exiſtentiæ.*

CIRCA ens eſſentiæ & exiſtentiæ duo potiſſimùm examinari ſolent. Primum, an eſſentiæ rerum ſint aliquid ab æterno extra Deum: ſecundum, quomodo eſſentia & exiſtentia diſtinguantur inter ſe. Sed antè juvat ens in ſuas ſpecies partiri.

### §. I. *Diviſio entis in ſuas ſpecies.*

I. PRIMA diviſio entis ſit in increatum, & creatum. Increatum eſt, quod non eſt ab alio productum ex nihilo, vt Deus, qui ideo à Græcis dicitur αὔταντος: creatum, quod ex nihilo ſui ab alio productum eſt.

II. Secunda, in ens potentiâ, & ens actu. Ens potentiâ illud eſt quod nondum exiſtit in

natura, ſed continetur in virtute cauſæ: ſic alter mundus eſt ens potentiâ, quia continetur in omnipotentia divina. Ens actu illud eſt, quod eſt extra cauſas, ſeu actu exiſtit in rerum natura. Item in ens in potentia & ens in actu. Ens in potentia eſt, quod poteſt recipere formam, quam non habet, actu; ens in actu, quod formam actu habet. Hinc pronuntiatum: *Idem non poteſt eſſe in potentia & in actu reſpectu ejuſdem.*

III. Tertia, in ens neceſſarium & contingens. Neceſſarium eſt, quod non poteſt aliter ſe habere, idque multiplex: aliud complexum, quod eſt propoſitio vera, quæ non poteſt eſſe falſa; aliud incomplexum, quod vel abſolutè tale eſt, adeóque non poteſt aliter ſe habere, vt Deus, qui non potuit non eſſe, quia primum ens; nec poteſt deficere, quia omnipotens; vel ſecundùm quid tale, quod ſimpliciter poteſt eſſe & non eſſe, propter dependentiam à primo ente; à nulla tamen cauſa creata deſtrui poteſt, vt Angelus. Incomplexum eſt neceſſarium vel in genere efficientis, cùm effectus neceſſariò connectitur cum efficiente; vel ratione materiæ, cùm propter materiam habet ſe immutabiliter; vel ratione formæ, quod propter formam aliter eſſe non poteſt; vel ratione finis, quod ad finis aſſecutionem requiritur, licèt de ſe contingens ſit: idque iterum duplex; aliud neceſſarium ad eſſe, ſine quo finis obtineri non poteſt; aliud ad bene eſſe, ſine quo finis obtineri quidem poteſt, ſed non tam commodè.

Contingens eſt, quod poteſt aliter ſe habere; & quidem vel æqualiter, cùm æquè poteſt contingere atque illius oppoſitum; vel vt plurimùm, quod

frequentiùs evenit; vel rarius, quod rarò evenit.

Contingens ita dicitur vel ratione inhærentiæ, cum aliquid alteri ita ineſt, vt poſſit non eſſe; vel ratione cauſæ: ſic contingens eſt piſcatorem reperire annulum aureum, contingens eſt ratione ſubjecti lunam pati eclipſim, licèt ratione cauſæ ſit neceſſarium. Contingentia alia eſt externa, quâ aliquid à principio externo poteſt mutari: alia interna, ratione principii interni, quod agere poteſt vel non agere; hæcque eſt in cauſis liberis, illa tum in liberis, tum in neceſſariis.

Circa ens neceſſarium hæc pronuntiata ſunt. 1. *Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.* 2. *Omne quod eſt, quando non eſt, neceſſe eſt non eſſe.* 3. *Neceſſitas abſoluta excludit omnem contingentiam.*

Circa ens contingens, vnicum ſit: *Contingentia nonniſi ex cauſis proximis æſtimanda eſt*; poteſt quippe aliquid eſſe contingens, licèt neceſſarius ſit influxus cauſæ remotæ: ſic licèt cauſa ſuprema ſit neceſſaria, tamen effectus poteſt eſſe contingens propter proximam cauſam contingentem; hinc radix contingentiæ non eſt ex Dei voluntate repetenda. Ratio à priori eſt, quia quidquid non influit proximè in eſſe, id non poteſt cauſa eſſe, vt hoc ſit tale vel non tale, vt aliter vel non aliter ſe habere poſſit.

IV. Quarta, in ens naturale & ſupernaturale. Naturale eſt, quod enti creato ſecundùm principia eidem intrinſeca convenit. Supernaturale, quod à nulla ſubſtantia creata ex principiis intrinſecis exigitur, ſed eſt ſupra omnem naturæ exigentiam, vt gratia.

V. Quinta, in ens eſſentiæ & ens exiſtentiæ; de vtroque §. 2. agemus.

v i. Sexta, in ens reale & ens rationis, de quo fusè in Logica tom. 1. par. 1. diſp. 4.

v i i. Septima, in ens vniverſale & ſingulare, de quo tom. 1. Log. part. 2. diſp. 1.

v i i i. Octava, in ens ſubſtantiale & accidentale, de quo tom. 1. Log. part. 3. diſp. 3.

i x. Nona, in decem prædicamenta, de quibus tomo 1. Log. part. 3. tum vniverſim, tum ſingillatim à nobis eſt diſputatum.

## §. II. *An eſſentiæ rerum ſint aliquid poſitivum & reale, antequam exiſtant.*

TRIPLEX hujus quæſtionis ſenſus eſſe poteſt. Primus, an rerum eſſentiæ habeant quoddam eſſe eſſentiæ extra Deum æternum improductum, non ſolùm antecedenter ad efficientiam, ſed etiam ad ſcientiam Dei. Secundus, an ſint aliquid poſitivum in omnipotentia Dei. Tertius, an præter eſſe poſitivum quod habent in omnipotentia Dei, habeant eſſe reale, quatenus ens reale opponitur entibus chimæricis & impoſſibilibus, ſeu prout non habet repugnantiam ad eſſe. Ut ſolvatur quæſtio, juvat hîc quædam obſervare.

1. Ens ſumitur vel vt participium, vel vt nomen. Ut participium, ſignificat id quod actu exiſtit: vt nomen, id quod habet eſſentiam abſtrahendo ab eo quòd eſſentia ſit poſſibilis vel actualis. Hinc

i i. Ens ſimpliciter & ſine addito & exiſtens aliquo modo diſtinguuntur. Ratio eſt, quia ens ſimpliciter ſignificat habens eſſentiam, ſive exiſtat actu, ſive potentiâ tantùm: exiſtens verò

ſignificat ſimpliciter id quod habet exiſtentiam actu : vnde differunt duæ iſtæ propoſitiones, *Omnis homo eſt ens: Omnis homo eſt exiſtens.* Illa enim eſt ſempiternæ veritatis, quia ens prædicatur eſſentialiter ; hæc autem falſa, quia τὸ exiſtens prædicatur accidentariò de homine.

III. Diſtinguuntur itaque inter ſe eſſentia; eſſentia poſſibilis, & eſſentia actualis. Eſſentia ſecundùm ſe, eſt id per quod vnaquæque res conſtituitur, & ab omni alia re diſtinguitur, determinaturque ad certum gradum entis : ſeu id quod eſt primum in re, & à quo cætera fluunt : ſeu per ordinem ad intellectum, id ſine quo res nec eſſe primò, nec concipi poteſt. Tria ergo ad eſſentiam requiruntur, 1. quòd ſit rei conſtitutiva; 2. quòd ſit diſtinctiva ejuſdem ab alio; 3. quòd ſit radix omnium affectionum. Porrò dum dicitur diſtinctiva, id non debet intelligi de omnibus gradibus eſſentialibus : dantur enim multi gradus genetici & communes, in quibus cum aliis entibus res convenit, ſed de gradibus vltimis, per quos vltimò completur, & ab aliis diſtinguitur. Sic homo per ſenſitivum convenit cum equo, ſed per rationale ab eodem diſtinguitur. Eſſentia, vt poſſibilis, eſt eſſentia, vel vt continetur in virtute cauſæ, à qua produci poteſt, & ſic dicitur poſſibilis phyſicè : vel prout non involvit contradictionem, & ſic dicitur poſſibilis metaphyſicè. Eſſentia actualis, eſt eſſentia actu exiſtens, ſeu extra cauſas poſita.

IV. Reale, aliud ſimpliciter, aliud ſecundùm quid. Reale ſimpliciter eſt, quod eſt actu exiſtens ſeu extra cauſas poſitum. Reale ſecundùm quid idem eſt ac poſſibile, ſive poſſibile ſit phyſicè,

vt appellat potentiam productricem, in qua continetur; ſive metaphyſicè, vt eſt non repugnans. Porrò cum ens reale attribuitur rerum eſſentiis, non debet attribui ſine modificatione, qua dicatur expreſſè reale poſſibile, aut aliquo modo reale, nempe vel phyſicè reale, quatenus eſt in potentia productrice; vel logicè ac metaphyſicè reale, quatenus non involvit contradictionem. Ratio eſt, quia quidquid non ſimpliciter & abſolutè, ſed in aliquo tantùm ſenſu rei attribuitur, non eſt ſimpliciter & abſolutè eidem tribuendum, ſed cum modo, quo tali ſubjecto convenit: ſic lignum ex quo poteſt fieri Mercurius, non dicitur ſimpliciter Mercurius, ſed Mercurius potentiâ, aliàs propoſitio eſſet falſa: hinc Ariſtoteles 9. Metaph. tex. 7. negat ſimpliciter eſſe de iis quæ ſunt tantùm potentiâ: *Non exiſtentium*, inquit, *quædam poteſtate ſunt: non ſunt autem, quia non ſunt actu.* His obſervatis ſit

I. ASSERTIO. Rerum eſſentiæ, antequam exiſtant, non ſunt ſimpliciter extra Deum, adeóque nihil habent poſitivum. Ita D. Thomas q. 3. de potentia. a. 3. ad 2. Oviedo in Metaph. controv. 2. punct. 1. num. 5. Suares Gran. in Metaph. diſp. 31. ſect. 2. vbi docet hanc doctrinam eſſe certam ſecundùm fidem, meritóque inter errores opinionem Wicleffi recenſeri, qua pugnabat creaturas habere ab æterno aliquod eſſe reale diſtinctum ab eſſe Dei. Probatur 1. Si eſſentiæ rerum haberent ab æterno aliquod eſſe reale & poſitivum extra Deum, vel illud eſſet creatum à Deo, vel non creatum: neutrum dici poteſt. Non primum, quia nihil creatum exiſtere ab æterno, fides docet, Gen. 1. *In principio Deus*

*creavit cœlum & terram.* Non ſecundum; ſi enim non ſit creatum, ergo eſt increatum, ergo ens à ſe, ergo Deus.

Confirmatur 1. ex 1. capite D. Joannis: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* 2. Quia illæ creaturæ quæ haberent illud eſſe increatum, non acciperent à Deo: ergo poſſent gloriari ſe habere aliquid ex ſe quod à Deo non accepiſſent: at id repugnat Paulo 1. ad Cor. c. 2. *Quid habes quod non accepiſti?* Denique SS. Patres paſſim inculcant, quidquid à Deo factum non eſt, vel Deum eſſe, vel nihil eſſe. Ita Delugo lib. de Trinit. c. 6. Cyrillus lib. 1. Joa. c. 6.

II. Assertio. Eſſentiæ rerum, ſi ſumuntur pro eſſe quod habent in omnipotentia, à qua produci poſſunt, ſunt verè reales, ſed cum reſtrictione.

Probatur prima pars: quia eſſentiæ rerum verè continentur in omnipotentia divina, vt eminentiæ quædam virtuales ejuſdem omnipotentiæ, à qua dicuntur poſſibiles ab æterno poſſibilitate activa potentiæ divinæ, in cujus virtute continentur.

Probatur ſecunda ex obſervatione quarta: reale enim, vt appellat potentiam activam in qua continetur, eſt tantùm reale potentiâ: at reale potentiâ eſt reale cum reſtrictione; vnde de eo poteſt dici quòd non ſit, ex Ariſtotele ibidem citato.

III. Assertio. Eſſentiæ rerum ſunt reales ab æterno, ſeu ens reale potentiâ, ac proinde non ſunt purum nihil.

Probatur: ex diviſione generali entis in ens reale potentiâ, & in ens reale actu, creaturæ ab

æterno ſunt ens aliquo modo; ſunt enim magis ens quàm chimæra: ergo vel ens reale potentiâ, vel ens reale actu. Non ens reale actu, vt confecimus aſſertione prima; ergo ens reale potentiâ.

Probatur 2. Illud eſt reale, de quo verè affirmantur & verificantur prædicata realia. De homine v. g. ſecundùm ſe ſumpto, ſive exiſtat, ſive non exiſtat, verè affirmantur & verificantur prædicata realia, nempe prædicata eſſentialia, putà quòd ſit animal, vivens, ſubſtantia, &c. illæ enim propoſitiones ſunt ſemper veræ, vt probavimus Tom. 2. Log. part. 4. appendice ad §. 4. pag. 88. Omnis autem veritas propoſitionis affirmativæ fundatur in aliquo eſſe, ſicut veritas negativæ in aliquo non eſſe. Denique quidquid opponitur contradictoriè non enti, debet eſſe ens: eſſentiæ poſſibiles opponuntur contradictoriè non enti ſeu impoſſibili. Nam prout objiciuntur ſimplici Dei intelligentiæ, non ſunt quid chimæricum & impoſſibile: ergo differunt à chimæra: per quid autem differunt niſi per ens? Deinde nonne Deus per ſcientiam mediam de Angelis qui nunquam erunt, cognoſcit quid facerent, ſi verè crearentur, & in tali circunſtantiarum flexu ponerentur? vtique. Jam quæro, an de chimæricis entibus id ipſum cognoſcat; minimè. Igitur Angeli illi ſunt aliquid reale, & verè poſſibiles, non tantùm poſſibilitate extrinſeca, quâ continentur in omnipotentia Dei, ſed etiam poſſibilitate ſibi intrinſeca & logica, quia non repugnat illos exiſtere.

Ut autem pleniùs intelligas vnde poſſibilitas rei petenda ſit, obſerva duplicem eſſe ſententiam de rerum poſſibilitate.

Prima totam rei poſſibilitatem petit à virtute cauſæ, vultque eſſe denominationem petitam à cauſa fœcunda & potente producere. Itaque in hac ſententia poſſibilitas creaturarum activè ſumpta, eſt omnipotentia Dei inſtructa ideis rerum faciendarum, & connotans negationem illarum : poſſibilitas verò paſſivè ſumpta, eſt denominatio extrinſeca petita ab omnipotentia divina ideis rerum faciendarum inſtructa, & negationem illarum connotante. Unde tres illæ propoſitiones: *Antichriſtus eſt poſſibilis : Antichriſtus eſt potentiâ : Antichriſtus eſt in potentia* ; ſunt in ſenſu reali æquipollentes, in quibus non affirmatur exiſtentia de Antichriſto, ſed potiùs negatur indirectè ; ſenſuſque eſt, Antichriſtus quidem non exiſtit, ſed exiſtit potentia Antichriſti productrix : quemadmodum dum dicitur, Homerus eſt Poëta, non affirmatur Homerum exiſtere in ſe, ſed per poëſim ; vnde non licet inferre ſimpliciter : ergo Homerus eſt ; ſed tantùm : ergo Homerus eſt in poëſi, ſeu Homeri poëſis eſt. Sic ex hac propoſitione, *Antichriſtus eſt poſsibilis*, non licet inferre, ergo Antichriſtus eſt ; ſed tantùm : ergo Antichriſtus eſt in potentia, ſeu Antichriſti eſt potentia productrix. Quare hæc ſententia totam rei poſſibilitatem repetit à potentia divina, tanquam à cauſa adæquata & vltima : Antichriſtus enim dicitur poſſibilis, quia continetur in potentia Dei productiva; hircocervus autem impoſſibilis, quia non eſt potentia illius productrix in Deo.

Secunda ſententia duplicem cauſam agnoſcit poſſibilitatis & impoſſibilitatis rerum, remotam & proximam. Remota eſt non repugnantia rei ſecundùm ſe, vel repugnantia rei ſecundùm ſe;

proxima eſt omnipotentia Dei. Quare ſic vrget contra reſponſionem datam. Poſſibilitas rei non tantùm peti poteſt ab omnipotentia divina, ſed etiam ab ipſa non-repugnantia rei ſecundùm ſe, quatenus nullam involvit contradictionem: ergo falſum eſt omnipotentiam Dei eſſe cauſam adæquatam poſſibilitatis rei. Probatur antecedens: Debet eſſe aliquid in homine per quod ſit poſſibilis, & in chimæra aliquid per quod ſit & dicatur impoſſibilis independenter à potentia divina: ergo poſſibilitas & impoſſibilitas rei non petitur ab omnipotentia divina, tanquam à cauſa adæquata. Probatur ant. Homo ante exiſtentiam differt à chimæra etiam ratione ſui; tum quia ſi chimæra non eſt magis impoſſibilis quàm homo, potentia Dei tam debebit ſe extendere ad chimæram quàm ad hominem; potentia Dei finiet & terminabit ſe ipſam; tum quia vlterior ratio poteſt reddi, cur homo ſit poſſibilis, chimæra autem impoſſibilis, quàm præcontinentia hominis in omnipotentia. Nam quærenti, quare in Deo ſit potentia hominis producendi, non chimæræ, rectè reſpondetur, quia homo ſecundùm ſe non repugnat, chimæra autem repugnat: tum quia Petrus poſſibilis eſt objectum omnipotentiæ divinæ, perinde ac illius ſcientiæ, adeóque ab omnipotentia diſtinctum, quia idem non eſt ſui ipſius objectum. Certè dum Deus cognoſcit Petrum, cognoſcit aliquid præter ſe, quia Petrus poſſibilis non eſt Deus; aliàs Deus eſſet ſubjectum hujus propoſitionis, *Petrus eſt poſsibilis*; quod falſum eſt. Diſtinguenda itaque duplex poſſibilitas; altera rei extrinſeca ſeu phyſica: altera rei intrinſeca ſeu metaphyſica & logica. Res dicitur poſſibilis ex-

trinſecè & phyſicè ab omnipotentia divina, à qua produci poteſt, quia in ejus virtute & efficientia præcontinetur: poſſibilis autem intrinſecè, metaphyſicè & logicè, quatenus ejus eſſentia ex ſe non eſt repugnans, ſive ejus conceptus quidditativus non implicat contradictionem. Hinc

Conciliari vtcunque poſſunt ambæ ſententiæ, quia quælibet vera eſt ſuo ſenſu. Prima enim pugnat eſſentias rerum nihil eſſe ab æterno, hoc eſt, non actu exiſtere: quod ſecunda vltro admittit. Secunda pugnat eſſentias poſſibiles habere rationem entis realis, etiam antecedenter ad omnipotentiam divinam, prout ens reale opponitur entibus chimæricis: quod prima, ſi rem attentè conſideret, non negabit. Prima ſumit vbique ens, vt participium, adeóque vt adſignificat tempus. Quem errorem refutavimus tom. 1. Log. par. 4. append. ad §. 4. a. 2. diſp. 2. de prima mentis oper. Secunda ſumit nominaliter, vt ſumi debet in propoſitionibus eſſentialibus & neceſſariis.

IV. Assertio. Rerum eſſentiæ non ſunt improducibiles ſeu ingenerabiles. Ita Ariſtoteles contra Platonem. Probatur: Socrates v. g. fit liberè à Deo non tantùm ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ſed etiam ſecundùm eſſe eſſentiæ: & triangulus dum fit ab artifice, producitur tam ſecundùm eſſe eſſentiale actuale, quàm ſecundùm exiſtentiam; hinc eſſentia dicitur contingens ſecundùm fieri, quamvis ſecundùm connexionem prædicati cum ſubjecto ipſa eſſentia dicatur æterna & ingenerabilis. Hinc, vt jam notavi, in eſſentia rei tria diſtingui debent, poſſibilitas eſſentiæ, exiſtentia eſſentiæ, & eſſentia ſecundùm ſe, id eſt, ſecundùm connexionem objectivam attributorum eſſen-

tialium : quo ſenſu eſſentia dicitur ingenerabilis, incorruptibilis & æterna, ſaltem negativè. At

Quæres quomodo diſtinguantur poſſibile, futurum & exiſtens. Reſp. in hoc diſtingui, quia poſſibile dicitur quod non eſt, ſed poteſt eſſe: exiſtens eſt id quod actu eſt ſeu extra cauſas: futurum, quod non eſt actu extra cauſas, ſed eſt determinatum in cauſis, ideóque eſt medium inter poſſibile & exiſtens: quare poſſibilitas extrinſeca ſeu phyſica nihil addit eſſentiæ præter relationem ad cauſas indeterminatas: futuritio eſt relatio ad cauſas determinatas: exiſtentia denique eſt relatio eſſentiæ ad cauſas, extra quas eſt poſita, & dici poteſt extrapoſitio. Nam exiſtere eſt ſtare extra; ergo extra id intra quod priùs erat res: at priùs res erat intra cauſas: ergo per exiſtentiam ponitur & ſiſtitur extra cauſas.

Ut duplex eſt poſſibile, ita duplex eſt impoſſibile. Impoſſibile relatum ad cauſam eſt id quod non continetur in virtute vllius cauſæ. Impoſſibile ſecundùm ſe eſt id quod repugnantiam ſeu contradictionem involvit in ſuo conceptu objectivo. Illud opponitur poſſibili primo ſenſu accepto, hoc poſſibili ſecundo ſenſu. Sic chimæra eſt impoſſibilis extrinſecè, quia nulla cauſa eſt in cujus virtute contineatur: intrinſecè verò, quia meditanti conceptum objectivum chimæræ contradictio apparet in eodem ob incompoſſibilitatem duarum naturarum per ſe vltimò completarum & in vnam coaleſcentium.

Pura poſſibilitas ſupponit indeterminationem in cauſa, ſed virtutem quæ determinari poſſit; futuritio determinationem in cauſa productrice; exiſtentia determinationem rei extra cauſas.

Præterea poſſibile dicitur duobus modis. Aliud enim poſſibile eſt potentiâ excludente actum: ſic alter mundus eſt poſſibilis. Aliud potentiâ includente actum: ſic mundus quem incolimus, eſt poſſibilis. Primo ſenſu opponitur exiſtenti; ſecundo, impoſſibili. Hinc

Triplex ſtatus entis ab alio. Primus eſt ſtatus poſſibilitatis, cui opponitur ſtatus impoſſibilitatis. Secundus eſt ſtatus futuritionis, cui opponitur ſtatus præteritionis; futurum enim, quà futurum, præteritum eſſe nequit. Tertius denique, ſtatus exiſtentiæ ſeu actualitatis, à quo res habet vt actu exiſtat.

## §. II. *Diluuntur objecta.*

QUÆDAM argumenta pugnant res eſſe actu ab æterno; quædam eſſe tantùm potentiâ.

Objicies 1. Antequam res actu exiſtat, connexa eſt cum Dei omnipotentia, & ejus cognitionem terminat: ergo habet aliquod eſſe per quod terminet.

Reſp. diſt. conſ. habet aliquod eſſe actuale extra Deum, nego: aliquod eſſe poſſibile, concedo. Porrò ſecundùm eſſe poſſibile Dei cognitionem terminat, non ſecundùm eſſe actuale, quod nullum eſt ab æterno.

Objicies 2. Quidquid ponitur actu in prædicamento, actu exiſtit: rerum eſſentiæ antequam productæ ſint, ponuntur in prædicamento: ergo antequam productæ ſint, verè ſunt.

Reſp. nego majorem. Ponuntur enim in prædicamento ſecundùm prædicata propria, ſive actu exiſtant, ſive tantùm potentiâ; res enim ponun-

tur in categoria non ratione exiſtentiæ, ſed ratione eſſentiæ, ad quod ſatis eſt, ſi ſint reales vel actu, vel potentiâ.

Inſtabis: Res ponuntur abſolutè in prædicamento: ergo ponuntur ſecundùm id quod ſunt, non ſecundùm id quod poſſunt eſſe.

Reſp. diſt. conſ. ſi ſint prædicata neceſſaria, nego: ſi ſint prædicata contingentia, concedo. Nam in prædicatis contingentibus requiritur exiſtentia actualis. Hinc propoſitio iſta, *Petrus qui nondum eſt, eſt beatus*; abſolutè falſa eſt, quia prædicata contingentia, cujuſmodi eſt beatitudo, non poſſunt affirmari de ſubjecto non exiſtente.

Objicies 3. Si eſſentiæ ſunt poſſibiles ab æterno; quæ creantur, fiunt ex eſſentia, ita vt in productione eorum exiſtentia phyſicè adveniat eſſentiæ: at hoc fieri non poteſt: ergo, &c.

Reſp. nego majorem; non enim ex eſſentia res fit, ſed ipſa eſſentia, quæ non habet repugnantiam ad eſſe, fit ſimpliciter ac totaliter, ac proinde creatur.

Objicies 4. Eſſentiæ rerum ab æterno ſunt purum nihil: ergo non ſunt poſſibiles ſecundùm ſe ab æterno.

Reſp. diſt. ant. ſunt purum nihil actuale, concedo: ſunt purum nihil poſsibile, nego; nam opponuntur magis chimæræ quàm non ens.

Inſtabis 1. Illud eſſe quod habent, vel eſt dependens à Deo, vel independens.

Reſp. eſt dependens potentiâ, non actu. Certè dependentia eſt appendix entis: ergo ſi ens eſt tantùm poſſibile, dependet tantùm potentiâ.

Inſtabis 2. Illud ens poſſibile vel creatum eſſet, vel increatum.

Reſp. eſſe creabile, ſicut eſt poſſibile.

Inſtabis 3. Illud creabile vel eſt extra Deum, vel Deus ipſe ab æterno.

Reſp. diſt. eſt aliquid extra Deum actu, nego; potentiâ, ſubdiſtinguo: eſt aliquid præter Deum potentiâ phyſicâ & extrinſecâ, nego; potentiâ logicâ & intrinſecâ, concedo: eſt enim non repugnans ad exiſtendum.

Inſtabis 4. Illud poſſibile ſeu ens potentiâ vel contineretur in Deo virtualiter, vel non contineretur.

Reſp. contineri virtualiter; vnde dicitur poſſibile phyſicè, quatenus continetur in potentia Dei.

Inſtabis 5. Quidquid eſt in Deo, eſt Deus: ergo ens poſſibile eſt Deus.

Reſp. diſt. eſt Deus ſecundùm id quod eſt actu, concedo; ſecundùm id quod eſt potentiâ, ſubdiſtinguo: ſecundùm id quod eſt potentiâ phyſicâ, concedo; logicâ, nego. Certè virtuales creaturarum eminentiæ ſunt idem realiter cum eſſentia divina, quia Deus ſibi identificat quidquid eſt in Deo.

Objicies vltimò: Saltem Deus videt illas non repugnantias ab æterno ſimul & ſemel: ergo videt infinitum actu.

Reſp. illas non repugnantias non eſſe actu determinato ex parte ſui; nec proinde Deus eas videt ex parte objecti actu determinatas. Deinde videt eas quomodo res ſunt poſſibiles: at non ſunt poſſibiles, niſi vt hoc & aliud: vnde Deus non poteſt dicere præcisè quot videat, quia videt non tot quin plures. Sed de hoc argumento vide plura in Phyſica, vbi egimus de infinito.

Quæres hîc, quomodo eſſentia in potentia differat à ſe ipſa, quatenus eſt in actu. Reſp. differre vt non ens phyſicum ab ente phyſico; ita tamen vt in vtroque ſtatu ſit ens logicè ac metaphyſicè ſumptum. Patet ex dictis. Non enim eſt actu realiter extra Deum ab æterno; & tamen eſt non repugnans, nec involvens contradictionem, quo ſenſu dicitur reale, prout ens reale eſt oppoſitum impoſſibili; non autem vt eſt realiter exiſtens. Porrò diſtinctio eſſentiæ poſſibilis à ſe ipſa exiſtente, eſt negativa realis, vt docet Suares, quia alterum illius extremum eſt ens, & alterum non ens. Hæc tamen diſtinctio non impedit quin inter rem exiſtentem & ſe ipſam poſſibilem identitas quædam ſit in ratione entis metaphyſicè ſumpti, quia vtrique convenit non repugnantia ad exiſtendum. Deinde quædam ineſt etiam phyſica identificabilitas, quatenus illud ipſum quod eſt poſſibile & non exiſtens, poteſt eſſe ipſum ens actu in ſenſu diviſo puræ poſſibilitatis. Sic enim non ens ſeu non exiſtens fiet ens ſeu exiſtens, non quidem quatenus non ens, ſed quatenus poſſibile.

## §. III. *Quomodo eſſentia & exiſtentia diſtinguantur inter ſe.*

I. Observatio. DUPLEX poteſt eſſe exiſtentiæ conceptus; primus ſecundùm naturam, ſecundus quoad nos. Primus eſt, quo res exiſtens re ipſa diſtinguitur à re non exiſtente, nihilque eſt aliud, quàm relatio eſſentiæ ad ſuas cauſas, extra quas dicitur eſſe poſita: & ſic dici poteſt extrapoſitio ſeu poſitio rei extra cauſas;

eſſentia enim creata non ponitur in rerum natura, niſi per cauſas: hinc exiſtentia creata definitur, vltima actualitas, quâ res ponitur & ſiſtitur extra omnes ſuas cauſas. Secundus eſt id quo primùm diſtinguimus exiſtens à non exiſtente, ideóque eſt relatio ad aliquid præſens; id enim dicimus exiſtere, quod coexiſtentiam habet cum aliquo præſente. His poſitis

Triplex eſt ſententia circa diſtinctionem exiſtentiæ ab eſſentia. Prima diſtinguit realiter, vt modum à re modificata: ſecunda, virtualiter tantùm & conceptu objectivo: tertia, & re & conceptu pugnat eſſe planè idem.

I. Assertio. Exiſtentia entis creati non diſtinguitur realiter ab eſſentia, vt modus à re modificata. Probatur. Ita Alexander 7. Metaph. ad tex. 22. Suares in Metaph. diſp. 31. & Scoti aſſeclæ. Probatur 1. ex Ariſt. 4. Metaph. tex. 3. *Idem & vnum eſt, ens homo & homo*, id eſt, homo exiſtens, & homo vt ſic, ſeu quoad eſſentiam ſumptus. Deinde ſubjungit: *Non enim ſeparantur in generatione & corruptione.* Duo ex hoc loco licet colligere. Primum, per *ens homo*, intelligi hominem exiſtentem, qui generatur & corrumpitur. Secundum, eſſentiam hominis verè fieri in generatione, & corrumpi phyſicè, dum deſtruitur, adeóque per ſe ipſam exiſtere.

Probatur ratione. Prima ſit: nulla eſt neceſſitas diſtinguendæ realiter exiſtentiæ ab eſſentia rei: ergo non diſtinguitur realiter. Probatur ant. Hoc ipſo præcisè quo res producitur & conſervatur, ſublatâ quacunque aliâ formâ realiter diſtinctâ, non poteſt non eſſe exiſtens; terminus enim actionis productivæ eſt aliquid productum,

adeóque actu exiſtens, cùm eſſet antea tantùm poteſtate: ergo nulla eſt neceſſitas diſtinguendæ realiter exiſtentiæ ab eſſentia rei. Deinde eſſentia exiſteret ante illam exiſtentiam, quia eſſentia deberet in ſe exiſtentiam recipere, tanquam formam à ſe diſtinctam: ergo deberet priùs natura exiſtere, ac proinde exiſtere ante formam per quam haberet exiſtere; & ſic effectus formalis prior eſſet forma ſui conſtitutiva, quæ prorſus inutilis foret.

Secunda: non eſt admittendus proceſſus in infinitum in rebus: ſi exiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia, datur proceſſus in infinitum in rebus. Ut enim eſſentia exiſtit per exiſtentiam realiter ſibi ſuperadditam; ita ipſa exiſtentia per aliam exiſtentiam exiſtet, & ita deinceps: ideo enim eſſentia additam ſibi entitatem exigit, quia tranſit de potentia objectiva ad actum: at exiſtentia tranſit quoque de pura potentia ad actum, quippe quæ antea non eſſet, & jam ſit: ergo per aliam exiſtentiam.

Denique ſeparetur exiſtentia ab eſſentia, ſaltem divinitus; quid enim eſt implicantiæ? Tum certè eſſentia exiſtentiæ ſuæ ſuperſtes ſe ipſâ exiſtet, & quidem ſine modo exiſtentiæ ſuperaddito: ergo ipſa rei eſſentia poteſt abſque illo modo exiſtere. Itaque exiſtentia rei nihil aliud eſt, quàm ipſa rei entitas extra cauſas poſita per actionem productricem.

II. Assertio. Exiſtentia, licèt re idem ſit cum eſſentia, tamen conceptu objectivo ab eadem diſtinguitur. Probatur 1. ex Ariſtotele 2. poſt Anal. c. 7. *Aliud eſt*, inquit, *homo, & hominem eſſe*, id eſt, exiſtere: at non eſt aliud realiter,

vt confeci aſſert. 1. ergo eſt aliud virtualiter & conceptu objectivo.

Probatur 2. Illa diſtinguuntur virtualiter, quæ fundant diverſos conceptus objectivos inadæquatos: eſſentia & exiſtentia fundant diverſos conceptus objectivos inadæquatos; nam eſſentia concipitur, vt potentia; exiſtentia, vt actus: eſſentia creatur, cognoſcitur à me, præſcindendo ab eo quòd exiſtat, vel non exiſtat, imò aliter definitur quàm exiſtentia. Demum exiſtentia eſt prædicatum contingens reſpectu actualis eſſentiæ ſpecificativè ſumptæ & ſecundùm ſe. Porrò hîc ago de eſſentia actuali, quæ ab eſſentia poſſibili diſtinguitur, vt ens à non ente, vt jam obſervavi.

## §. IV. *Diluuntur objecta.*

EX argumentis, quæ contra doctrinam noſtram proponuntur, quædam impugnant identitatem realem exiſtentiæ cum eſſentia: quædam ne ratione quidem ratiocinata diſtingui pugnant. Singulis ordine ſatisfacio.

Objicies 1. Illa diſtinguuntur realiter, quorum vnum prædicatur eſſentialiter & in quid, & alterum contingenter & in quale: eſſentia prædicatur eſſentialiter & in quid, exiſtentia contingenter & in quale: ergo diſtinguuntur realiter. Major probatur, quia prædicata contraria & contradictoria arguunt diſtinctionem realem.

Reſp. nego majorem, & illius probationem; ſufficit enim diſtinctio virtualis & cum fundamento in re. In Petro relatio ſimilitudinis, quam habet ad Paulum, in ratione hominis, prædica-

tur contingenter, & natura humana eſſentialiter de vtroque; & tamen identificantur.

Objicies 2. Ea diſtinguuntur realiter, quorum vnum perit, altero remanente: exiſtentia perit, manente eſſentia: ergo exiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia.

Reſp. diſtinguo minorem: exiſtentia perit ſecundùm eſſe actuale, concedo; ſecundum eſſe poſſibile, nego. Itaque exiſtentia eſt realiter idem cum eſſentia actuali, licèt eſſentia poſſibilis non ſit idem; hinc eſſentia poſſibilis, cum actu nihil ſit, diſtinguitur à ſe ipſa in eſſe actuali, vt non ens ab ente. Deinde vt valeat major, debet id quod manet, manere phyſicè & ſecundùm entitatem, non tantùm metaphyſicè per non repugnantiam ſecundùm eſſe poſſibile: at manet tantum hoc modo eſſentia quæ corrumpitur ſecundùm entitatem, ſicut exiſtentia.

Inſtabis 1. Quæ ſic ſeparari poſſunt, magis diſtinguuntur quàm eſſentia creata, & ejuſdem affectio, v. g. quàm humanitas & riſibilitas, quæ hoc modo diſtingui non poſſunt: at inter humanitatem & riſibilitatem datur diſtinctio rationis ratiocinatæ: ergo eſſentia creata & exiſtentia magis diſtinguuntur, adeoque realiter.

Reſp. diſtinguo majorem: magis diſtinguuntur intra genus ejuſdem diſtinctionis, concedo; vltra genus illius diſtinctionis, nego. Diſtinctio quippe rationis ratiocinatæ habet latitudinem ob majus vel minus fundamentum. Sic eſſentia & exiſtentia habent evidentius diſtinctionis fundamentum, quàm humanitas & riſibilitas, manendo tamen intra latitudinem diſtinctionis virtualis.

Inſtabis

Inſtabis 2. Eſſentia eſt in potentia ad exiſtendum antequam ſit: ergo exiſtentia ab ea realiter diſtinguitur, quia nihil eſt in potentia ad ſe ipſum.

Reſp. diſt. ant. eſſentia eſt in potentia logica ad exiſtentiam, eſto; in potentia phyſica, nego. Univerſale eſt in potentia logica ad exiſtendum in ſuis inferioribus, à quibus tamen non diſtinguitur realiter. Deinde eſſentia eſt in potentia ad exiſtendum hoc ſenſu, quòd ex ſe non implicet contradictionem vt exiſtat, & in Dei potentia præcontineatur à quo poſſit produci, vel non produci. Denique hoc argumentum nihil probat, quia probat exiſtentiam per aliam exiſtentiam debere exiſtere, quia cùm nondum eſt, eſt in potentia ad exiſtendum.

Inſtabis 3. Exiſtentia eſt actus eſſentiæ perfectivus: ergo diſtinguitur realiter ab eſſentia.

Reſp. diſt. ant. actus perfectivus metaphyſicè, concedo: phyſicè, nego; exiſtentia autem perficit metaphyſicè tantùm eſſentiam, non phyſicè; perficit ſecundùm rationem, non ſecundùm rem.

Objicies 3. Id quod eſt ab æterno, diſtinguitur ab eo quod eſt in tempore: eſſentiæ rerum ſunt ab æterno, exiſtentia in tempore: ergo, &c.

Reſp. diſtinguo min. eſſentiæ rerum ſunt ab æterno, vt ſunt poſſibiles ſecundùm ſe, hoc eſt, ſecundùm connexionem objectivam attributorum eſſentialium, concedo; vt ſunt actuales & ſecundùm exiſtentiam, nego: eſſentiæ quippe dicuntur æternæ, quatenus propoſitiones, quæ de iis formaliter ſumptis fiunt, ſunt immutabilis veritatis quæ abſtrahit ab omni tempore. Item nec deſinunt, nec incipiunt per ſe, ſed quatenus ſunt

in individuis, vt aliàs in Logica oſtendimus; quamvis producantur ad productionem individuorum, & deſtruantur liberè à Deo ad eorumdem corruptionem.

Objicies 4. Si eſſentia creata eſt idem realiter cum exiſtentia, ens creatum tam erit ſimplex quàm Deus, quia erit ſine compoſitione potentiæ & actus: at ens creatum deficit à Dei ſimplicitate.

Reſp. 1. nego ſequelam: ens enim creatum in multis deficit à ſimplicitate Dei, licèt exiſtentiam habeat eſſentiæ identificatam. Nam 1. exiſtentia divina eſt de conceptu quidditativo Dei, exiſtentia creata eſt contingens enti creato: hinc propoſitio iſta, *Deus eſt*, neceſſaria eſt; iſta autem, *Socrates eſt*, contingens. Deinde Deus eſt ſuum eſſe, quia ſemper neceſſariò eſt & à ſe ipſo; creatura contingenter exiſtit, & dependenter à libero Dei arbitrio. 3. Ens creatum ſemper includit compoſitionem ex ſubſtantia & accidente, ſeu ex ſubjecto & forma; Deus excludit omnem compoſitionem ex materia & forma. Denique licèt creatura nullam compoſitionem phyſicam ex ſubjecto & forma includeret, non ideo adæquaret ſimplicitatem Dei: ad ſummam quippe ſimplicitatem non ſatis eſt, ſi abſit omnis compoſitio; ſed inſuper opus eſt vt entitas ſimpliciſſima omnem in ſe perfectionem aut formaliter aut eminenter contineat: ſic Deus eſt ſummè ſimplex, quia continet omnia *unicè*, ex D. Dionyſ. de divin. nom. c. 4.

Inſtabis 1. Saltem creatura eſſet actus purus: quia quod non componitur ex eſſentia & exiſtentia, eſt actus purus.

Reſp. neg. rationem actus puri in eo præcisè eſſe poſitam, quòd careat compoſitione reali ex eſſentia & exiſtentia, ſed quòd nullam potentialitatem involvat ad eſſe & non eſſe, nullam compoſitionem ex genere & differentia, ſubjecto & forma; tum eſſentiali, tum accidentali. At ſolus, Deus ita ſe habet: eſt enim ſemper actu, & quidem neceſſariò, & quidquid habet, ſemper actu habet; demum eſt ſua operatio.

Inſtabis 1. Saltem creatura erit ſuum eſſe, quia exiſtentia erit de eſſentia illius, vtpote quæ idem ſit cum ipſa: ergo, &c.

Reſp. nego ant. & ejus probationem diſtinguo: exiſtentia eſt idem formaliter cum eſſentia, nego; eſt idem realiter, concedo. Certè rationale non diſtinguitur realiter ab animali in Petro, nec tamen eſt de conceptu formali animalis, ſed accidens metaphyſicum ſeu logicum reſpectu animalis: ita exiſtentia creata non eſt de conceptu formali eſſentiæ, ſed accidens metaphyſicum creaturæ, quæ ita exiſtit, vt poſſit non exiſtere.

Inſtabis 2. Ex hypotheſi quòd exiſtat creatura, neceſſariò exiſtit. Reſp. diſt. neceſſariò abſolutè, nego; neceſſariò contingenter, concedo: nam iſta propoſitio, *Creatura eſt*, non eſt propoſitio ſimpliciter neceſſaria, quia non ſufficit ad propoſitionem ſimpliciter neceſſariam de ſecundo adjacente neceſſitas hypothetica; ſed abſoluta requiritur, licèt ad propoſitionem neceſſariam de tertio adjacente multi velint ſufficere neceſſitatem hypotheticam. quod nos negavimus in Logica.

Objicies 5. Eſſe creaturæ eſt eſſe receptum in aliquo: ergo in eſſentia, quia non eſt aliud in quo recipiatur: adeóque exiſtentia eſt realiter diſtincta

F ij

ab eſſentia, ſecus idem reciperetur in ſe ipſo. Probatur primum antecedens: quia eſſe irreceptum, eſt eſſe per ſe ſubſiſtens, ex vi ſuæ actualitatis, adeóque perfectiſſimum & infinitum; à quo enim limitaretur? Non à potentia, in qua recipiatur, quia nulla eſt; non ab actu exiſtentiæ, quia exiſtentia eſt vltima actualitas.

Reſp. 1. nego eſſe cujuſlibet creaturæ recipi in aliquo; nam materia prima creatura eſt, nec tamen in alio recipitur, cùm ſit primùm ſubjectum. Ad probationem, nego omne irreceptum ſubſiſtere ex vi ſuæ actualitatis independenter ab extrinſeco, quia quælibet ſubſtantia creata actu ſubſiſtit: formaliter quidem per negationem perfectionis cui vniatur; effectivè autem per ſuas cauſas à quibus producta eſt, & producta conſervatur. Adde quòd falſum ſit, limitationem formæ ex ſubjecto ſolo oriri; aliàs angelus eſſet ſubſtantia illimitata, & accidentia panis in Euchariſtia forent infinita; at vtrumque falſum eſt. Itaque quælibet eſſentia creata dicitur ex eo limitata, quòd certos perfectionis gradus in ſe contineat, & cum tali perfectione, non majori à ſua cauſa effectrice producatur. Poſtremò, creatura habet eſſe receptum in ſe, diſtinguo: ſubjectivè, nego; terminativè, eſto. Non habet ſubjectivè, quaſi recipiat in ſe formam aut actum; habet tamen terminativè, quia verè eſt ens productum ab alio.

Objicies 6. Datur à parte rei eſſentia ſine exiſtentia. Nam humanitas Chriſti eſt in rerum natura, & tamen per exiſtentiam Verbi exiſtit: ergo datur eſſentia ſine exiſtentia ſibi realiter identificata.

Reſp. nego primam propoſitionem & ejus pro-

bationem; nam humanitas Chriſti exiſtit à parte rei per exiſtentiam propriam & ſibi identificatam: non per exiſtentiam Verbi, licèt ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi; actio quippe productiva humanitatis Chriſti terminatur ad exiſtentiam creatam, vel ad ſolam eſſentiam: non ad ſolam eſſentiam, quia eſſentia eſt improducibilis per ſe: ergo ad exiſtentiam creatam humanitatis.

Inſtabis 1. Negant multi Patres exiſtere per exiſtentiam Verbi. 2. Multi docent duplicem in Chriſto non eſſe exiſtentiam.

Reſp. ad 1. meritò negare multos SS. Patres humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam Verbi, quia exiſtit per propriam exiſtentiam formaliter, quamvis dici poſſit, quòd exiſtat per exiſtentiam Verbi terminativè, quia exiſtit in Verbo tanquam in ſuppoſito terminante, à quo exiſtentia illius ſuſtentatur.

Ad 2. SS. Patres volunt tantùm non eſſe duplicem ſubſiſtentiam in Chriſto, quæ non eſt idem formaliter cum exiſtentia, vt poſtea oſtendam.

Inſtabis 2. Eſſentia & ſubſiſtentia diſtinguuntur: ergo à pari eſſentia & exiſtentia.

Reſp. Licèt ſubſiſtentia eſſet modus realiter diſtinctus, non ideo tamen exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia actuali; ſubſiſtentia enim non eſt de conceptu intrinſeco eſſentiæ actualis, ſed potiùs terminus & complementum; exiſtentia autem eſt de conceptu formali eſſentiæ actualis, vt actualis eſt. Reſp. 2. ſubſiſtentiam diſtingui ab eſſentia ſecundùm id quod dicit negativum tantùm, vt poſtea oſtendam.

Objicies 7. in ſecundam aſſertionem. Si eſſentia

& exiſtentia diſtinguuntur virtualiter & objectivè, ſicut in homine animalitas & rationalitas, dabitur proceſſus in infinitum: quia ratio objectiva exiſtentiæ, vt condiſtinguitur à ratione objectiva eſſentiæ, eſt apta ad non exiſtendum, poteſtque ſpectari vel vt poſſibilis, vel vt actualis, & ita fundamentum præbet concipiendis duabus formalitatibus: adde quòd exiſtentia cùm ſuam habeat eſſentiam, hæc vtique exiget exiſtere per aliam exiſtentiam: vnde ſequitur proceſſus in infinitum.

Reſp. nego ſequelam; ad probationem, diſtinguo: ratio objectiva exiſtentiæ eſt apta ad non exiſtendum, per modum ſubjecti privati, nego; per modum formæ contingenter excluſæ, concedo. Scilicet poteſt aliquid eſſe aptum ad non exiſtendum, vel per modum ſubjecti privati, vel per modum formæ contingenter excluſæ. Illud eſt aptum ad non exiſtendum, in quo eſt aptitudo ad formam exiſtentiæ cum carentia illius: illud aptum eſt ad non exiſtendum per modum formæ contingenter excluſæ, quod poteſt per ſe ipſum aptitudinem ſubjecti privati complere, & complendo ſui carentiam tollere. Porrò exiſtentia non eſt apta ad non exiſtendum per modum ſubjecti privati, quia ad hoc deberet diſtingui à ſe ipſa, ſed per modum formæ contingenter excluſæ, quia poteſt per ſe ipſam capacitatem ſubjecti complere, & ſui carentiam, ſi quæ ſit, tollere: vnde exiſtentia non eſt propriè in ſtatu poſſibilitatis: quia quando incipit exiſtere, non propriè dicitur, nec actualitas accipit actualitatem. At bene dicitur, rei eſſentiæ advenit actualitas, quod argumento eſt actualitatem non eſſe ſubjectum privatum, reſpectu exiſtentiæ, adeó-

que hoc ſenſu non eſſe poſſibilem. Aut certè ſi eſt poſſibilis, eſt ſe ipsâ formaliter poſſibilis, quia forma quæ privationi opponitur, apta eſt ſe ipsâ illam tollere.

Inſtabis: Ut exiſtat eſſentia, opus eſt exiſtentia tanquam forma metaphyſica: ergo vt exiſtentia ſit, quæ non erat, opus eſt alia exiſtentia.

Reſp. nego conſeq. ob rationem modò allatam. Certè vt in phyſicis aër detenebroſo fiat lucidus, requiritur forma ab eo diſtincta, nempe lux; vt autem tollatur negatio lucis, ipſa per ſe lux ſufficit: ita in metaphyſicis, eſſentia quæ ante exiſtentiam metaphyſicè aliquomodo erat, vt fiat exiſtens, debet illi exiſtentia advenire, vt quid metaphyſicè diſtinctum; vt autem negatio exiſtentiæ tollatur, ſatis eſt, quòd ipſa eſſe incipiat.

Objicies 8. Exiſtentia eſt de eſſentiali conceptu rei exiſtentis: ergo non diſtinguitur conceptu objectivo ab eſſentia rei. Probatur ant. actualitas eſt de conceptu rei exiſtentis: ſed actualitas eſt formaliter exiſtentia: ergo exiſtentia eſt de conceptu formali rei exiſtentis.

Reſp. diſt. ant. exiſtentia eſt de conceptu rei exiſtentis, vt ſpecificativè ſumptæ, nego ant. formaliter ſumptæ, ſeu quatenus exiſtens eſt, concedo ant. & nego conſequentiam: ergo exiſtentia non diſtinguitur conceptu objectivo ab eſſentia actuali, nego conſ. Quamvis enim exiſtentia actualis ſit eſſentialis enti creato, vt exiſtens eſt, & exiſtentia poſſibilis ſit ipſi eſſentialis, quatenus eſt in ſtatu poſſibilitatis; non ideo ipſi ſunt eſſentialia ſecundùm ſe: ſicut licèt vnio ſit eſſentialis partibus vnitis, vt vnitæ ſunt; non ideo tamen eſt eſſentialis partibus.

## Articulus II.

## *De ſubſiſtentia ſeu ſuppoſito.*

Hæc quæſtio multùm habuit difficultatis apud veteres Philoſophos, quos myſterium Incarnationis latuit. At cùm in Chriſto humanitatem dari fides doceat, quæ completa ſit in ratione naturæ, nec tamen ſubſiſtentia ſua ſtet, ſed aliena; hinc gravis inter Theologos peræquè ac Philoſophos contentio de natura ſubſiſtentiæ ſeu ſuppoſiti. Rem vt definiam, ſit

### §. I. *Quædam obſervanda ad intelligentiam quæſtionis.*

I. Substantia completa definitur, ens per ſe exiſtens, independenter ab omni alio, vt comparte cui vniatur. Incompleta, quæ vnitur alteri ſubſtantiæ, tanquam comparti, vt ex vtraque totum ſubſtantiale perfectius exiſtat. Patet vtraque definitio ex dictis in Logica.

II. Subſtantia completa dividitur in primam & ſecundam. Secunda eſt ſubſtantia vniverſalis, quæ dicitur de ſubjecto, & eſt in ſubjecto, putà animal reſpectu Petri. Prima eſt ſubſtantia individua & ſingularis, quæ nec eſt in ſubjecto, nec dicitur de ſubjecto.

III. Subſtantiæ primæ ſive ſingulari convenit ratio ſuppoſiti, quia eſt ens per ſe ſubſiſtens, & non in alio, tanquam in ſubjecto ſuſtentante.

IV. Subſiſtere variis modis accipitur; latè, ſtrictè, ſtrictiùs. Latè, idem ſonat ac exiſtere

in rerum natura. Strictè, idem ſonat ac non eſſe in alio, per modum accidentis; & ita convenit cuilibet ſubſtantiæ ſive completæ, ſive incompletæ: quo etiam ſenſu humanitas Chriſti dicitur ens per ſe ſubſiſtens. Strictiùs, idem ſonat ac exiſtere per ſe completè & independenter ab alio vt ſuſtentante, ſive ſuppoſito; & ita humanitati Verbi divini non convenit, quia ſubſiſtit non per propriam, ſed per Verbi ſubſiſtentiam. Hinc

v. Subſtantiæ individuæ convenit non eſſe in alio multis modis. 1. Non eſſe in alio, tanquam in ſubjecto inhæſionis; & ſic opponitur accidenti. 2. Non eſſe in alio, tanquam vniverſale in inferiori; & ſic opponitur ſubſtantiæ vniverſali. 3. Non eſſe in alio, vt partem, quia eſt ſubſtantia completa, ſeu in alio vt ſuppoſito.

vi. Triplex itaque eſt perſeitas in ſingulari ſubſtantia. Prima opponitur inhærentiæ accidentium: ſecunda inexiſtentiæ vniverſalium in inferioribus: tertia inexiſtentiæ partium in toto; hinc triplex ſubſtantiæ ſingulari tribuitur incommunicabilitas. Prima, quâ non communicatur, vt accidens ſubjecto: ſecunda, quâ non communicatur, vt vniverſale inferiori: tertia, quâ non communicatur, tanquam pars alicui toti.

vii. Subſtantia individua non idem eſt ac ſuppoſitum. 1. Quia natura divina eſt vna & ſingularis, in qua tria ſunt ſuppoſita, ſeu tres perſonæ. 2. In Chriſto ſunt duæ naturæ ſimul vnitæ, divina & humana; & tamen vnicum eſt ſuppoſitum.

viii. Subſtantia ſingularis, in ratione ſuppoſiti, conſtituitur per ſubſiſtentiam, quæ proinde aliquid ei de novo adjungit, quidquid porrò illud

ſit. Probatur ex prænotato ſeptimo: non idem eſt natura divina & ſuppoſitum: ergo ſuppoſitum aliquid addit naturæ ſingulari, ſive poſitivum ſit, ſive negativum. Item ſi ratio perſonæ ſeu ſuppoſiti nihil eſſet præter naturam ſingularem, Verbum divinum, dum naturam humanam aſſumpſit; aſſumpſiſſet quoque perſonam humanam, quam tamen non aſſumpſit.

IX. Quæſtio ergo eſt, quidnam illud ſit quod addit ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem; an negativum, an poſitivum. Thomiſtæ pugnant addi modum aliquem naturæ, ſive poſitivam perfectionem; ſive modus ille ſit idem ac exiſtentia, ſive ab eadem diſtinguatur realiter. Scotiſtæ contendunt ſubſiſtentiam ſuperaddere ſubſtantiæ creatæ negationem duplicem, nempe negationem communicationis actualis, & negationem communicationis aptitudinalis alteri tanquam ſuppoſito: v. g. ideo Paulum per ſe ſubſiſtere aiunt, quia nec vnitur, nec exigit vniri alteri ſuppoſito; humanitatem verò Chriſti non ſubſiſtere, quià vnitur alteri: denique animam ſeparatam non ſubſiſtere, quia licèt non vniatur, petit tamen vniri alteri. Sunt etiam auctores qui ſubſiſtentiam in collectione accidentium poſitam velint. Sed antequam quæſtionem definiam, vt pateat magis ratio ſuppoſiti, ſit

X. Hypoſtaſis, ſuppoſitum & ſubſiſtentia promiſcuè pro eodem ſumuntur.

XI. Suppoſitum differt à perſona, vt vniverſalius à minùs vniverſali; perſona enim tribuitur tantùm naturæ intellectuali, ſicut hypoſtaſis, vt quibuſdam placet: vnde perſona definitur, ſuppoſitum naturæ intelligentis. Contrà verò, ſup-

poſitum & ſubſiſtentia dicuntur de quacunque natura completa.

XII. Perſonalitas, ſuppoſitalitas, & ſubſiſtentia, vt ſumuntur in abſtracto, nihil aliud ſunt quàm id quo perſona formaliter conſtituitur in ratione perſonæ, aut ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti.

XIII. Olim apud Græcos hypoſtaſis ſumebatur pro οὐσία, hoc eſt, pro natura: vnde negabant tres eſſe in Deo hypoſtaſes, ne tres in Deo naturas agnoſcere viderentur. Sed poſtea ex communi tum Latinorum, tum Græcorum Patrum conſenſu factum eſt, vt οὐσία Græcorum, & ſubſtantia Latinorum pro eſſentia ſeu natura ſumerentur, hypoſtaſis verò apud Græcos idem ſignificaret, quod apud Latinos ratio ſuppoſiti. Quare ab eo tempore Græci in Deo vnicam οὐσίαν & tres hypoſtaſes admiſere; Latini verò vnicam naturam ſeu ſubſtantiam, & tria ſuppoſita ſeu perſonas agnovere.

XIV. Porrò ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum dicitur terminus naturæ vltimus, complementum naturæ vltimum, perfectio vltima. Duplex quippe genus perfectionis in homine: alia naturalis, quæ eſſentiam conſtituit, ſpectatque operatrices facultates, ipſamque exiſtentiam complectitur per quam res exiſtit in rerum natura; alia perſonalis, quæ pertinet ad perſonæ ipſius conſtitutionem: & ita in homine datur actus eſſentiæ, per quem eſſentia phyſica conſtituitur: talis eſt anima rationalis in homine; & præterea actus ſubſiſtentiæ per quem conſtituitur in ratione perſonæ. Subſiſtentia autem dicitur complementum & terminus naturæ ſubſtantialis vltimus: quia illâ ſemel

acquiſitâ, nihil ſupereſt ampliùs à quo ſubſtantia perfici poſſit in ratione ſubſtantiæ.

## §. II. *Quid addat ſubſiſtentia, ſeu ratio ſuppoſiti ad naturam.*

I. ASSERTIO. SUBSISTENTIA non addit complexionem accidentium. Probatur 1. quia ſuppoſitum foret tantùm ens per accidens; conſtaret enim tantùm ſubſtantia & accidente. 2. Quia natura humana in Chriſto ſuam habet complexionem accidentium, nempe temperamentum, figuram; nec tamen habet ſubſiſtentiam propriam, ſed alienam.

Objicies 1. Multi è SS. Patribus definiunt ſuppoſitùm per accidentia. 2. Subſiſtentia eſt vltimum complementum: at collectio accidentium eſt vltimum ſubſtantiæ complementum: ergo, &c.

Ad 1. diſt. definiunt ſuppoſitum per accidentia, definitione eſſentiali, & ſecundùm ſe, nego; accidentali, deſcriptiva, & quoad nos, concedo. Ad 2. diſt. ſubſiſtentia eſt vltimum complementum accidentale, nego; ſubſtantiale, concedo. Porrò hic quæritur vltimum complementum ſubſtantiale.

II. ASSERTIO. Subſiſtentia non eſt idem formaliter cum exiſtentia rei. Probatur 1. In Chriſto natura humana habet propriam exiſtentiam ſubſtantialem; exiſtentia enim nihil aliud eſt, quàm eſſentia, prout actu eſt extra cauſas; & tamen caret propria ſubſiſtentia: ergo ſubſiſtentia non eſt idem formaliter cum exiſtentia. 2. Quæ habent effectus formales diverſos, non poſſunt eſſe idem:

exiſtentia & ſubſiſtentia habent effectus formales diverſos : ergo non poſſunt eſſe idem. Probatur minor: exiſtentia rem conſtituit in ratione exiſtentis actu; ſubſiſtentia communicat vltimam enti exiſtenti perfectionem, per quam exiſtat independenter ab alio, vt ſuſtentante: hi duo effectus ſunt formaliter diverſi : ergo exiſtentia & ſubſiſtentia habent effectus formaliter diverſos.

Objicies. Richardus à S. Victore 4. de Trin. definit perſonam, naturæ rationalis incommunicabilem exiſtentiam : ergo ſubſiſtentia non diſtinguitur ab exiſtentia ſubſtantiali.

Reſp. diſt. conſeq. non diſtinguuntur ab exiſtentia ſecundùm id quod dicit poſitivè, concedo; ſecundùm id quod dicit negativè, nego. Nam ſubſiſtentia ſecundùm id quod dicit negativè, id tribuit naturæ ſingulari, vt ſit incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito; & ſic habet rationem vltimi complementi ſubſtantialis.

III. Assertio. Subſiſtentia non eſt modus ſubſtantiæ realiter ſuperadditus. Hæc aſſertio eſt contra Suarem Gran. in Metaph. diſp. 34. ſect. 2. Valent. tom. 4. diſp. 1. q. 4. puncto 2. alioſque complures.

Probatur 1. Ex Conciliis & SS. Patribus Chriſtus aſſumpſit omnia, quæ ſunt in homine realia : ſed Chriſtus non aſſumpſit ſubſiſtentiam : ergo ſubſiſtentia non eſt quid reale, ſeu modus realiter diſtinctus à natura humana. Minor eſt de fide. Major probatur 1. ex D. Paulo Hebr. 4. vbi ait Chriſtum tentatum per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato. 2. Ex Concilio Chalcedonenſi 630. Patrum act. 5. in definit. fidei. ſeſſ. 6. vbi vocat Chriſtum per omnia nobis ſimilem

abſque peccato. Idemque inſinuat ſeptima Synodus generalis, quæ eſt Nicæna ſecunda, act. 3. dum confeſſionem Taraſii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani approbat, in qua habetur Chriſtum eſſe conſubſtantialem factum nobis modis omnibus abſque peccato. Sed omnium clariſſimè Concilium Lateranenſe Romanum ſub Martino I. contra Monothelitarum & Acephalorum hæreſim conſultatione 5. can. 9. rem definit his verbis: *Si quis ſecundùm SS. Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem naturales proprietates deitatis ejus & humanitatis indiminutè in eo & ſine deminoratione ſalvatas, condemnatus ſit.*

Conciliis conſentiunt Patres. Damaſcenus lib. 3. de fide orthod. c. 2. *Hominem*, inquit, *totum atque omnia quæ hominis natura fert, ſuſcepit, peccato excepto.* S. Leo ſerm. de Nat. *Integra hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris: noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit.* Athanaſius de Incar. 3. tom. *Quæcunque ipſe in natura formav.rat, ea ſua vo'untate in ſe ipſum recepit.* Atqui hæc omnia ſtare non poſſunt, ſi ſubſtantia ſit modus realiter diſtinctus à natura hominis; nec enim hominem integrè & completè aſſumpſiſſet. Nec dicas Chriſtum aſſumpſiſſe omnia quæ ad naturam pertinent, non autem ea quæ ad perſonam; modum porrò illum ad perſonam pertinere.

Nam 1. Concilia & SS. Patres nihil excipiunt, dum voces iſtas adhibent *indiminutè, omnia, totus in noſtris. Integra hominis perfectaque natura,* quia totus & integer homo, cùm ſit vox in concreto, non ea tantùm quæ ſunt naturæ eſſentia-

lia, ſed ipſam etiam hypoſtaſim includit. Deinde ſubſiſtentia, quamvis non ſit principium conſtitutivum naturæ, tamen eſt vltimum illius complementum. Quin etiam D. Thomas 1. p. q. 29. a. 3. ait perſonalitatem eſſe id quod eſt in tota natura perfectiſſimum, quia conſtituit ipſam ſubſtantialem perfectionem naturæ rationalis, quæ inter omnes naturas ſummum locum tenet: ergo S S. Patres debuiſſent modum ſubſiſtentiæ excipere potiori jure quàm peccatum & ignorantiam: tum quia magis ad naturam pertinet: tum quia major de illo eſſet difficultas. Multi enim ſibi perſuadere potuiſſent Verbum aſſumpſiſſe entitatem modalem; vix autem vllus potuiſſet credere aſſumpſiſſe peccatum & ignorantiam. Quid quòd dum ſolum peccatum & ignorantiam excipiunt à numero eorum quæ Chriſtus aſſumpſit, illa exceptio firmat vniverſalitatem aſſertionis, adeóque probat aſſumptum à Chriſto, quidquid eſt a Deo conditum, cujuſmodi eſſet illa ſubſiſtentia realis?

Probatur 2. Nulla eſt neceſſitas diſtinguendæ realiter illius hypoſtaſeos à natura: ergo non debet realiter diſtingui. Prob. ant. eſſet enim neceſſaria illius diſtinctio, vel vt per eam terminetur, vel vt compleatur, vel vt firmetur in eſſe, vel vt roboretur ad agendum. Non vt terminetur, quia hoc ipſo, quòd natura non eſt apta vniri alteri, aut certè non vnitur alteri perfectiori ſe, intelligitur terminari & incommunicabilis alteri, ad quod ſufficit ſeparatio & diſcretio ab eo cujus acceſſione perfici poteſt. Non vt compleatur, quia hoc ipſo quòd anima rationalis v. g. in homine eſt vnita corpori, reſultat compoſitum in infima ſpe-

cie conſtitutum, quod intelligitur vltimò completum & perfectum, cùm non vnitur alteri vt perfectiori. Non vt firmetur in eſſe, quia modus ille hypoſtaſeos realiter diſtinctus eſt poſterior ipſa natura in qua reciperetur, ſi eſſet: ergo eſſe ipſius naturæ non poteſt ab eo pendere; penderet autem ab ipſo, ſi firmaretur ab eodem in eſſe. Non vt roboretur ad agendum, quia tota vis agendi in entibus manat potiſſimùm à forma ſubſtantiali, quæ pertinet ad conſtitutionem naturæ, & à formis accidentalibus, quæ cuique rei connaturaliter adjiciuntur, vt cernere eſt in Chriſto, quatenus eſt homo, cui nulla deeſt facultas naturalis agendi, quæ hominis propria ſit, quamvis abſit perſonalitas humana: ergo ratio hypoſtaſeos de ſe non eſt actuoſa. Hinc quamvis operationes humanæ tribuantur ſuppoſito *vt quod*, tanquam ſubjecto denominationis; tamen fluunt à formis tum ſubſtantialibus, tum accidentalibus, tanquam à principio *vt quo*.

Confirmatur aſſertio. 1 ex D. Thoma 3. p. q. 4. a. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, ſed propter additionem alicujus quod eſt ſupra humanam naturam, quod eſt vnio ad divinam perſonam.* Et in 3. diſt. 5. q. 3. a. 3. ad 3. *Deponat Chriſtus humanam naturam, ex ſeparatione nihil acquiritur, quod priùs non haberetur. Et ſuppoſito quòd hominem deponeret, ſubſiſteret homo ille per ſe in natura rationali, & ex hoc ipſo acciperet rationem perſonæ.* Ex quibus verbis liquidò patet hoc ipſo quòd à Verbo divino relinqueretur natura humana, & eſſet ab eo ſeparata, in-

dependenter ab omni ſubſiſtentiæ modo realiter diſtincto ſubſtituram.

2. Quæro, an ille modus duplex ſit, an vnicus. Si duplex, quomodo faciet ens per ſe? Si vnicus, quodnam erit ſubjectum illius proximum? an totum, putà humanitas? an vna ex partibus? Non poteſt eſſe in toto, quin ſit in vtraque parte, quia totum nihil eſt præter partes collectim ſumptas. Non in vna tantùm parte, quia homo v. g. ſubſiſteret tantùm quoad illam partem, non quoad aliam, ſicut homo dicitur albus aut niger tantùm ſecundùm corpus, non ſecundùm animam: at abſurdum eſt dicere hominem quoad vnam tantùm partem eſſe perſonam, cùm totus verè perſona ſit, non tantùm denominetur.

## §. III. *An ratio ſuppoſiti creati addat aliquid tantùm negativum.*

HACTENUS entitatem modalem per quam ratio ſuppoſiti conſtituatur, à natura vt ſuperfluam excluſimus. Hîc quæritur, an illud quod ſola ratione diſtinguitur à natura, ſit aliquid poſitivum; an aliquid negativum.

Triplex eſt celebrior ſententia de hac quæſtione. Prima plurium Thomiſtarum, qui pugnant eſſe aliquid poſitivum, licèt realiter indiſtinctum. Secunda, quam videtur tenere Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. num. 9. docet totam rationem formalem hypoſtaſeos in negativo eſſe ſitam, quod ita explicat, vt velit rationem ſuppoſitalitatis creatæ duplicem negationem includere: alteram, quæ ſit negatio dependentiæ ab alio, ſeu conjunctionis quâ vnum ſit alterius; alteram, quæ ſit negatio dependen-

tiæ aptitudinalis, quâ vnum aptum eſt ex natura ſua eſſe & fieri alterius. Defectu primæ conditionis, homo qui Chriſtus eſt, non eſt perſona humana, quia Verbo vnitur natura humana. Defectu ſecundæ, accidentia quæ ſtant ſine ſubjecto in Euchariſtia, non ſunt ſuppoſita, quia poſtulant ex ſeſe ſubſtantiæ ineſſe, adeóque non habent negationem dependentiæ aptitudinalis ab ipſa ſubſtantia. Hanc ſententiam tuentur Scotiſtæ complures, licèt nonnulli eorum in vna duntaxat negatione conjunctionis cum alio totam rationem ſubſiſtentiæ conſtituant, quæ ſubſtantiæ ſingulari completæ & aptæ ſeorſim exiſtere addatur. Tertia partim in poſitivo, partim in negativo conſtituit; ita vt illud poſitivum ſit aptitudo ad exiſtendum per ſe ſine conjunctione actuali cum alio ſubſtantialiter perficiente: negativum autem ſit negatio actualis conjunctionis cum alio ſubſtantialiter perfectiori, per quam aptitudo illa exercetur. Ut quæſtio definiatur, duo obſervabis.

I. Pars propriè dicitur id quod eſt incompletum in ratione totius, adeóque poteſt perfici ex adjunctione alterius cum quo vniatur. Pars verò latè ſumpta eſt id in quod reſolvitur totum.

II. Id quod eſt ita in toto, vt per vnionem perficiatur, dicitur propriè vniri. Quòd ſi non perficiatur per vnionem, dicitur potiùs terminus vnionis, quàm vniri; aſſumere, non aſſumi. His obſervatis, ſit

I. Assertio. Subſiſtentia nihil addit poſitivum ad naturam, ſed tantùm negativum, idque in poſitivo fundatum. Duæ ſunt partes aſſertionis: prima, quòd aliquod tantùm negativum ſubſiſtentia addat ad poſitivum; ſecunda, quòd negati-

vum illud fundetur in poſitivo.

Probatur prima: ſatis commodè explicatur ratio formalis ſubſiſtentiæ per negationem vnionis cum aliquo digniori à quo perficiatur: ergo ratio formalis ſubſiſtentiæ nihil addit ad naturam præter aliquid negativum. 2. Ratio formalis ſubſiſtentiæ creatæ per adventum poſitivi præcisè tollitur, & quidem immediatè: ergo ratio formalis ſubſiſtentiæ creatæ eſt aliquid negativum. Conſequentia patet: v. g. rectè infertur tenebras eſſe aliquid negativum, quia ad poſitionem luminis præcisè tolluntur; & rationem numeri formaliter, vt talis eſt, eſſe negationem vnitatis vlterioris, quia tollitur per additionem vnitatis, putà ratio binarii per additionem tertiæ vnitatis. Quare probatur antec. exemplo Chriſti, in quo præcisè tollitur ſubſiſtentia creata per adventum perſonalitatis Verbi, quæ humanitatem terminat, vt jam obſervavi ex D. Thoma. Item aquæ gutta hoc ipſo amittit ſubſiſtentiam propriam, quòd alteri vnitur, licèt retineat quidquid inerat illi poſitivum. Rurſus fit novum ſuppoſitum eadem gutta præcisè per negationem vnionis cum altera gutta, ſeu per ſeparationem ab altera gutta.

Probatur 2. ex veteribus Philoſophis, qui perſonam definierunt, ſubſtantiam rationalem completam ſeparatam: quibus ſuffragantur Patres, Damaſcenus in ſua Logica cap. 6. *Hypoſtaſis*, inquit, *eſt ſeparata cujuſque rei concretio.* Et paulò pòſt: *Hypoſtaſis nihil aliud eſt quàm ſeparata ſubſtantia.* Hugo Victorinus in opuſculo de Verbo incarnato collat. 2. *Humana natura ex eo quòd in Chriſto fuit, perſona non fuit, quia per ſe non fuit. Perſona enim notat diſcretionem.* D. Tho-

mas 3. part. q. 16. a. 12. *Humanitas Chriſti non eſt perſona humana, quia non eſt per ſe ſeorſim ſubſiſtens à divina natura, quod requirit ratio perſonæ.* Boëtius à quo definitur perſona, *naturæ rationalis individua ſubſtantia.* Ex his auctoritatibus clarè conſtat rationem ſuppoſiti conſtitutam eſſe in negatione vnionis cum altero ſubſtantialiter perficiente, ſeu in negatione inhærentiæ, multiplicitatis & vnionis ſeu partis vnitæ cum altero, à quo tanquam pars perficiatur. Quid eſt enim ſeparatio, diſcretio, individuatio, quàm negatio quædam, ſi formaliter ſumantur.

Probatur ſecunda. 1. Quia negatio fundatur in poſitivo: ergo ſi ſubſiſtentia formaliter ſumpta dicit aliquam negationem, vtique debet illa negatio eſſe in aliquo ſubjecto, nempe in natura quæ vniri poſſit, aut actu vnita ſit. 2. Illa negatio eſt negatio vnionis cum altero: ergo dicit in ſuo conceptu, aut ſaltem includit pro ſubjecto naturam vnibilem ſeu aptam vniri: ergo dicit aliquid poſitivum pro ſubjecto.

II. Aſſertio. Ratio ſuppoſiti includit in recto naturam, & negationem in obliquo, nempe modum perſeitatis & incommunicabilitatis. Patet aſſertionis veritas ex traditis definitionibus ſuppoſiti & perſonæ aſſert. ſuperiori. Nam ipſa natura in recto exprimitur, ſeparatio, diſcretio, individuatio in obliquo. Certè dum concipitur à me natura ſingularis completa in ſe, cum altera non vnita, ſeu ſeparata, diſcreta, incommunicata alteri, ſuppoſitum; aut ſi ſit natura intellectualis, perſona tum à me concipitur: ſin verò concipiatur, vt vnita perfectiori, non concipitur ampliùs vt ſuppoſitum aut perſona.

III. Assertio. Rectè definitur ſuppoſitum, ſubſtantia exiſtens per ſe & incommunicabilis alteri ſubſtantialiter perficienti. Itaque ſi concipis naturam humanam ſingularem cum triplici illa incommunicabilitate, quâ non communicatur, vt accidens, nec vt vniverſale inferiori, nec vt pars toti, & cum triplici perſeitate, quarum prima opponatur inhærentiæ accidentium, ſecunda inexiſtentiæ vniverſalium, tertia inexiſtentiæ partium in toto, næ tu bellè ſuppoſitum expreſſiſti. Ab aliis definitur ſuppoſitum, ſubſtantia prima, completa, diſcreta ſeu ſeparata ab omni alia. Ut prima, excludit ſubſtantiam ſecundam, ſeu vniverſalem: vt completa, rationem partis ſive integrantis, ſive eſſentialis, ſive phyſicæ, ſive metaphyſicæ: vt diſcreta, vnionem cum altero à quo ſubſtantialiter perficiatur.

Tria ex dictis colliguntur. Primum. Perſona diſtinguitur à natura conceptu, quia præter naturam dicit triplicem modum perſeitatis & incommunicabilitatis. At in re negativè tantùm diſtinguitur, quia præter naturam realem nihil includit niſi negationem inhærentiæ, multiplicitatis & vnionis cum altero ſubſtantialiter perficiente, ſeu rationis partis. Ut ergo figura & terminus diſtinguitur à quantitate ſaltem conceptu, ita ſubſiſtentia in creatis diſtinguitur definitione à ſubſtantia. Item ſicut poteſt abeſſe terminus quantitatis, remanente eadem quantitate, & pereunte ſola negatione, ſi illi quantitas alia vniatur: ita poteſt ſeparari ſubſiſtentia à ſubſtantia adhuc remanente, ſi vniatur alteri ſe ipſam ſubſtantialiter perficienti, licèt nihil pereat niſi negativum,

vt patet in natura humana Christi Verbo ſubſtantialiter vnita.

Secundum. Subſtantia completa ſemper habet ſubſiſtentiam vel propriam, vel alienam. Vel enim ſeparata eſt, vel alteri vnita à qua perficiatur. Si ſeparata eſt, ſubſiſtit propria hypoſtaſi; ſi vnita alteri, ſubſiſtit alienâ, vt humanitas in Chriſto.

Tertium. Verbum divinum, quamvis vnitum humanitati in Chriſto, non tamen ſubſiſtit per humanitatem: quia Verbum non eſt in Chriſto tanquam pars, nec ab humanitate ſubſtantialiter perficitur, ſicut Socrates non perficitur ſubſtantialiter per vnionem albedinis. At contrà humanitas Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi, quia communicatur, vt pars Verbo divino, à quo perficitur ſubſtantialiter.

## §. III. *Quæſtiones de natura ſuppoſiti ſolvuntur.*

PRIMA, cur cùm in Chriſto duplex ſit natura, dicatur tamen vnus.

Reſp. 1. non dici vnum, quòd vniatur tantùm moraliter, aut quód ex duabus naturis confuſis permixtiſque fiat vna completa. Quia in hoc fuit hæreticorum error Verbum vniri humanitati vnione tantùm accidentali & morali, hoc eſt, ſecundùm auctoritatem, dignitatem & potentiam. Certè Neſtorius voluit Verbum vnitum humanitati, 1. quòd hic homo eſſet templum Dei ſpiritualiter inhabitantis. 2. quòd per vnitatem affectus vnirentur ambæ naturæ. 3. quòd per communem operationem, ſed ſubordinatam, na-

tura humana divinæ vniretur, tanquam inſtrumentum artifici ad patranda miracula. 4. per dignitatem, quia Verbum ſingulariter dignificat hunc hominem, etiam per communionem bonorum: vnde damnatus eſt Neſtorius, quòd vnionem humanitatis cum Verbo accidentalem duntaxat admitteret. Deinde natura divina & humana completæ cùm ſint ſecundùm eſſe phyſicum, non confunduntur & permiſcentur vnà, ſed manent diſtinctæ. Quare

Reſp. 2. ideo vnum eſſe Chriſtum, quia eſt vna perſona in vtraque natura, nempe divina, quæ naturam humanam ſibi vnit per vnionem, vt vocant Patres, ſubſtantialem, quæ ex duabus naturis vnicam perſonam faciat, ſicut ex corpore & anima vnio vtriuſque naturalis, ſervata proportione, facit vnum hominem.

Secunda, an divinitas ſit forma humanitatis. Reſpondeo non eſſe, quia forma, vt forma, importat rationem partis. Poteſt tamen dici quaſi forma ob intimam perſonæ vnionem.

Tertia, cur Verbum non dicatur aſſumpſiſſe hominem, ſed humanitatem.

Reſp. quia homo in concreto ſignificat perſonam, humanitas verò naturam. At Verbum aſſumpſit naturam, non perſonam.

Quarta, quis ſenſus ſit harum locutionum: Humanitas Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi: ſubſiſtentia Verbi in Chriſto ſubſiſtentiæ creatæ locum tenet.

Reſp. Senſus primæ hic eſt: humanitas Chriſti habetur à Verbo, vt pars ſubſtantialiter perfectibilis à perficiente. Secundæ verò: ſubſiſtentia

bi quoad denominationem, perinde ſe habet

in ordine ad humanitatem, ac ſi humanitas ſubſiſtentiâ propriâ ſubſiſteret; hinc Chriſtus dicitur mortalis & paſſibilis.

Quarta, an Chriſti humanitas habeat omnia quæ ſunt in nobis.

Reſp. habere omnia quæ poſitiva ſunt in nobis, exceptis phyſicis defectibus ſeu malis habitibus, peccato & ignorantia: voluit enim nobis per omnia aſſimilari, excepto peccato.

Quinta, an cùm humanitas Verbo divino eſt vnita, nihil amiſerit.

Reſp. non modò nihil amiſiſſe perfectionum earum quæ ipſi inerant, ſed potiùs maximè ditatam, quia divinitatem acquiſivit totius boni fontem & originem.

Sexta, an eadem numero natura poſſit pluribus ſubſiſtentiis ſubſiſtere.

Reſp. 1. naturam divinam ſubſiſtere tribus ſubſiſtentiis. Reſp. 2. non poſſe eandem naturam propriâ ſimul & alienâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtere. Vt enim ſubſiſteret ſubſiſtentiâ alienâ, deberet ab ipſa vlteriùs compleri: at natura divina compleri à creatura non poteſt. Reſp. 3. Naturam creatam non poſſe ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis creatis, quia ſubſiſtentia creata eſt natura ſeparata, ſeu negans vnionem cum altero eſſentialiter perficiente; poteſt tamen pluribus ſubſiſtentiis divinis ſubſiſtere: quare eadem natura quæ à Verbo eſt aſſumpta, potuit aſſumi à Spiritu ſancto, &c.

## §. III. *Diluuntur objecta.*

INTER argumenta quæ proponunt adverſarii, quædam pugnant hypoſtaſim eſſe quid poſitivum,

vum, & id quidem realiter diſtinctum: quædam videntur negationem impugnare. Singulis ordine ſatisfacio.

Objicies 1. Subſiſtentia naturæ humanæ in Chriſto erat entitas realiter diſtincta ab ipſa natura: ergo modus realiter diſtinctus ab ipſa natura. Probatur ant. Quod conſumptum eſt à Verbo divino, erat entitas realiter diſtincta: ſubſiſtentia naturæ humanæ fuit conſumpta à Verbo divino: ergo erat entitas realiter diſtincta à natura humana. Minor eſt Innocentii tertii in decretoriis, vbi ait perſonam hominis in incarnatione fuiſſe conſumptam à perſona Verbi.

Reſp. diſt. majorem: quod conſumptum eſt propriè, concedo; quod conſumptum eſt impropriè, nego. At Verbum divinum non conſumpſit propriè perſonam humanam, id eſt, non deſtruxit tanquam rem aliquam poſitivam: ſed conſumpſit impropriè, id eſt, impedivit, ne humanitas eſſet per ſe ſubſiſtens. Hæc ſolutio eſt D. Thomæ.

Inſtabis 1. Verbum divinum aſſumpſit naturam, non perſonam: ergo perſonalitas humana addebat aliquid realiter diſtinctum ipſi naturæ. Probatur conſequentia: quorum vnum aſſumitur, & alterum excluditur, ea debent eſſe diſtincta, & quidem realiter: aſſumitur natura humana à Verbo, excluditur ſubſiſtentia humana: ergo natura & ſubſiſtentia humana diſtinguuntur realiter.

Reſp. dato ant. nego conſeq. ad probationem, diſtinguo majoris ſecundam partem, *& alterum excluditur*: ſi excluditur per detractio-

nem, concedo; ſi excluditur per additionem, nego. Porrò excluditur ſubſiſtentia ſeu perſonalitas humana à perſonalitate Verbi per additionem, non per detractionem alicujus poſitivi; ſed id quod detrahitur, negativum eſt.

Inſtabis 2. Additio non tollit complementum, ſed potiùs per eam res fit plus quàm completa: ergo non excluditur perſonalitas divina per additionem, ſed potiùs per ablationem.

Reſp. non tolli complementum quoad perfectionem poſitivam ipſius complementi, ſed quoad negationem vlterioris complementi, quæ in ente vlteriùs complebili rationem termini conſtituit. Sic complementum quantitatis tollitur, addita alia quantitate pedali, non quòd tollatur perfectio poſitiva complementi, ſed quòd tollatur negatio ulterioris extenſionis, dum quantitas pedalis adjungitur.

Objicies 2. Si nihil poſitivum perit in natura humana, dum à Chriſto aſſumitur, erit duplex perſonalitas in Chriſto, nempe perſona humana & perſona divina: non eſt duplex perſonalitas in Chriſto: ergo perit aliquid poſitivum in natura humana. Illud autem poſitivum eſt modus ſubſiſtentiæ realiter diſtinctus: ergo, &c.

Reſp. 1. nego majorem, quia ſubſiſtentia non eſt natura ſola, ſed natura completa, & non vnita alteri ſubſtantialiter perficienti: at natura humana à Chriſto aſſumpta eſt vnita Verbo, à quo ſubſtantialiter perficitur. Reſp. 2. diſt. erit duplex perſona, nempe humana & divina, humana ſecundùm eſſe poſitivum, concedo; ſecundùm eſſe negativum ſeu formale, nego. Porrò illud poſitivum quod ſupereſt, non eſt modus

realiter diſtinctus, ſed ipſa natura completa phyſicè, quæ completur metaphyſicè per perſonalitatem Verbi: ſic totalitas guttæ in oceanum infuſa remanet entitativè: at non remanet formaliter in ratione totius, quia perit negatio vlterioris extenſionis, & incipit eſſe inſtar partis, quia incipit vniri oceano. Conſule D. Thomam Opuſc. 3. c. 6. vbi negat eſſe duas in Chriſto hypoſtaſes, quia non omnis ſubſtantia particularis hypoſtaſis dicitur; ſed ſolùm illa quæ ab aliquo principaliori non habetur. Quod confirmat exemplo partium corporis: *Manus enim*, inquit, *hominis ſubſtantia eſt quædam particularis; non tamen poteſt dici hypoſtaſis, quia aſſumitur à principaliore*, quod eſt homo.

Inſtabis 1. Ergo ſubſiſtentia eſſet tantùm aliquid negativum. Reſp. nego; duo enim includit ſubſiſtentia, 1. naturam phyſicè completam, 2. negationem vnionis cum altero: vnde partim poſitiva eſt, partim negativa.

Inſtabis 2. Si duæ naturæ in Chriſto totam entitatem retinerent, non poſſent vniri ſubſtantialiter, adeóque nec facere vnum ens per ſe, ſed tantùm per accidens: at fit vnum ens per ſe ex natura humana & natura divina inter ſe vnitis. Probatur ſequela majoris: ex duobus entibus completis non poteſt fieri vnum ens per ſe: natura humana & natura divina ſunt entia completa: ergo ex illis non poteſt fieri ens per ſe.

Reſp. nego ſequelam majoris. Ad probationem, diſtinguo majorem: ex duobus entibus completis tam metaphyſicè quàm phyſicè, non poteſt fieri ens per ſe, concedo; ex duobus en-

tibus, quorum vnum ſit completum tum phyſicè, tum metaphyſicè, & alterum metaphyſicè incompletum, nego. Natura humana & natura divina ſunt entia completa in Chriſto, diſtinguo minorem: natura humana eſt completa phyſicè, concedo; metaphyſicè, nego minorem & conſequentiam. Itaque licèt natura divina in Chriſto ſit completa & phyſicè & metaphyſicè, natura humana eſt incompleta metaphyſicè, vtpote vnibilis perfectiori adeóque perfectibilis à perſona Verbi in ratione perſonæ; & ita in Chriſto manent duæ naturæ abſque confuſione, & fit vnio tantùm in perſona. Deinde licèt natura humana & natura divina ſeorſim ſumptæ ſint entia completa metaphyſicè; tamen quia complementum naturæ humanæ poteſt amitti per vnionem cum natura perfectiori, dum vnitur eidem, amittit prius complementum ſecundùm eſſe negativum, & incipit compleri, dum vnitur alteri. Exemplum habes in duabus aquæ guttis, quæ dum ſejunctæ ſunt, completæ quidem ſunt metaphyſicè ſeu in ratione ſuppoſiti, ſed complemento amiſſibili; quia aliter ſunt terminabiles, & ambæ ſimul ſumptæ ſunt capaces majoris complementi per vnionem ſui. Porrò dum amittitur complementum, nihil poſitivum & reale deperit, ſed ſola negatio vnionis cum altero perfectiori.

Objicies 3. Subſiſtentia in Deo includit multa diſtincta, nempe tres hypoſtaſes, non quidem à natura Dei, ſed à ſe invicem: ergo à pari in creatura includit quoque multiplicitatem, atque adeo diſtinctionem à natura.

Reſp. 1. diſt. ant. ſubſiſtentia vt ſic, ſeu quà

talis eſt ſecundùm ſe, nego antec. aliàs omnis ſubſiſtentia tria includeret, & quidem diſtincta: ſubſiſtentia, vt divina eſt & importans communicationes in Deo ob infinitatem illius, concedo ant. & nego conſequentiam. Nihil enim eſt in entibus creatis, quod illis communicationibus reſpondeat. Certè natura divina ſingularis & vna non habet à ſe ipſa negationem communicabilitatis, adeóque debet illam habere à proprietate perſonali: & quia poſito vno incommunicabilitatis modo in Deo per innaſcibilitatem, adhuc natura eſt communicabilis per intellectum & per voluntatem; ideo tres modos incommunicabilitatis in Deo agnoſcimus. Et quoniam iſtæ communicabilitates naturæ divinæ terminantur per relationes, ideo relationes illæ admittuntur in Deo ad conſtituendam multiplicitatem perſonarum, quæ proinde inferunt diſtinctionem realem inter divinas perſonas; cùm omnia ſint in Deo vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio. At natura creata ſingularis ex ſe ipſa negationem habet eo ipſo, quòd eſt ſubſtantia completa & ab alia ſeparata, ſeu quòd non eſt alteri vnita ſubſtantialiter.

Inſtabis. Si natura aliqua creata ſubſiſteret tribus ſubſiſtentiis, illæ tres ſubſiſtentiæ diſtinguerentur ab ea, & quidem realiter.

Reſp. 1. eandem numero naturam creatam non poſſe ſubſiſtere tribus ſubſiſtentiis creatis, vt jam obſervavi. Supereſt ergo vt poſſit ſubſiſtere tribus ſubſiſtentiis divinis, ſi tres perſonæ divinæ illi vniantur; quo in caſu tres illæ divinæ hypoſtaſes realiter à natura creata diſtinguerentur. Sed nihil inde contra nos concluditur.

Objicies 4. Si ſuppoſitum nullam entitatem naturæ addit, hæc propoſitio, *Petrus eſt ſua humanitas*, erit falſa: at non poteſt eſſe falſa: ergo, &c.

Reſpondeo diſt. majorem : hæc propoſitio, *Petrus eſt ſua humanitas*, erit falſa, in ſenſu formali, concedo; in ſenſu reali & identico, nego. Cùm enim abſtracta metaphyſica habeant rationem partis & formæ reſpectu ſui concreti, non poſſunt ſub ipſa abſtractione prædicari de ſubjecto ſuo in ſenſu formali, quia pars non poteſt eſſe totum.

Objicies 5. Omne individuum categoricum eſt ſuppoſitum : natura humana in Chriſto eſt individuum categoricum, ponitur enim in categoria ſubſtantiæ: ergo eſt ſuppoſitum.

Reſp. 1. res poni in categoria, non ratione ſuppoſiti, ſed ratione naturæ. Deinde natura humana in Chriſto dicitur individua, vt opponitur ſubſtantiæ ſecundæ & vniverſali, non vt opponitur ſubſtantiæ completæ vnitæ alteri ſubſtantialiter perficienti; vnitur enim Verbo à quo perficitur ſubſtantialiter : quare ſive ſubſiſtat per ſe, ſive per aliud, perinde eſt ad rationem entis categorici.

Objicies 6. Ens poſitivum non poteſt compleri per negationem, quia ratio complementi & ratio negationis ſe deſtruunt : ergo cùm ſubſiſtentia ſit complementum naturæ, non poteſt includere in ſuo conceptu formali negationem.

Reſp. nego antecedens. Satis enim eſt ad rationem complementi, quòd per illud res conſtituatur in ratione totius, cùm eſſet antea pars;

at per negationem vnionis cum altero perficiente, res intelligitur conſtitui in ratione totius metaphyſici, vt patet in gutta aquæ à toto ſuo ſeparata.

Inſtabis 1. Suppoſitum eſt aliquid poſitivum, & negatio poſterior poſitivo, nempe naturâ cui advenit: ergo non poteſt conſtituere ſuppoſitum, quia prius non poteſt conſtitui per poſterius.

Reſp. nego ſuppoſitum creatum adæquatè ſumptum eſſe aliquid poſitivum; ſed partim poſitivum eſt, partim negativum: quare antequam ſit negatio vnionis cum altero perfectiori, illud poſitivum non eſt ſuppoſitum: ſic entitates numeri ternarii non conſtituuntur in ratione ternarii numeri, niſi per negationem vlterioris vnitatis. Tolle enim illam negationem per additionem quartæ vnitatis, tum illæ tres vnitates fient pars majoris numeri, & ita erunt inſtar materiæ quaternarii numeri.

Inſtabis 2. Ratio vltimò conſtitutiva cujuſque eſſentiæ eſt quid optimum, vt rationale in homine: negatio non eſt quid optimum: ergo non poteſt eſſe ratio vltimò conſtitutiva entis poſitivi.

Reſp. diſt. majorem: ratio cujuſque eſſentiæ eſt quid optimum, eſſentiæ entis ſimpliciter & adæquatè poſitivi, eſto; entis partim poſitivi, partim negativi, nego: duplex quippe eſt ens; alterum merè ſeu adæquatè poſitivum, cujuſmodi ſunt gradus ſubſtantiales rerum: alterum quod eſt partim ens, partim non ens, ſeu quod non eſt merè poſitivum, cujuſmodi ſunt omnes numeri, & ipſum ſuppoſitum, in qu proinde ratio vltimò conſtitutiva peræquè ac in

numeris, poteſt eſſe negativa.

Objicies 7. Ex SS. Patribus Verbum in Chriſto dicitur ſupplere perſonalitatem humanam: at ſi perſonalitas eſt negatio, malè dicitur ſupplere perſonalitatem humanam, quia diceretur ſupplere negationem.

Reſp. 1. Negat Tiphanus cap. 28. hanc locutionem à Patribus & Conciliis vſurpatam: ſed meliùs dicitur humana ſubſiſtentia per Verbum impediri. Reſp. 2. duplicem huic propoſitionis ſenſum ſubeſſe poſſe. Primus eſt, quo dicatur Verbum ſupplere abſentiam alicujus entitatis quæ aliis hominibus inſit; & is ſenſus falſus eſt. Secundus, quo dicatur perſona Verbi per vnionem cum humanitate ſupplere omnes negationes quæ in aliis hominibus ſunt, tribuendo perfectiones quas includunt; & hic ſenſus verus ac genuinus eſt; v. g. Paulus habet negationem Dei æterni: at Chriſtus homo eſt Deus æternus, &c. Unde in Verbo nobiliùs multò ſubſiſtit natura humana, quàm ſubſtitiſſet in alio homine.

Inſtabis 1. Si ratio perſonalitatis creatæ eſt quid negativum, non poteſt explicari, quis ſenſus ſit hujus propoſitionis, quam paſſim SS. Patres & Concilia vſurpant: *Verbum aſſumpſit naturam humanam.*

Reſp. nego: ſenſus enim genuinus hujus propoſitionis ille eſt, qui opponitur contradictoriè errori Neſtorianorum, qui pugnabant vnionem Verbi cum humanitate eſſe duntaxat accidentariam, ratione nempe donorum ſingularium, & communicatione cùm auctoritatis, tum dignitatis, vt jam obſervavi; vnde ſenſus

hujus propoſitionis hic eſt: Verbum ita aſſumpſit naturam humanam, vt vnio illa ſubſtantialis fuerit, & ita impedierit in natura humana perſonalitatem creatam. Quæ propoſitio eſt de fide.

Inſtabis 2. Ergo eſſet de fide rationem perſonalitatis eſſe negativam.

Reſp. nego ſubſumptum: abſtrahit enim dogma fidei ab illa quæſtione, qua quæritur, an ſubſiſtentiæ ratio poſita ſit in poſitivo, an in negativo; putem ego tamen ſententiam quæ perſonalitatem conſtituit in negativo, feliciùs explicare, quàm quæ in poſitivo collocat.

Colliges 1. ex dictis, non quamlibet negationem vnionis eſſe de ratione hypoſtaſis creatæ, ſed negationem potiſſimùm ſubſtantialem cum alio ſubſtantialiter perficiente.

Colliges 2. rectè à SS. Patribus dici, quòd Verbum fulciat & ſuſtentet humanitatem, & humanitas Verbo fulciatur, innitatur, &c. quia Verbum perficit completque humanitatem omni genere perfectionis, viciſſimque humanitas à Verbo completur ac perficitur. Hactenus de natura ſuppoſiti, jam de illius proprietatibus.

Quatuor ſunt proprietates ſuppoſiti. Prima, ſuppoſitum eſt primum ſubjectum, de quo omnia dicuntur; hinc fluxit pronuntiatum: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, nempe denominativè. Ratio eſt, quòd actiones non ſint niſi à natura ſubſiſtente & perfecta; res enim eatenus agit, quatenus eſt perfecta. Deinde ex communi vſu loquendi, ipſarum totius partium operationes propriæ tribuuntur toti denominativè, quamvis eliciantur ab illis partibus; hinc non dicitur ocu-

lus videre, manus tangere, niſi *vt quo*; ſed homo dicitur per illas partes agere *vt quod*. Hæc doctrina eſt Ariſtotelis 1. de anima: *Meliùs*, inquit, *dicitur non anima diſcere aut ratiocinari, ſed homo animâ*. Hinc Chriſti operationes dicuntur divinæ ſeu humano-divinæ, quia tribuuntur ſuppoſito divino, à quo ſuam dignitatem & valorem ſumunt. Porrò dicuntur actiones Chriſti eſſe ab homine, non tanquam ab humano ſuppoſito, ſed quia ſunt à natura humana tanquam principio eliciente & ſubſiſtente in Verbo. Cave autem ne putes per vocem iſtam *τὸ homo*, dum Chriſto attribuitur, ſignificari ſuppoſitum humanum, quia non ſubſiſtit niſi per ſubſiſtentiam divinam.

Secunda, voce concreta ſuppoſitum explicatur, quia non dicuntur omnia de abſtracto; hinc humanitas non eſt ſuppoſitum, nec materia & forma, ſed id quod ex vtraque componitur.

Tertia, ſuppoſitum conceptu ſaltem à natura diſtinguitur; multa enim prædicantur de ſuppoſito, quæ nonniſi falsò de natura dicuntur.

Quarta, ſuppoſitum illud eſt quod demonſtratur.

# PARS SECUNDA METAPHYSICÆ, DE ANGELIS.

A Prima Metaphyſicæ parte, quæ generalis dicitur, ad ſecundam quæ eſt de angelis, eamque particularem, progredimur, de Deo tertia parte, quæ particularis item dicitur, tractaturi. Porrò nomine angeli ſubſtantiam intelligo prorſus incorpoream, ſimplicem & vniuſmodi, intelligentem, quæ ita media eſt Deum inter & hominem, vt ad Deum propiùs accedat quàm ipſe homo. Spectari poteſt vel intra ordinem naturæ, vel intra ordinem gratiæ: intra ordinem naturæ ſpectatus pertinet ad Metaphyſicam; intra ordinem gratiæ, ad Theologiam.

Rurſus in angelo juxta ordinem naturæ ſpectato tria potiſſimùm conſiderari poſſunt: 1. ſubſtantia, 2. proprietates, 3. operationes tum immanentes, tum tranſeuntes. Quare quatuor omnino diſputationibus hæc pars Metaphyſicæ noſtræ conſtabit. Prima erit de natura ſeu de ſubſtantia angeli; ſecunda de proprietatibus;

tertia de operatione immanente; quarta de operatione tranſeunte: quibus appendicem de angelo cuſtode adjungemus.

---

# DISPUTATIO I.

## e natura ſeu de ſubſtantia angeli.

CIRCA ſubſtantiam angeli tria hîc diſcutio; an ſit, quid ſit, & quomodo ſit.

### ARTICULUS I.

### *An ſint angeli.*

DUo complectitur hæc quæſtio. Primum, an ſint poſſibiles angeli: ſecundum, an reipſa exiſtant.

### §. I. *An ſint poſſibiles angeli.*

I. OBSERVATIO. POSSIBILITAS duplex, metaphyſica & phyſica; illa negativa dicitur, hæc poſitiva & realis. Prima definitur, non repugnantia ad exiſtendum; quo ſenſu Deus eſt etiam poſſibilis: ſecunda, præcontinentia effectus in cauſa, à qua habet, vt poſſit eſſe, licèt nondum exiſtat.

I. ASSERTIO. Angeli ſunt poſſibiles metaphyſicè. Probatur. Illud eſt poſſibile metaphyſicè, quod non involvit contradictionem in

Digitized by Google

ſuo conceptu objectivo: angeli non involvunt contradictionem in ſuo conceptu objectivo: ergo ſunt metaphyſicè poſſibiles. Minor probatur: angelus, vt hîc à nobis ſumitur, eſt ſubſtantia omnino ſpiritualis creata, ſeu purus ſpiritus creatus: at hæc notio nihil contradictionis involvit; quia ratio puri non deſtruit rationem ſpiritus, ſed cum ea conſentit, vt patet in Deo qui ſpiritus eſt, & is quidem puriſſimus: nec ratio entis creati deſtruit rationem ſpiritus puri, modò illa puritas excludat compoſitionem phyſicam, quæ fit ex partibus vel componentibus naturam, vel integrantibus quantitatem, & compoſitionem admittat metaphyſicam ex genere & differentia, & phyſicam ex ſubſtantia & accidente, quâ à ſumma Dei puritate angelus deficit.

Probatur 2. Cùm poſſibilia ſunt extrema metaphyſicè, poſſibile eſt quoque medium inter ambo interjectum: extrema angeli ſunt poſſibilia metaphyſicè; nam Deus qui ſupremum in earum rerum genere, quæ intelligentiâ præditæ ſunt, locum tenet, eſt maximè poſſibilis; homo qui infimum, eſt quoque metaphyſicè poſſibilis: ergo angelus qui eſt inter vtrumque interjectus, eſt metaphyſicè poſſibilis. Major nititur hoc principio, quòd eadem forma ſit in medio & in extremis, ſi non vnivocè, ſaltem analogicè: cum ergo ambo extrema poſſibilitatem includant; Deus quidem per ſe & eſſentialiter, homo autem per accidens & contingenter; hinc conſequens eſt angelum eſſe poſſibilem, imò & exiſtere actu, quia ſicut natura abhorret à vacuo in corporibus, ſic ſapientia in entibus.

Probatur 3. Ut quæque res ſimpliciſſima, ita & Deo ſimillima, quo nihil ſimplicius: ergo eſt ens perfectius: ergo magis oppoſitum nihilo, adeóque longiùs ab impoſſibilitate recedit: at angelus eſt maximè ſimplex, utpote purus ſpiritus: ergo, &c. Ex hoc argumento ſequitur, quò res eſt magis compoſita, eò Deo minùs ſimilem videri; itaque minùs perfectum ens, quod plus habet de non ente, propiuſque ad impoſſibilitatem accedit.

II. Assertio. Angelis ſunt poſſibiles phyſicè. Hæc aſſertio ſequitur ex prima. Probatur: poſſibilitas phyſica eſt præcontinentia effectus in cauſa: angeli præcontinentur in omnipotentia Dei quia cùm omnipotentia Dei ſit infinita, utique in ſe præcontinet quidquid non involvit contradictionem.

## §. II. *An angeli exiſtant.*

I. Assertio. ANgeli verè exiſtunt. Hæc aſſertio ſuperiorem paragraphum confirmat, quia valet conſecutio ab actu ad potentiam; imò & de fide eſt, quam Scripturæ paſſim auctoritas inculcat cùm in veteri, tum in novo Teſtamento. In veteri quidem, dum Cherubinum flammeo gladio armatum ad paradiſi aditum prohibendum, Evam à ſerpente ſeductam, Tobiam à Raphaele deductum, angelum cum Jacobo pugnantem: in novo autem Gabrielem ad B. Virginem à Deo delegatum, Chriſto nato accinentes angelos, jejunanti miniſtrantes, moriturum corroborantes, excitatum à mortuis mulieribus renuntiantes exhibet; ut

meritò pronuntiet Auguſtinus in Pſal. 103. *Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legimus & tenemus: nec inde dubitare fas nobis.*

Scripturæ communis ſapientum conſenſus accedit. 1. Platonis qui lib. 4. de legibus & in epinomide tres deorum ordines ſtatuit, deos, dæmonas & heroas; & in Sympoſio plura dæmonibus tribuit, quæ angelorum apud nos ſunt propria: in Phædone docet angelos eſſe ſeu dæmones, (nam angelorum nomen nullibi ab eo vſurpatum memini) dæmones, inquam, qui aſſiduam noſtri curam gerant: *Bene*, inquit, *illud celebrari crebróque jactari mihi videtur, deos eſſe gubernatores cuſtodeſque noſtros, & nos eſſe diis quaſi peculium.* 2. Ariſtotelis, qui lib. 12. Metaph. ex pluralitate motuum corporum cæleſtium multitudinem intelligentiarum infert. Neque tantùm numerum intelligentiarum numero cælorum definivit, vt plures volunt interpretes; ſed etiam plures alias agnovit, tum quia incantationes equorum non reſpuit lib. 8. de hiſt. anim. c. 24. tum quia præter hominem aliud animal rationis particeps, & quidem homine divinius, lib. 3. de anim. tex. 29. agnoſcit: tum quia lib. 2. Rhet. c. 2. de locis enthym. ait *dæmonium aliud nihil eſſe quàm aut Deum, aut Dei opus.*

Probatur 2. ratione, eaque triplici. Prima, quæ à priori eſt, ducitur ex gloria Dei & perfectione mundi; ſecunda ex motu cælorum; tertia ex effectis inſolitis & extraordinariis: ambæ à poſteriori.

Primam ſic informo: perfectio mundi Deique

gloria, quæ eſt ejuſdem finis, id exigunt, vt mundus omnes gradus entis in ſe contineat, non quidem ſecundùm rationem omnem ſpecificam omnium entium, quia ſunt infinita, ſed ſecundùm ſumma genera, quia cùm vniverſum ſpeculum quoddam ſit ſui principii, ejus perfectio in perfecta ſimilitudine cum eo ſita eſt: at tria ſunt omnino ſumma genera rerum; puri ſpiritus, purè corporeum, mixtum ex vtroque & quaſi temperatum: ergo hic mundus debuit continere in ſe puros ſpiritus creatos, ſubſtantias purè corporatas, & ex ſpiritu atque corpore compoſitas. Nec refert quòd in homine ratio ſpiritus incluſa ſit, quia cùm rudis tantùm & inchoata ſit, vtpote materiæ immerſa, par fuit purum à Deo ſpiritum procreari. Ad hæc, gloria Dei tum objectiva, tum formalis naturas illas ſimplices & vniuſmodi requirebat: objectiva, quæ ex omnibus ſummis gradibus entis maximè effloreſcit: formalis quam Deo vnæ naturæ ſpiritales duntaxat pendunt, quia cognitionis participes. Adde quòd Deus non ita fuit ſuæ parcus & retinens gloriæ, vt quæ in ipſo puri ſpiritus præſtantia eminet, in res creatas noluerit effundere: nec ita ſuæ oblitus majeſtatis, vt nullos ſibi ad cæleſtis aulæ ſplendorem purpuratos voluerit aſſiſtere. Jacet regia majeſtas quam honorifica procerum pompa non cohoneſtat: vileſcit judicis auctoritas, quam conferta lictorum turba non ambit; nec quiſquam regem magnum dixerit, cui delecta prætorianorum manus ad præſidium non adſit. Debuit igitur præpotens Deus, & rex idem & judex, ſibi in cælo aulicos ad majeſtatis de-

cus, accenſos ad reorum terrorem, milites ad præſidium, & ad gratiam velut amicos & familiares adſciſcere: debuit ſpiritus, quibus concreti nihil & ſolidi ineſſet, verbo nutuque ſuo ex nihilo condere, ea ornatos ſapientia, quæ auguſtiſſimæ Triados oracula exciperet; ea inſtructos celeritate, quæ illius imperia ad nos citiſſimè deferret; ea ſcientia imbutos, quæ divina mortalibus arcana recluderet; ea demum nobilitate, quæ diſperſa illius divinæ naturæ aliis in rebus decora colligeret in ſe efficaciùs, magnificentiùs explicaret, eóque perfectiùs exprimeret, quò longiùs à materiæ contagione præſtantiſſimæ illæ intelligentiæ recederent. Meritò itaque angeli *prima Dei lingua*, *prima ſignacula*, *prima ſpecula*, *interpretes ac miniſtri*, à Patribus nuncupantur. Sed hæc ratio, vt fatear ingenuè, licèt multùm probabilitatis habeat, tamen extantiam angelorum non penitus evincit, quia Deus ad extra ſe liberrimè communicat.

Secunda ex motu cælorum petitur: cæli moventur motu circulari, eoque perfecto, conſtanti & rato: ergo ab aliquo principio, vel intrinſeco, vel extrinſeco. Non à principio intrinſeco, quia quod movetur à principio intrinſeco, movetur ad aliquem terminum, nempe ad bonum ipſius mobilis; vt enim appetitus fertur in bonum appetentis, ita motus in bonum mobilis: at motus circularis, ſi perpetuus ſit, nullum habet terminum ad quem tendat, ac proinde nullum bonum mobili acquirendum. Et verò perinde ſoli eſt, quòd ſit in hac vel illa parte cæli: ergo ſupereſt vt à principio extrinſeco, & quidem intelligente moveatur: ergo

vel à Deo, vel ab homine, vel ab angelo. Non à Deo, ſaltem immediatè, quia Deus per ſe non agit quod per cauſas ſecundas agere poteſt. Non ab homine, nec quandiu anima corpore continetur, quia ſenſim fatigatur & deficit; nec cùm eſt à corpore ſejuncta, quia nulla eſt quæ tantam vim habeat, vt tanta corpora tam velociter & tam conſtanter, tanto tempore moveat: ergo ſupereſt vt ille motus ſit ab angelis qui cælos jugi & indefeſſa virtute cieant & agitent, motus adeo diſſimiles ſapientia ſua regant ac moderentur. Hoc argumentum fuſiùs explicuimus tomo 1. Phyſic. part. 2. diſp. 3. a. 1. §. 1. Sed extantiam angelorum nihilo validiùs aſtruit quàm primum: quidni enim anima ſeparata plus virium perinde habeat ad movendum atque ad intelligendum, quæ proinde cælum cui illigata ſit, movere queat. Cùm modus agendi citra organa valentior multò ſit, quàm modus agendi cum organis; deinde vis motrix vnius animæ ſeparatæ ſit impar movendo vni cælo, ſed plures vim jungant ſuam: tum certè movere poterunt, & ſi etiam opus ſit, propellere. Quare ſit

Tertia ratio omnium robuſtiſſima: multa patrantur tum à magis, tum ab energumenis, quæ non poſſunt niſi ab angelis fieri: ergo verè dantur angeli. Probatur ant. Magi tempeſtates excitant, & quidem turbulentiſſimas, movent immania pondera, domos ingentes, oppida integra, ipſamque terram concutiunt, morbos populares inducunt, & quidem ob malos fines, ſerpentes momento proferunt inſanæ magnitudinis, vt in aula Pharaonis: item eorumdem

operâ canes ſæpe & corvi humana voce articulatâ locuti ſunt, vt de cane Simonis magi refert Nicephorus lib. 2. cap. 27. & de corvo in Auſtria loquente narrat Sybillanus Decade 3. c. 5. In ſpeculis quoque quæ longiùs abſunt, cernuntur præſentia. Energumeni peregrinis linguis ſæpiſſime loquuntur, ſecretas animi cogitationes pandunt, quæ procul fiunt & tenentur occulta, patefaciunt, robur exerunt ſupra ætatem & præter morem hominum conſuetudinemque communem: at hi effectus non poſſunt eſſe à Deo, aut ab homine, aut ab anima ſeparata: ergo ſupereſt vt producantur ab angelis.

Non à Deo vt cauſa particulari, tum quia ob malos fines, putà in perniciem hominum, & odium, atque injuriam ipſius Dei ſæpe fiunt: tum quia ad invocationem divini numinis maleficia magorum diſſolvuntur, & energumeni liberantur, qui etiam interdum medicamentis adhibitis & muſico concentu curantur. At ſi Deus hæc per ſe efficeret, nullo remedio indigeret, nullis muſicis concentibus: tum quia indignum eſt Deum fingere ſe ad imperium exorciſtarum obedire, cogi, vri, expelli; ad appulſum & contactum reliquarum clamare identidem, quòd torqueatur acerbiùs, ſe ſubmittere pedibus exorciſtarum, adorare invitum licèt & repugnantem Chriſtum in Euchariſtia: tum quia ſæpe voces è ſtatuis veterum falſæ, impiæ, blaſphemæ, ac proinde ad falſitatem, impietatem & blaſphemiam excitantes prodiere, quas in Deum vt cauſam particularem referre nefas ſit.

Non ab homine cui nulla vis tanta eſt, vt ad ejus nutum ſtatuæ quæſitis reſpondeant, tem-

peſtates & tonitrua excitentur, fores effringantur.

Non ab animabus ſeparatis; licèt enim plures illarum varia idiomata edoctæ ſint, & valeant tum ſe, tum corpora movere: vix tamen crediderim iiſdem vim tum movendi, tum cognoſcendi ineſſe tantam, quæ immania pondera attollat moveatque, & domos concutiat, aut etiam penitus evertat, actus internos imaginationis noſcat, & ſine alio externo indicio prodat. Deinde vim motricem animæ ſeparatæ ineſſe majorem quàm conjunctæ non putem. Ratio eſt, quòd nullius formæ operatio à proprio ſubjecto, modò bene affectum ſit, impediri aut retardari poſſit; aliter vnio formæ cum ſubjecto ſuo efficeret illam imperfectiorem, eſſetque aliquomodo contra naturam illius, cùm tamen ſumma ſit illius perfectio, eique maximè naturalis. Nec dicas, ab humore melancholico ingenitas animo rerum notiones excitari: vnde fit vt linguis ignotis plerique loquantur. Nam 1. etiam in aliis qui arreptitii non ſunt, ſæpe humores concitantur, nec tamen concutiuntur illæ notiones ad aliena idiomata opportunæ. 2. Licèt illæ notiones ingenitæ concuterentur ab humore melancholico, adhuc opus eſſet cauſa intelligente, quæ ipſas componeret & ordinaret ad bene loquendum; nam intelligentis eſt ordinare: at quæ alia cauſa poſſet ordinare, niſi angelus? Deinde falſum eſt notiones ejuſmodi eſſe ingenitas; aliter exirent aliquando in actum, quia nulla forma quæ ineſt à natura, impeditur ob naturalem nexum ejuſdem animæ cum ſubjecto; adeóque concuſſo humore, abditarum

ſcientiarum deberent homines recordari. Quid quòd humore commoto perinde homines ad rerum notitias planè reconditas & hominibus ignotas excitari deberent, atque ad idiomata peregrina proferenda? Si enim poſſunt linguam antea ſibi ignotam proferre; cur non & alias rerum proprietates aperire, novas tradere diſciplinas? Mitto quòd energumeni ſæpe loquantur alieno idiomate, linguâ prorſus immotâ, aut etiam extra os ad mentum prominente, & ore interdum clauſo; quod argumento eſt aliena & peregrina idiomata à natura intelligente & imagines intus ordinante formari. Mitto quàm plurima ad formationem vnius integri idiomatis concurrere, quæ ex fortuito notionum concurſu aliave cauſarum naturalium applicatione non magis cognoſci poſſint quàm Ilias aut Æneis ex coitu characterum ſine cauſæ intelligentis directione formari.

Non nego tamen ab humoribus concitatis, præſertim melancholico, multùm juvari dæmones in vexandis arreptitiis, qui ideo nidus diaboli vocatur; eodemque purgato & expulſo minùs torquere. Ratio eſt, quòd materiam dæmones non immutent, niſi applicando activa paſſivis, & bilis atra furori concipiendo ſit maximè idonea.

Confirmatur ampliùs aſſertio exemplo ſerpentum quos magi in aula Pharaonis exhibuere. Nam ſive veri fuerint per converſionem virgæ in ſerpentes, ſive aliunde tranſlati; nulla tum erat cauſa neceſſaria aut libera, quæ id præſtare poſſet, non aër ambiens, non lapides, aut reliqua corpora animata, vt patet. Si ſit cauſa

aliqua occulta, cur potiùs ad arbitrium nutumque magorum, quàm iiſdem nihil operantibus virgæ illæ animabantur in ſerpentes? Jam ſi aliunde tranſlati, quæ cauſa tam velox, vt ad nutum magorum in ictu oculi ſerpentes è longinquo, ſpectante Pharaone, ſola virgarum projectione, transferre potuerit?

Nec dicas vim verbis magorum inditam hæc patraſſe prodigia. Nam ſi quæ vis indita fuiſſet, vel naturalis, vel ſupernaturalis fuiſſet. Non naturalis, quia nec verbis ſcriptis, nec ore prolatis energia vlla ineſt; non ſcriptis, quæ nihil virium è characteribus accipiunt; non ore prolatis, quibus, ſi ſignificationem ex hominum arbitrio impoſitam excipis, nulla vis ineſt præter ſonum & aëris fractionem. Non ſupernaturalis, quæ à Deo non imprimitur niſi ad honeſtum & ſupernaturalem finem; vis autem magorum exerit ſe tantùm ad perniciem corporum & ruinam ſalutis animorum. Supereſt ergo vt à dæmonibus ex pacto cum magis inito, ſerpentes illi aut aliunde celerrimè tranſlati ſint, aut certè ex putri materia procreati.

Objicies 1. Moyſes nullam fecit mentionem naturæ angelicæ. 2. D. Auguſtinus lib. de quant. animæ c. 34. & lib. 83. quæſt. q. 54. & lib. 3. contra Maximinum c. 25. ſenſiſſe videtur inter Deum & animam nullam ſubſtantiam interjici. 3. Non poteſt explicari, quid ſit angelus.

Ad 1. reſp. creationem angelorum ideo à Moyſe prætermiſſam, quòd rudi adhùc & ſenſibilibus addicto populo Deus nil niſi ſenſibile & corporeum proponi voluerit, per quod paulatim ad ipſum aſſurgeret.

Ad 2. Iiſdem locis Auguſtinus agnoſcit angelos, quos alibi, ſed præſertim lib. 11. de Civit. c. 5. pugnat cæteris rebus creatis longè præſtantiores eſſe: quare dicendum eſt animam non ſecundùm gradum ſpecificum, ſed genericum ſpiritus creati accepiſſe. His adde, lib. 1. Retract. c. 26. ſi quid minùs ſanè ſcripſerat, his verbis revocaſſe: *Vbi dixi quod anima melius, id Deum dicimus, magis dici debuit omni creato melius.*

Ad 3. reſpondebitur articulo ſequenti.

## ARTICULUS II.

### *De cauſis angelorum & modis eſſendi.*

DUo hic articulus explicabit. Primum, quæ ſit natura angelorum: ſecundum, à quo producti ſint & quando.

### §. I. *Quid ſit angelus, ſeu quæ ſit cauſa formalis angeli.*

UNICA OBSERVATIO. DEFINITIO cujuſque rei duplex cùm ſit; altera nominis, cujus vim notionemque explicat: altera rei, cujus naturam intimam & affectiones aperit. De vtraque ſit

I. ASSERTIO. Angelus, ſi vim nominis ſpectas, nuncius eſt quo Deus vtitur apud homines. Hanc originationem evolvit Auguſtinus in Pſal. 103. *Spiritus*, inquit, *angeli ſunt, & cùm ſpiritus ſunt, non ſunt angeli; cùm verò mittuntur, ſunt angeli. Angelus officii eſt nomen, non naturæ. Quæris nomen naturæ? Spiritus eſt. Quæ-*

*ris officium, angelus eſt; ex eo quòd eſt, ſpiritus eſt; ex eo quòd agit, angelus eſt.* Dicitur etiam dæmon quaſi δαίμων, id eſt, *ſapiens*, quia res naturales in ſuis cauſis pervidet: genius, quia occulta virtute agit: anima cæli, quia motum aſtris imprimit, ipſiſque tanquam forma aſſiſtit: minor deus ab excellentia, quâ ad Deum propiùs accedit.

II. Assertio. Angelus definitione quid rei, eſt ſubſtantia creata completa purè ſpiritalis. Breviùs, ſpiritus creatus purus. Dicitur ſubſtantia, vt diſtinguatur ab accidente. Creatura, vt diſtinguatur à Deo, qui eſt ens à ſe & increatum; angelus verò ens ab alio, itaque creatum. Completa, vt diſtinguatur ab anima rationali, quæ eſt pars hominis eſſentialiter incompleta. Purè ſpiritalis, vt ab homine diſcrepet, qui naturam habet ex corpore & anima temperatam.

Ex hac definitione quatuòr infero. 1. Angelùs conſtituit quoddam genus entis Deum inter & hominem medium; Deo quidem imperfectius, ſed perfectius homine. 2. Et quoniam medium participat rationem extremorum, hoc eſt perfectiones vtrique extremo communes & quaſi affines; hinc vides cur ſit ſubſtantia & quidem creata. 3. Diſtinguitur eſſentialiter à Deo, corpore, & homine. 4. Quare de angelo negari debent quæ primò & per ſe tres illas naturas conſtituunt, juxta iſtud pronuntiatum: *Quæ eſſentialiter differunt, diverſas habent rationes ſpecificas ſui conſtitutivas.*

§. II.

## §. II. *De cauſis angelorum extrinſecis.*

UNICA OBSERVATIO. CAUSA extrinſeca duplex cùm ſit, efficiens vna, finalis altera: quærimus hîc quæ ſit cauſa efficiens & finalis angeli.

I. ASSERTIO. Angeli producti ſunt à Deo per creationem, & quidem immediatè. Tres ſunt partes aſſertionis: prima, quod angeli à Deo producti ſint; ſecunda, quòd per creationem producti ſint; tertia, quòd immediatè.

Probatur prima pars. 1. ex Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter*, in quo habetur, Deum ab initio temporis ſimul vtramque condidiſſe naturam, *ſpiritualem & corpoream, angelicam videlicet & mundanam*. Probatur 2. ratione: angeli vel ſunt entia à ſe, vel à Deo producti: non ſunt entia à ſe; eſſent enim Deus, quod deſtruit conceptum naturæ angelicæ. Deinde ſi eſſent à ſe, non eſſent Deo ſubjecti: at ſunt Deo ſubjecti; boni quidem ſponte, mali autem inviti: hinc *Dei miniſtri, famuli, interpretes divinæ voluntatis* à SS. Patribus appellantur.

Probatur ſecunda: vel producti ſunt ex præjacente materia, vel ex nihilo ſubjecti: non ex præjacente materia, quia puri ſpiritus: ergo ex nihilo ſubjecti: ergo per creationem; omnis enim productio ſubſtantiæ creatæ eſt vel creatio vel transformatio.

Confirmatur aſſertio: non potuerunt produci per generationem ſpiritualem, vt Verbum; aut per proceſſionem, vt Spiritus ſanctus: quia vtraque productio eſt communicatio naturæ, non

tantùm participatio, habetque terminum non tantùm ſimilem, ſed conſubſtantialem. Porrò angeli non ſunt Deo conſubſtantiales, ſed ſimiles; naturam ejus non communicant, ſed participant tantùm.

Probatur tertia ex ſuperiori, quia cùm virtus creandi ita ſit Dei propria, vt creaturæ communicari nullatenus poſſit, conſequens eſt, angelos à Deo fuiſſe immediatè productos. Itaque erravit Avicenna, cùm ſomniavit, à Deo creatum immediatè primum angelum, à quo deinde ſecundus, & à ſecundo tertius productus ſit. At quando & quo in loco creati ſunt? Ut reſpondeam ſit.

II. Assertio. Angeli creati ſunt in tempore & ſimul cum hoc mundo ſenſibili. Probatur prima pars: vel creati ſunt in tempore, vel ab æterno: non ab æterno, quia creatura quælibet fuit tota æternitate anteriori ſub non eſſe ſui, quippe quæ ſit ex non extantibus juxtra Patrum placitum.

Probatur ſecunda. 1. ex Conc. Lateran. jam citato, vbi Deus dicitur ſimul initio temporis condidiſſe vtramque naturam. 2. ex D. Thoma: angeli ſunt pars vniverſi: ergo condi debuerunt vnà cum aliis partibus; pars enim tum perfecta eſt, cùm eſt in ſuo toto; imperfecta autem, cùm eſt extra ſuum totum. Porrò quòd non ante primum diem producti ſint, patet ex eo quòd Exod. 2. Deus dicatur ſex diebus omnia condidiſſe: nec ante cælum & terram, quia *in principio, id eſt, primùm & ante omnia, creavit Deus cælum & terram.* Quòd item primo die conditi ſint, Job ipſe innuit c. 38. cùm ait, tum

cùm Deus fundamenta terræ appenderet, filios Dei, id eſt, angelos, fuiſſe. Mitto quòd nomine *cæli* plerique Patrum angelos interpretentur, quorum dignitati id maximè congruebat, vt eſſent primum Dei opus ad extra & *initium viarum Domini*, vt ait Propheta de primo angelo loquens.

III. Assertio. Angeli in cælo probabiliùs conditi ſunt. Probatur, quia naturæ puriori purior debetur locus, cujuſmodi eſt cælum. Deinde in eo loco condi par fuit, ex quo naturæ corporeæ commodiùs præeſſent. At quodnam fuerit illud cælum, diſputant inter ſe auctores. Alii in cælo empyreo pugnant procreatos fuiſſe, tum quia cælum empyreum contemplationi aptiſſimum eſt, cui potiſſimùm vacare puræ illæ mentes debent: tum quia nobiliſſimis ſubſtantiis nobiliſſimus debetur locus: tum quia ex illo ſupremo cælo, cujus vis ad omnia latè corpora ſubjecta pertinet, influere in mundum inferiorem debent. Alii in cælo ſidereo conditos volunt, 1. quia Iſai. 14. Lucifer jactat inſolentiùs ſe aſcenſurum in cælum, ergo non erat in cælo, ſaltem ſupremo. tum quia minùs decebat beatorum ſedem labe peccati fœdiùs inquinari. Alii apud Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. putant bonos in cælo, malos in mundo inferiori productos. Sed minùs probabiliter, cùm enim vnam rempublicam efficiant ſpiritus illi, in vno loco creari debuere; deinde qui in inferiori mundo conditi, culpâ nondum commiſſâ, puniti fuiſſent. Vbi vbi porrò creati ſint, certum eſt rebelles ſpiritus indidem dejectos, eiſque deberi duplicem locum, alterum ratione

culpæ, qui eſt infernus; alterum ratione exercitii & tentationis, nempe aërem, quem libenter incolunt, vt nobis faciliùs nocere poſſint, juxta illud Lucæ c. 8. *Rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyſſum irent*; pœnam interpretantes ſibi haud levem, ab eo loco expelli, in quo nobis obeſſe poſſent.

III. Assertio. Cauſa finalis creationis angelorum fuit gloria Dei. Probatur 1. quia finis partis idem eſt qui & totius: vniverſi finis eſt gloria Dei: ergo & angelorum, qui ſunt pars vniverſi. 2. Quia cùm ſint pars mundi nobiliſſima, & maximè intelligens, vtraque Dei gloria cùm objectiva, tum formalis in iis potiſſimùm elucet: in iis enim ſe ipſum Deus tanquam in nitidiſſimis ſpeculis expreſſit clariùs, & ſignavit perenniùs, & ſuaviùs pinxit; & aliunde ab ejus cognitione nunquam avocantur, cùm ſe totamque naturam perfectè cognoſcant; & ſi beati ſint, aſſiſtant eidem atque intimè contemplentur.

## §. III. *An angeli ſint incorporei, & ſimplices.*

I. Observatio. Incorporeum idem eſt ac ſpiritale; prorſus ſpiritale, quod nec quantitas eſt, nec quantitatem exigit: hæc enim eſt communis notio ſpiritalitatis, quæ craſſam illam & ſolidam entitatem, quam habent omnia corporea, à ſubjecto ſuo penitus excludit, juxta illud Lucæ 24. *Spiritus carnem & oſſa non habet.*

II. Observatio. Simplex opponitur

compoſito; compoſitio autem alia eſt phyſica, alia metaphyſica, alia logica, vt aliàs diximus: hinc multiplex quæſtio naſcitur de angelorum ſimplicitate & compoſitione.

III. Observatio. Duplex fuit ſententia circa ſpiritalitatem angelorum. Prima, quæ eſt quorumdam veterum Theologorum, docet, angelos ex æthereis ac ſubtiliſſimis corporibus conſtare, quæ tamen non impediunt quominus ſpiritus dici queant. Hanc ſententiam videntur tenuiſſe SS. Juſtinus in Dial. cum Tryphone; Ephræm ſerm. de natur. Dei minimè ſcrutanda, vbi ignea illis corpora affingit; Cæſarius Dial. 1. interp. 48: Origenes in libris περὶ ἀρχῶν; Auguſtinus, licèt dubitanter, aliique plures. Secunda; quæ eſt omnium Theologorum hujus ætatis, pugnat eſſe prorſus incorporeos.

I. Assertio. Angeli ſunt ſubſtantiæ purè ſpiritales. Ita multi è SS. Patribus. Ignatius in epiſt. ad Trallaanos qui ἀσωμάτυς φύσεις, *incorporeas naturas*, vocat Gregor. Thaumat qui ἀσωμάτυς δυνάμεις, *incorporeas virtutes*. D. Chryſoſt. Hom. 22. in Geneſ. & 1. in Matth. *Fecit*, inquit, *angelos & archangelos ac reliquas incorporeas ſubſtantias.* Et inter Latinos Marius Victorinus, Lactantius, &c.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ angelos & dæmones ſpiritus ſæpius appellat, & quidem ſine reſtrictione, vt ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus.* Apoc. 1. fit mentio ſeptem ſpirituum qui in conſpectu throni Dei ſunt, & paſſim in Evangeliis dæmones ſpiritus immundi vocantur. Scripturæ Concilia ſuffragantur & Patres; Concilia quidem, Lateran c. *Firmiter*,

quod jam citavi, & Nicænum I. action. 2. vbi in profeſſione fidei Sophronii animæ rationales & angeli inter ſubſtantiales intellectuales ac ſpiritales numerantur : at animæ rationales ſunt purè ſpiritales & incorporeæ, ſicut definitum eſt in Con. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. Ergo & angeli ſunt purè ſpiritales & incorporei. Patres verò, nempe Dionyſius qui cap. 1. de *cæleſti hier.* hierarchias angelorum ἀΰλους, *immateriales*, & c. 2. ἀσχηματίστους, *omni carentes figura vocat*, aliique jam citati.

Probatur ratione duplici. Prima fit à priori : niſi angelus purè ſpiritalis ſit, deerit univerſo illud genus entis quod eſt poſſibile, & ad ejus perfectionem multùm confert : at non debet genus entis creati purè ſpiritualis mundo deeſſe : ergo, &c.

Secunda à poſteriori : legiones integræ ſæpe vnum idemque corpus penetrant: ergo neceſſe eſt angelos carere corpore. Quomodo enim legio integra quæ numero *6666.* definiri ſolet, vno hominis corpore contineri poſſet.

Dices : corpora angelorum atomis eſſe quàm ſimillima. Contrà 1. Angeli in tam exigua mole nec commodè habitare, nec operari poſſent. 2. Videmus quò validiora ſunt animalia, eò corpora eorum nervoſiora & materiæ ſolidioris eſſe : ergo minùs probabile eſt ejuſmodi ſpiritus tam minuta corpuſcula habere, per quæ tantas vires exerere poſſint. 3. Quis credat exigua illa corpuſcula cælis ſideribuſque movendis ſufficere, nec ſtatim movendo fatigari & exhauriri penitus ? Denique hæc millia dæmonum tam multa, cùm energumenum invadunt, ipſius phan-

taſiam parteſque alias interiores immutare debent: ergo debent inſidere organo, aliiſque partibus quas occupant. Jam quæro quomodo ſine penetratione eò pervenerint. Certè meatus corporis, cùm continui non ſint, ſed partibus ſolidioribus interjectis dirempti, tot corpuſculis admittendis non ſufficiunt.

Confirmatur aſſertio: angelus non indiget corpore: ergo non eſt corporeus. Probatur ant. corpus ex ſe non ſubſervit naturæ intelligenti ad operandum: ergo angelus qui eſt natura intelligens, non indiget corpore. Prob. ant: angeli operationes ſunt cognitio, volitio & motus: ad ejuſmodi operationes non indiget corpore; non ad intelligendum, tum quia ex D. Thoma materia eſt obex cognitionis, vt patet inductione per ſenſus: tum quia anima ſeparata perfectiùs intelligit quàm corpori conjuncta. Non ad motum proprium: corpus enim celeritatem angeli impediret potiùs quàm juvaret. Hanc celeritatem bellè deſcribit Tertull. in Apolog. c. 22. *Omnis*, inquit, *ſpiritus ales eſt, hoc angeli & dæmones. Igitur momento vbique ſunt, totus orbis illis locus vnus eſt. Quid vbique geratur, tam facilè ſciunt, quàm enuntiant; velocitas divinitas putatur.* Nec ad motum aliorum corporum, v. g. cum aliò montes transferunt, tempeſtates cient, fulgura emittunt. Denique ſi corpore conſtat angelus, ex qua materia conflatum eſt? an ex cæleſti? at ſolidi ſunt cæli. an ex aërea aut ignea? ergo mortalis erit, aut certè ex alio in aliud corpus tranſibit, cùm illa corpora diſſolventur. Quid quòd corpus angeli perfectius eſt corpore humano, quia nobiliori formæ nobilior

materia debetur: at corpus elementare ignobilius eſt corpore humano: igitur corpus angeli, ſi quod ſit, non poteſt eſſe elementare.

II. Assertio. Angeli ſunt phyſicè ſimplices Probatur: illud ens eſt phyſicè ſimplex, quod non componitur ex materia & forma ſubſtantiali, aut ex partibus integrantibus: angeli non componuntur ex materia prima & forma ſubſtantiali, aut ex partibus integrantibus: ergo angeli ſunt phyſicè ſimplices. Minoris ſunt duæ partes.

Probatur prima: ſi qua ex materia conſtarent angeli, maximè ex materia ſpiritali; cùm enim purè ſpiritales ſint, non poſſunt conſtare ex materia corporata: at non conſtant ex materia ſpiritali, tum quia materia ſpiritalis inutilis eſt, tum quia impoſſibilis: inutilis quidem, ſi enim requireretur, vel vt formam in operando juvaret, vel vt reciperet ſpecies intellectuales. Ad neutrum munus requiritur; non ad primum, quia cùm operatio intellectiva & volitiva ſpiritales ſint, requirunt tantùm principium ſpiritale ſui effectivum receptivumque, cujuſmodi eſt ſubſtantia angeli phyſicè ſimplex: non ad ſecundum: vt enim anima rationalis ſpecies ſpiritales & operationes, quas elicit, in ſe recipit; ita ſubſtantia angeli ſimplex in ſe ſpecies & operationes ſuas recipere poteſt. Certè non minùs apta eſt ad recipiendas ejuſmodi ſpecies & operationes ſpiritales ſubſtantia angeli, quàm materia ſpiritalis. Impoſſibilis veró, 1. quia eſſet materia prima, & non eſſet, eſſet, vt ſupponitur; non eſſet autem, quia eſſet intellectiva, adeóque non eſſet pura potentia; & aliunde eſſet pura potentia, quia eſſet materia prima. 2. Illa ma-

teria, eſſet ſubjectum tranſmutationis, & non eſſet: eſſet, quia eſſet materia prima; non eſſet autem, vt patet: aliàs angelus foret corruptibilis. At

Dices 1. licèt illæ ſpecies in ſubſtantia angeli aut in intellectu recipiantur, adhuc recipi poſſunt in materià ſpiritali. Reſp. nego: ideo enim partes componentes ordinantur inter ſe, vt aliquam perfectionem acquirant in compoſitione, quam ex ſe ſeparatim ſumptæ non habebant: at angeli ſubſtantia ſeu intellectus illius ſpecies recipere poteſt: ergo ſuperflua eſt illa materia ſpiritalis.

Probatur ſecunda pars: 1. quia hoc ipſo quòd ſubſtantia eſt ſpiritalis, non eſt ſectilis in partes integrantes, vt confecimus exemplo animæ rationalis tom. 3. Phyſ. partic. part. 11. diſp. 1. a. 2. §. 1. aſſert. 2. 2. Si poſſibilis eſt ſubſtantia ſpiritalis in partes integrantes dividua, vtique mortalis & corruptibilis erit, ſaltem in ratione totius compoſiti; tunc enim totum deſtruitur, cùm in partes ſecatur, quia non eſt ampliùs totum illud quod erat priùs. 3. Præſtantia & nobilitas naturæ angelicæ id exigit, vt non ſit formaliter dividua, ſed ad ſummum virtualiter, quatenus formalibus partibus correſpondet. Denique ſi ex partibus integrantibus conſtaret angelus, vel eſſent homogeneæ, vel heterogeneæ. ſi homogeneæ, quælibet pars angeli eſſet angelus, ſicut quælibet pars caloris eſt calor; & ita vnus angelus eſſet multi angeli: ſi heterogeneæ, vtique vna pars angeli erit intellectiva, alia volitiva, alia loco-motrix: at vnica ſubſtantia poteſt eſſe hæc tria peræquè in angelis atque in anima

rationali ; & quod eſt principium radicale intelligendi, poteſt quoque eſſe principium volendi aut operandi ad extrà.

Ex dictis inferes, angelum non eſſe corruptibilem ab intrinſeco; cùm enim ſit ſimplex ſubſtantialiter, eſt ſibi quodammodo interna cauſa. Sicut ergo eſt à ſe inſeparabilis, ita non eſt propriè & ab intrinſeco corruptibilis. Deinde vt aliquid ſit ſtrictè & ab intrinſeco corruptibile, debet tranſmutari de ente in actu in ens in potentia, ex Ariſtotele l. 1. de gener. & corrupt. c. 3. angelus non poteſt tranſmutari de ente in actu in ens in potentia, deberet enim in ſe recipere aliquid deſtructivum ſui eſſe: at non poteſt in ſe recipere aliquid ſui eſſe deſtructivum ; quia deberet in eo receptivum diſtingui à deſtructibili: recipiens enim quà recipiens, non poteſt recipiendo formaliter deſtrui; aliàs eſſet, quia reciperet; non eſſet autem, quia deſtrueretur, & ita dum effectus cauſaretur, cauſa deſtrueretur: at angelus ex dictis eſt ſimplex ſubſtantia carens partibus phyſicis cùm eſſentialibus, tum integrantibus: ergo, &c.

III. Assertio. Quamvis angelus compoſitionem phyſicam reſpuat ex materia & forma ſubſtantiali & ex partibus integrantibus, aliquam tamen admittit ex ſubſtantia & accidente phyſico, nempe ex ſubſtantia, potentiis, habitibus & operatione. Probatur: angeli deficiunt à ſimplicitate divina: ergo admittunt compoſitionem phyſicam ex ſubſtantia & accidente, nempe ex ſubſtantia & facultatibus, ex habitibus & ſpeciebus infuſis & ex operatione, juxta doctrinam D. Dionyſii, qui cap. 11. de cæl.

hierach. tria in angelis agnoſcit, οὐσίαν, *ſubſtantiam*, δύναμιν, *potentiam*, ἐνέργειαν, *actionem*.

IV. Assertio. Angelus non eſt logicè aut metaphyſicè ſimplex.

Probatur prima pars: angelus conſtat genere & differentia propriè dictis, vt patet ex definitione jam tradita: ergo non eſt logicè ſimplex; vt enim ſe habent materia & forma in phyſicis, ita genus & differentia in logicis: hinc angelus deficit à ſimplicitate Dei, in quo nec genus eſt, nec differentia.

Probatur ſecunda: angelus admittit compoſitionem metaphyſicam, eamque multiplicem: ergo non eſt ſimplex metaphyſicè. Probatur ant. componitur ex ente & non ente, habet enim ſuum eſſe proprium, & negationem plurium entium, putà hominis, leonis, &c. Cùm enim ſit ens ab alio, neceſſariò eſt ens limitatum, adeóque partim eſt ens, partim non ens; imò plus habet de non ente quàm de ente. 1. Ex actu & potentia metaphyſicis, quatenus poteſt concipi cum negatione exiſtentiæ, & relatione ad cauſas intra quas contineatur, & ita concipitur in ſtatu poſſibilitatis. 2. Licèt ſit actu, habeatque perfectionem vnam, eſt tamen in potentia ad alteram, quam habere poteſt & debet, putà ad habitus acquirendos, aut ad operationem. 3. Ex eſſentia & exiſtentia, quæ conceptu objectivo inter ſe diſtinguuntur in creatis juxta principia jam tradita. 4. Ex ſubſtantia & accidente metaphyſico: nullus enim eſt angelus, qui non relationem includat. Denique ex natura & ſubſiſtentia, quæ ſupra naturam exiſtentem importat negationem vnionis cum altero,

à quo ſubſtantialiter perfici poſſit. Hinc patet quantùm angelus à ſimplicitate divina deficiat. Nam cùm Deus ſit ens per eſſentiam & à ſe, opponitur omni non enti; & cùm ſit actus puriſſimus, excludit omnem potentiam. Præterea conceptus exiſtentis in eo eſt ſummè ſimplex, eſtque id omne quod habet.

## §. IV. *Diluuntur objecta.*

QUÆDAM argumenta pugnant, angelos eſſe corporeos; quædam, componi ex materia, ſi non corporata, ſaltem ſpiritali & forma ſubſtantiali: ſingulis ordine ſatisfacio.

Objicies 1. Illæ ſubſtantiæ ſunt corporeæ, quibus functiones corporeæ tribuuntur: angelis functiones corporeæ tribuuntur: ergo ſunt ſubſtantiæ corporeæ. Probatur minor: ligari, generare & comburi ſunt functiones corporeæ: angelis convenit ligari, generari & comburi: ergo, &c. Prob. minor. Nam ex 1. Apocal. 9. quatuor angeli ligati ſunt in Euphrate, & Tob. 8. angelus Raphael Aſmodæum religavit in deſerto. 2. Filii Dei, nempe angeli, dicuntur in Scripturis filias hominum appetiiſſe, delectari nidoribus & fumo. 3. Mulieres ex incubis dæmonibus prolem peperere. 4. Dæmones torquentur ab igne inferorum. At hæc fieri non poſſunt ſine corporibus & organis ſenſuum: ergo, &c.

Reſp. negato primo ant. diſtinguo minoris primi ſyllogiſmi partem primam: ligantur angeli propriè, nego; metaphoricè, concedo: dicuntur enim angeli ab angelis ligari, vel quatenus

ex imperio ſuperioris angeli, ne ſe inferior moveat, ob ſubordinationem quæ eſt inter illos, Deus negat concurſum inferiori ad motum: vel quatenus jubet vnus angelus ex parte Dei, ne ſe moveat, & ſi ſecus faxit, minatur ingentes pœnas, ſic lex hominem ligat moraliter: vel etiam phyſicè per impreſſionem qualitatis detentivæ. Ut enim angelus habet vim ſibi inſitam, qua res alias tenet, poteſtque in varias mundi partes tollere, & vim projectivam alterius per impetum illi impreſſum, vt multis placet; ita & vi detentiva pollet, qua qualitatem permanentem alteri angelo imprimat, & ita ipſum alliget. Atque illa ſunt quæ in Scriptura vincula, rudentes & catenæ vocantur. Porrò illa qualitas detentiva, ſi quæ ſit, deſtruitur per impetum contrarium illi impetui per quem producta fuerat.

Ad ſecundam reſp. per filios Dei non angelos aut filios principum & magiſtratuum, vt docet Eugubinus, ſed poſteros Seth intelligi, qui contra juſtiſſimum parentis mandatum, filias Caini rapuere, vt eas vitiarent; dicuntur autem filii Dei, quòd eſſent cultores pietatis & Deo conſecrati.

Ad tertiam: dæmones ideo dicuntur odoribus & nidoribus delectari, quòd illis placeant ſacrificia & oblationes à ſceleratis & nequam hominibus factæ, dum ſe illis devovent.

Ad quartam: incubi dæmones non propriè generant, nec exercent operationes vitales, ſed per ſemen ab homine deciſum & tranſlatum, cui ineſt vis generandi; hinc proles nata non partus dæmonis, ſed hominis à quo ſemen eſt

deciſum, eſſe dicitur. Atque idipſum in cauſa eſt, cur ex dæmone ſuccubo proles nunquam oriatur; ſemen enim mutari non poteſt in corpus organicum, niſi longiori temporis tractu, adeóque continua vegetantis animæ operatione in fœtu alendo opus eſt: quæ omnia dæmon in aſſumpto corpore præſtare non poteſt.

Ad quintam: non vna eſt Theologorum reſponſio. Prima docet, torqueri dæmones objectivè ab igne, quatenus ipſis vt ſignum perpetuò repræſentat iram divinam & carentiam beatitudinis æternæ, quâ culpâ ſuâ exciderunt. Secunda pugnat, torqueri etiam effectivè per alligationem, quatenus igni inferorum tanquam carceri alligantur. Pœna quippe eſt angelis libertatem motus ſui affectantibus ſanè gravis, igni perpetuò alligari, ſicut homini duriſſimum eſt perpetuò carcere detineri, ex quo non poſſit, quando velit, pro innata ſibi libertate exire. Tertia contendit, ab igne inferorum per efficientiam divinam elevato qualitatem doloriferam produci in ſpiritu damnato, quæ horribilem in modum fœdet naturam tam nobilem, & contemptibilem aliis reddat, ſicut gratia ſanctificans naturam rationalem inſigni pulcritudine exornat, quæ Dei ipſius & beatorum omnium amorem eidem conciliet. Porrò in hac ſententia combuſtio eſt tantùm metaphorica, & ſignificat gravem dolorem, cujus ignis cauſa eſt. Quarta eſt, ab igne elevato produci in dæmonum voluntate dolorem illi non abſimilem, quem patitur voluntas humana, dum corpus quod informatur ab anima rationali, igne comburitur. Sed hæc viderint Theologi.

Objicies 2. Ex SS. PP. non pauci angelos :orporeos appellant : ergo ſunt verè corporei.

Reſp. corporeum ſumi poſſe triplici ſenſu. . Sumitur interdum pro eo quod vtcunque deinito in loco continetur & in eo movetur : quo ſenſu Rupertus & D. Bernardus angelos eſſe :orporeos probant. 2. Sumitur pro eo quod licèt ſpiritale ſit, tamen non omnino ſimplex eſt ; & ita ſpiritus creati, ſi cum Deo comparantur, corporei à Gregorio magno vocantur, qui angelos collatos cum corporibus noſtris, ſpiritus eſſe; compoſitos verò cum ſummo & ncircumſcripto ſpiritu, eſſe corporeos affirmat 2. Moral. c. 3. Denique corporeum dicitur quod craſſum, ſolidum & palpabile eſt: quo ſenſu, Severianus, Bernardus & Paſſianus angelos incorporeos & ſpiritales ſubſtantias vocant, licèt tenue & igneum corpus illis affingant, vt videre eſt apud Petavium.

Inſtabis : In ſeptima Synodo generali actione 5. approbatur liber Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis, in quo angeli dicuntur eſſe tenui & aëreo corpore præditi.

Reſp. in eo Concilio, quod contra Iconoclaſtas congregatum fuit, non de natura angelorum, an corporei eſſent, necne, diſputatum fuiſſe; ſed tantùm an imagines Sanctorum & angelorum rectè in eccleſia pingi poſſent. Patres Concilii approbarunt, angelos, cùm in ſpecie corporea apparuiſſent aliquando, ſub eadem pingi poſſe : quod ex verbis ejuſdem Joannis Taraſius Patriarcha intulerat. At non deo approbarunt id quod Joannes Epiſcopus de corporibus angelorum ſcripſerat. At

Quæres an de fide ſit, angelos eſſe ſpiritales ſubſtantias.

Reſp. non id definitum eſſe ab Eccleſia; vnde ſententia quæ iis corpus affingit, cenſeri non debet hæretica, licèt temeraria ſit, quòd communi omnium Doctorum ſenſui repugnet.

## § V. *An angeli ſint incorruptibiles.*

UNICA OBSERVATIO. INCORRUPTIBILE dicitur quatuor modis. 1. Quod à nulla cauſa creata deſtrui poteſt. 2. Quod ex natura ſua exigit in æternum conſervari. 3. Quod nequidem à Deo per abſolutam ejus omnipotentiam deſtrui poteſt. 4. Quod eſt ita immutabile ex natura ſua, vt non poſſit alio atque alio modo affici. His obſervatis ſit

I. ASSERTIO. Angeli ſunt incorruptibiles primo & ſecundo ſenſu; id eſt, non poſſunt ab vlla cauſa creata, nec à Deo, quandiu agit ex potentia ordinaria, deſtrui. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperioribus; ſi enim angelus eſt ſubſtantia ſpiritalis, eaque ſimplex, nihil eſt valentius in natura, à quo interire poſſit; & aliunde ex natura ſua exigit Dei concurſum, quo jugiter ſuſtentetur.

Probatur ampliùs. 1. Non implicat dari creaturam, quæ ſemel producta in tempore, exigat conſervationem primæ cauſæ: ergo non id angelis eſt denegandum. Et verò cùm non minùs ſpiritalis ſit angelus quàm anima rationalis; imò in gradu ſpiritalitatis perfectiori conſtitutus ſit; ab intrinſeco & ex natura ſua perinde incorruptibilis eſſe debet. Præterea ex Caſſiodoro

lib. de anima c. 10. *Vnum atque ſimplex habere neſcit adverſum, & ideo ſemper manet, quoniam in eſſentia ſua non habet litem*: at angelus eſt ſubſtantia ſimplex: ergo ſemper manet, adeóque immortalis eſt.

II. Asserti o. Angeli non ſunt incorruptibiles tertio & quarto ſenſu. Probatur: quia vt liberè à Deo conditi ſunt per creationem, ita & liberè deſtrui poſſunt per annihilationem. Ratio enim dominii ſupremi in Deo exigit, vt quod libet ens creatum, cùm ſit ens à Deo, ſubſit perfectè dependeatque dependentia, quæ poteſt cogitari maxima, à ſuo creatore, a quo proinde deſtrui poſſit, cùm ipſi libuerit. Deinde angelus poteſt mutari ſecundùm qualitates quas in ſe recipiat, & in ſe cogitationum peræquè ac volitionum viciſſitudinem admittit: ergo poteſt tertio & quarto ſenſu corrumpi. Hinc illud pronuntiatum Epiphanii hæreſ. 76. *Quidquid enim habet principium, finem etiam habebit, ſi ei libuerit qui ei quod initium accepit, vt eſſet tribuit.* Itaque immortalis eſt incorruptæque naturæ angelus, ſi cum efficiente cauſa creata comparetur, quia nulla eſt à qua poſſit extingui; mortalis autem & interitûs capax, ſi ad ipſum, à quo ſolo perimi poteſt, conditorem Deum referatur. At

Objicies 1. Solus Deus habet immortalitatem, ex D. Paulo Timoth. 6. 2. Angelus ex natura ſua eſt capax vt à Deo annihiletur; ergo ex natura ſua mortalis eſt. 3. Si quæ ratio probaret angelos eſſe incorruptibiles, maximè quia non habent contrarium: at dantur qualitates quibus nihil eſt contrarium, quæ tamen deſi-

nunt paulatim, vt ſpecies intentionales, ſonus & impetus impreſſus: ergo, &c.

Reſp. ad 1. diſt. ſolus Deus habet immortalitatem, id eſt, incorruptibilitatem qualemcumque, nego; angelus enim cùm ſit ſubſtantia ſimplex & vniuſmodi, hoc ſaltem ſenſu incorruptibilis eſt, quòd nec ab vlla cauſa creata efficiente, nec ab ipſo Deo juxta exigentiam angeli agente deſtrui poſſit.

Ad 2. diſt. angelus eſt capax vt à Deo annihiletur, juxta exigentiam angeli naturaliter agente, nego; agente ſupernaturaliter & contra exigentiam naturæ angelicæ, concedo.

Ad 3. concedo, aliquas eſſe qualitates, quæ licèt à Deo ſolo conſerventur, & contrarium non habeant; tamen perennem ſui conſervationem non exigunt: at nego id ipſum de ſubſtantia quæ à ſubjecto non pendeat, & contrario careat, dici poſſe. Diſpar ratio eſt, quòd accidentales illæ formæ propter imperfectionem ſuam non exigant ſemper eſſe. Non exigunt autem ſemper eſſe, quia ſubjecta quibus ſunt aliquomodo violentæ, illas non ſemper exigunt; ſubſtantiæ autem quæ ſubjectum non habent, exigunt ſemper eſſe, quando ſunt compoſitionis expertes.

Inſtabis: Si angeli exigunt ex natura ſua conſervari, non bene dicuntur à SS. PP. non naturâ, ſed gratiâ & beneficio conditoris immortales. Reſp. angelos hoc ſenſu dici à SS. Patribus beneficio conditoris immortales, quòd non ſint à ſe ac ſine dependentia, ſed per donum creationis & conſervationis immortales. Itaque cùm dicuntur angeli à D. Damaſceno

ib. 2. de fide c. 3. non naturâ, ſed gratiâ Dei mmortales, ibi gratia latè ſumitur pro beneficio conſervationis, ſine quo nulla creatura durare poteſt. Unus quippe Deus habet immortalitatem ſibi eſſentialem & prorſus independentem, quam pro nutu ſuo creaturis largitur, ſed cum dependentia & limitatione.

Ex dictis hactenus multa inferri poſſunt. 1. Cùm angelus ſit ens ab alio, pendet à Deo quadruplici genere dependentiæ; 1. in productione, 2. in conſervatione, 3. in operando, 4. vt beatus ſit. 2. Limitatur & finitus eſt in natura, quia Deum tantùm participat, adeóque partem illius duntaxat repræſentat; non enim eſt leo aut homo, quia limitatio vnius entis excludit alterius perfectionem. 3. Ex limitatione naturæ ſequitur limitatio in omnibus prædicatis tum tranſcendentalibus, tum categoricis; eſt enim perfectionis finitæ. Item menſuratur tempore, loco & cognitione: tempore, quia finitam habet durationem ſaltem à parte anteriori, & aliunde deſtrui poteſt à Deo, cùm voluerit; loco, non eſt vbique; cognitione, quia comprehendi poteſt etiam ab intellectu creato. 4. Angelus, quatenus eſt ens purè ſpiritale, eſt omnium entium creatorum perfectiſſimum; cæteri enim gradus entis ſunt longè imperfectiores gradu intelligente: natura enim purè intelligens eſt omnis concretionis expers; alias item naturas in ſe format, cùm lubet, datque illis novum eſſe intentionale, ſe ipſam quodammodo reproducit, dum ſe cognoſcit, rebus longè diſſitis & maximè abditis ſiſtit ſe præſentem, & ita divinam immenſitatem quodammodo æmula-

tur. Præterea eſt totus actus phyſicè, totus vita, totus intellectus, totus mens, ſubtiliſſimus agilliműſque, nunquam ab opere ceſſans, defatigatus numquam, nunquam ſeneſcens, nunquam dormiens. Denique nullo aſpectabilis oculo corporeo; aliter potentia ferretur extra objectum ſuum, quod debet eſſe ſenſibile. Hinc licèt Deus magis diſtet ab intellectu creato in ratione entis, quàm angelus ab oculo; tamen minùs diſtat in ratione objecti & potentiæ.

---

# DISPUTATIO II.

## *De proprietatibus angelorum.*

HACTENUS de natura & conceptu quidditativo angeli egimus; nunc ejuſdem affectiones proſequimur. Et quoniam aliæ ſunt communes, quas tranſcendentales Philoſophi appellant; aliæ particulares, quas categoricas nuncupant: primùm de tranſcendentalibus, de categoricis deinde diſſeremus.

### ARTICULUS I.

### *De proprietatibus tranſcendentalibus angelorum.*

PROPRIETAS tranſcendens triplex cùm ſit, vnitas, veritas & bonitas; de vnitate primùm angeli, tum de veritate, poſtremò de

bonitate agemus. Rurſus cùm vnitas duplex ſit, vna metaphyſica, altera phyſica, quæ & vnibilitas dicitur; priùs de vnitate metaphyſica diſputabitur, quàm de vnitate phyſica.

## §. I. *De vnitate metaphyſica angelorum.*

Unica Observatio. Triplex vnitas metaphyſica: generica, quâ multa ſpecie diſtincta, dicuntur vnum genere: ſpecifica, quâ multa diſtincta numero, dicuntur vnum ſpecie: numerica, quâ quidpiam eſt vnum numero. Hinc triplex quæſtio naſcitur circa angelorum vnitatem & multitudinem. Prima, an multiplicari poſſint angeli tum genere, tum ſpecie, tum numero. Secunda, an reipſa ſint plures ſpecie. Tertia, an ſint plures numero.

I. Assertio. Angeli multiplicari poſſunt genere, ſpecie & numero. Probatur 1. quia nulla contradictio apparet in illa triplici multiplicitate intelligentiarum: ſi quæ enim eſſet contradictio, vel ex parte Dei, vel ex parte naturæ intellectualis ſe teneret: non ex parte Dei, quia Deus, vtpote ens ſimpliciter & per eſſentiam, eſt infinitè participabilis: non ex parte naturæ intellectualis creatæ, quæ cùm finita ſit & certo perfectionis genere concluſa, multiplicari poteſt ſpecie, aut genere, imò & numero, vt fuſiùs poſtea oſtendam. Et verò quidni angeli conueniant in aliquo genere remotiori ſpiritalis ſubſtantiæ, & differant genere proximo, ſicut homo & planta conveniunt in genere viventis, & diſcrepant in genere animalis? Certè ſolius eſt infinitæ eſſentiæ, comparem

naturam vel ſuperiorem excludere. Probatur 2. Non repugnat dari diverſos tendendi modos in objecta intelligibilia, qui angelis conveniant, cùm ſint in infinitum multiplicabiles: ergo poteſt dari ſpecifica & generica angelorum diverſitas. Quidni enim detur vni angelorum ordini vnus tendendi modus, quaſi ſuus ac proprius, & alteri etiam ordini alter quoque tendendi modus genericus, qui aliis ordinibus communis non ſit?

II. Assertio. Probabiliùs plures reipſa ſunt ſpecie angeli: Probatur 1. Varietas ſpecierum in mundo ſenſibili & corporato commendat Dei potentiam, & ad ordinem vniverſi haud parum confert: ergo & varietas ſpecierum angelicarum potentiam Dei mirificè commendat. Probatur 2. Non repugnat dari angelos ſpecie diverſos: ergo verè dantur; ex quo enim capite repugnaret? An ex parte omnipotentiæ divinæ, quæ vt in inferioribus gradibus entis potuit tot rerum ſpecies producere, & verò produxit, ita in ſupremo gradu intellectuali potuit & debuit plures ſpecies procreare? An ex parte ſubſtantiæ ſpiritalis completæ. At huic multiplicitati nec ſimplicitas illius ſubſtantiæ, nec perfectio officit; non ſimplicitas, quæ ſicut non excludit ab intelligentiis compoſitionem ex eſſentia & exiſtentia, ex natura & ſuppoſito; ita nec compoſitionem ex genere & differentia reſpuit. Non perfectio illius gradus; cùm enim natura angelica finita ſit, poteſt vna à nobis intelligi eſſentialiter perfectior altera; & aliunde vis intelligendi in Deo infinita cùm ſit, poteſt magis ac magis à natura creata participari.

Confirmatur: SS. Patres docent angelos gratiam à Deo accepiſſe naturæ ſuæ accommodatam: ergo ſupponunt inæqualitatem eorum in natura ante omnem gratiam. Ad hæc, ſi diſtinctio & ordo ſpecierum in inferioribus gradibus corporum vniverſum mirificè ornat, quantò magis diſtinctio ſpecierum in ſubſtantiis ſeparatis vniverſi perfectionem augebit. Denique hominem inter & imperfectiſſimum animal plures ſpecies invenias: ergo multò magis inter Deum & hominem qui in gradu intellectuali à ſe invicem ſummè diſtant, par fuit multos gradus naturarum intelligentium ſpecie inter ſe differentium reperiri.

Objicies 1. Ex D. Baſilio lib. 3. contra Eunomium in principio, angeli omnes ſicut ſunt appellationis vnius: ita ſunt ejuſdem naturæ inter ſe. Et ex D. Athanaſio, angelorum, archangelorum, &c. una eſt eſſentia, ſicut vna eſt eſſentia hominum. 2. Inter animas rationales non eſt diſtinctio ſpecifica: ergo nec inter angelos.

Reſp. 1. ad SS. Patres, eos perinde locutos de natura angelica, atque de vna ſpecie inſtar humanæ, quia ſicut id in quo homines conveniunt, eſt in iis perfectiſſimum: ita id in quo angeli conveniunt, perfectiſſimum eſt, nempe gradus ſpiritalis intelligens & à materia omnino abſtractus. Ad 2. diſpar ratio eſt, quòd anima rationalis ſit alterum extremum totius latitudinis gradus intellectualis, adeóque infimum, & adeo ſummè diſtans, qui proinde ſpecie multiplicari non debuit. Contra verò cùm angelica natura ſit alterum quaſi extremum ſummè per-

ſectum, propiuſque ad Deum accedat, æquum fuit plures ſub ſe ſpecies continere, quæ perfectiones Dei in ſe plures repræſentarent.

III. Assertio. Angeli ita ſpecie differunt inter ſe, vt multi intra eandem ſpeciem ſolo numero differant. Hæc aſſertio eſt contra D. Thomam, ejuſque aſſeclas complures, qui omnes & ſingulos angelos ſpecie, non numero inter ſe differre pugnant.

Probatur 1. Si quæ ratio probaret, angelos non diſtingui numero, maximè quia individuatio ab vna materia petitur: at falſum eſt individuationem ab vna duntaxat materia peti: tum quia plures colores numero diſtincti eidem materiæ ſucceſſivè inſunt; tum quia animæ rationales, licèt ſpirituales ſint, ſolo numero intra eandem ſpeciem per ſe ipſas differunt: tum quia ejuſdem angeli plures cogitationes perinde ac volitiones ſolo numero diſtinguuntur: ergo, &c. Ratio à priori eſt, quòd detur principium in qualibet re priùs ipſa materia à qua individuatio peti poſſit; ex eo enim res eſt vna numero, quòd hæc ſit entitas, non alia, vt jam diximus parte 1. Metaphyſ. diſp. 2. §.

Probatur 2. à pari: perfectio intelligentiarum generica multiplicari poteſt in varias ſpecies propter finitudinem & limitationem: ergo perfectio earundem ſpecifica multiplicari poteſt numericè. Ratio eſt, quòd perinde detur in natura angelica fundamentum concipiendæ differentiæ numericæ, per quam angelus A diſtinguatur numero ab angelo B, atque detur fundamentum diſtinguendæ differentiæ ſpecificæ qua hierarchia A diſtinguatur ab hierarchia B ſub

eodem

nere ; licèt enim illæ differentiæ re idem ſint in gelo, virtualiter tamen diſtinguuntur inter ſe. :inde ſicut multiplicatio generum ſubalterno- m & ſpecierum infimarum in angelis ad mun- perfectionem confert, ita multiplicatio in- viduorum ſub ſpeciebus ipſi ornamento eſt, iia pulcritudo ex multiplici varietate potiſſimùm floreſcit. Præterea ad ornatum aulæ Principis iqua in omni ordine multitudo cum æqualitate affert adjumenti, vt plures aulici eadem mini- :ria poſſint decentiùs obire. Denique amicitiæ :rfectæ ratio ſocios ejuſdem gradus & ordinis ıſtulat ; eò enim perfectior eſt amicitia, quò ter æquales verſatur, & qui ſuperior eſt, magis nari vult, quàm amare ; hinc amicitia Regis l ſubditos, & patris ad filium amicitia excel- ntiæ ab Ariſtotele dicitur : ergo multitudo an- :lorum id exigit ad mutuam amicitiam arctiuſ- ıe vinculum, vt ſinguli habeant ſibi in natura ecifica ſocios, cum quibus familiariùs vivant. oc argumentum eſt D. Damaſceni orat. de ıabus Chriſti voluntatibus. *Vt ſapientiam*, in- iit, *ac poteſtatem oſtenderet, multas ſpecies fabri- tus eſt. Res autem in quaque ſpecie tum differentes, m convenientes, quoniam quod vnum eſt & ſo- m, à ſocietate & communione abhorret ac inſua- ' eſt ; ſocietate autem conjungi cum iis, quæ ſunt uſdem generis, jucundum & ſuave. Ob eam cau- m Dei natura in tribus perſonis perſpicitur. Ob mque cauſam non in ſingulis modò angelicarum rtutum ordinibus diverſas res ſingulas condidit, rùm etiam in quaque ſpecie, vt cùm natura con- nctione inter ſe conſociata, alia etiam alius volu- ıtem afferant, & naturali habitu & figura con-*

*juncta, alia aliis proſint & conſulant.*

Hic locus, vt vides, ſecundam & tertiam aſſertionem confirmat.

Objicies 1. Ex Ariſtotele individuatio petitur à materia : in angelis nulla eſt materia : ergo nec individuatio.

Reſp. 1. diſt. individuatio ſenſibilis & quoad nos, petitur à materia, concedo ; ſecundùm ſe, nego : petitur enim ab intrinſeca forma ſingularitatis, quam hæcceitatem vocant Philoſophi. Certè ipſa materia individuatur à ſua ipſius entitate ; non per ordinem ad aliam materiam primam, cùm ipſa ſit primum ſubjectum alteri ſubjecto incommunicabile ; nec per ordinem ad formas, ad quas indifferens eſt : ergo falſum eſt rem quamlibet individuari per ordinem ad materiam.

Inſtabis : In ſubſtantiis abſtractis idem eſt *qua* ſunt, & *quod* ſunt : ergo in angelis differentia individualis idem eſt cum eſſentia.

Reſp. diſt. idem eſt phyſicè & realiter, concedo ; metaphyſicè & ratione, nego : conceptus enim objectivus eſſentiæ ſpecificæ angeli diſtinguitur virtualiter à conceptu ſingularitatis.

Objicies 2. Angelus proximè accedit ad Dei actualitatem puriſſimam : ergo non poteſt ſpecie aut numero multiplicari, ſicut Deus nec ſpecie nec numero multiplicatur. Reſp. acceſſum majorem angeli ad Deum non in eo eſſe ſitum, quòd multiplicari numero nequeat, ſed quòd ſit ab omni materia ſemotus, & in intelligendo purior abſtractiorque.

## §. II. *De numero angelorum.*

I. ASSERTIO. ANGELORUM maxima eſt multitudo. Probatur 1. ex Scriptura, Danielis 1. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millia centena millia aſſiſtebant ei.* In quem locum Hieronymus: *Non quo iſte miniſtrorum Dei numerus definitus ſit, ſed quo majorem multitudinem humanus ſermo explicare nequiverit.*

Probatur 2. ratione triplici, quarum prima petitur ex Dei majeſtate, ſecunda ex parte vniverſi, tertia ex parte ipſorum angelorum. Ex majeſtate Dei: angeli creati ſunt à Deo, vt aſſiſtant & miniſtrent ei ad nutum: at infinitam majeſtatem decet numeroſo ſatellitio ſtipari, quia *in multitudine populi dignitas regis*, Proverb. 14. Deinde tantò plures debent eſſe creaturæ, quantò magis ad gloriam Dei tum objectivam, tum formalem conferunt: angeli multò plus conferunt ad gloriam Dei tum objectivam, tum formalem, quàm reliqua entia creata: ergo, &c. Ex parte vniverſi: par eſt, quæ ſunt meliora & perfectiora entia, plura quoque à Deo procreari: intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ perfectiſſimæ: igitur par fuit plures à Deo procreari. Ex parte angelorum: natura intelligens ex genere ſuo magis eſt multiplicabilis, quàm natura ſentiens, quia motus & dimenſiones quæ in ſe ipſis terminata ſunt, proceſſum quemdam infinitum in intellectu habere poſſunt pro arbitrio cogitantis. Quid quòd Deus, dum creavit angelos, prævidit multos à ſe defecturos: ergo debuerunt creari in maximo numero, ne deeſſet copia ſpirituum Deum laudantium.

II. Assertio. Quamvis multitudo angelorum maxima ſit, finita tamen eſt actu. Probatur 1. quia Deus omnia fecit in numero, pondere & menſura. Probatur 2. quia angeli ſunt creaturæ: at in creaturis repugnat dari multitudinem actu infinitam, vt confecimus tom. 2. Phyſ. vniv. part. 3 diſp. 2. art. 2. §. 4. aſſert. 3.

III. Assertio. Multitudo angelorum, licèt actu finita ſit, tamen eſt infinita potentiâ per aſcenſum, ſed finita per deſcenſum.

Probatur prima pars: angelorum ſpecies, quacunque data perfectiori ſpecie, poſſunt adhuc produci perfectiores in infinitum tum ex parte Dei, tum ex parte ſui. Ex parte quidem Dei, qui, vt habet eſſentiam infinitam, ita & potentiam infinitam: itáque magis ac magis à gradu intellectuali participalem; non enim deeſſe illi poteſt exemplar quod intueatur, nec bonitas quâ impleatur, nec ſapientia quâ dirigatur, nec virtus quâ exequatur. Non ex parte angeli, quia ex eo quòd plures in infinitum ſint producibiles; non deſtruitur conceptus angeli, nec exiſtentia vnius impedit exiſtentiam alterius: ergo quolibet producto angelo perfectiori, poteſt adhuc perfectior & perfectior in infinitum produci.

Secus ſe habet genus entium corporeorum, quòd homine tanquam termino intrinſeco & ſui generis finitur, quia nullum corpus humano perfectius dari poteſt, ideóque finitur & terminatur homine genus entium corporeorum quoad aſcenſum, licèt intra eandem rationem animalis dari poſſint animalia alia aliis perfectiora, quæ tamen vbi vnita fuerint rationali in homine, ſummam perfectionem ſenſitiyi gradus aſſequen-

tur, quia ſenſitivum non poteſt eſſe perfectius, quàm quod eſt in homine; itaque genus entis purè corporei finitum eſt extenſione, quia vltra animal rationale extendi non poteſt: at infinitum eſt continentia, quia ſub animali eſt infinitè dividuum.

Probatur ſecunda pars: quidni enim perinde dari poſſit angelus omnium infimus, ſicut datur materialis ſubſtantia omnium infima, nempe materia prima inter ſubſtantias incompletas, quæ ex Ariſtotele talis eſt in genere ſubſtantiæ, qualis eſt conſonans in genere ſonorum, adeóque deſpicatiſſima, & nihilo citima ſubſtantia. Quinetiam infimam illam angelorum ſpeciem à Deo productam facilè mihi perſuaſerim, tum quia in corporibus producta eſt imperfectiſſima ſubſtantia, nempe materia prima: tum quia connexio major partium vniverſi id exigit: tum quia par fuit Deum ab illa ſpecie infima productionem angelorum auſpicari, ne intentio Dei vaga foret & indeterminata.

III. Assertio. Non poteſt certò definiri, quis ſit ille angelorum numerus. Probatur: quia illa multitudo pendet ex Dei arbitrio, nec ex Scripturis conſtare nobis poteſt, quæ numerum indefinitum nobis innuit. Job. 25. *Numquid eſt numerus militum ejus.* Deinde ex D. Hieronymo vnaquæque anima habet angelum ab ortu nativitatis ſuæ in cuſtodiam ſui delegatum, ita vt vnus vni tantùm reſpondeat: numerus hominum eſt nobis incognitus: ergo & numerus angelorum cuſtodum, qui ex infimo ordine ad id muneris aſſumuntur: ergo multò magis nos latet numerus omnium angelorum, qui novem diſtinctis

ordinibus continentur.

Porrò alii exiſtimant numerum angelorum ſuperari à numero hominum, quia, inquiunt, tot ſunt homines prædeſtinati, quot ſunt angeli reprobi, ad quorum ſedes reſtaurandas, homines elegit Deus: at homines prædeſtinati in dupla tantùm proportione à beatis angelis ſuperantur; tertia namque pars angelorum à Deo deſcivit; & aliunde homines reprobi duplò plures ſunt, quàm homines prædeſtinati: vnde conſequens eſt plures eſſe homines, quàm angelos.

Alii putant multò plures eſſe angelos, quàm homines, probantque ex eo quòd quilibet homo ſuum habeat angelum cuſtodem, & quidem ex infimo ordine: ergo ad minimum tot ſunt angeli infimi ordinis, quot ſunt homines; præſertim cùm ſinguli homines ſuum peculiarem angelum habeant, qui nulli alteri ad cuſtodiam præſtò ſit.

Alii cum D.Thoma cenſent plures eſſe angelos, quàm ſint vel ſimul, vel ſucceſſivè individua materialia in tota amplitudine mundi ſenſibilis. Ratio D. Thomæ eſt, quòd ſicut corpora perfectiora Deus in majori magnitudine fecit, ita res ſpirituales in multitudine auxit, quia in magnitudine creſcere non poſſunt: at corpora cæleſtia ſuperant ſua magnitudine totam ſphæram elementarem: ergo & intelligentiæ, quæ ſunt ſubſtantiæ immateriales, totam materialium individuorum multitudinem ſuperant; hanc tamen multitudinem Caietanus & Ferrarienſis ad ſpecies reſtringunt, quæ ad perfectionem mundi pertinent. Non deſunt etiam qui exiſtiment, plures angelos qui remanſerint in gratia, exiſtere, quàm omnes

damnandi, ſive homines, ſive dæmones ſint etiam collectim ſumpti.

Ad Ariſtotelem quod ſpectat, quidam interpretes autumant, eum numerum intelligentiarum numero orbium cæleſtium definiiſſe; ſed ad mentem Philoſophi minus accommodatè: nam lib. 1. cæl. text. 100. agnoſcit quaſdam naturas alterationis immunes, optima ſibique ſufficientiſſima vita & ævo fruentes æterno, etiam extra cælos; quid autem ſunt illæ naturæ, niſi ſubſtantiæ ſeparatæ omniſque expertes concretionis, hoc eſt, intelligentiæ?

## §. III. *An ſit ordo aliquis inter angelos.*

CIRCA ordinem angelorum quæritur 1. an ſit aliquis ordo inter eos, 2. qualis ſit & quotuplex, 3. in quo potiſſimùm fundetur.

I. ASSERTIO. Datur ordo inter angelos. Probatur 1. Ubi datur multitudo, ibi datur ordo, præſertim ſi illa multitudo ſit opus ſummæ intelligentiæ; nam multitudo ſine ordine confuſio quædam eſt ex Philoſopho, 8. Phyſic. in angelis eſt multitudo tum ſpecifica, tum numerica, vt jam probavimus: ergo eſt ordo inter angelos. Probatur 2. In naturis corporatis ordo quidam eſt, & quidem decentiſſimus, vt patet contemplanti hunc mundum: ergo potiori jure datur ordo in naturis ſimpliciſſimis & ſpiritalibus, cujuſmodi ſunt angeli. Certè opus ſunt divinæ ſapientiæ longè præſtantiſſimum, cujus eſt diſponere & ordinare omnia. Hunc ordinem paſſim inculcant tum ſacri codices, tum SS. Patres, præſertim D. Dionyſius: at qualis eſt ille ordo?

II. Assertio. Ordo, qui eſt inter angelos, non eſt ordo cauſalitatis. Probatur: ordo cauſalitatis eſt ordo producentis & producti: inter angelos non eſt ordo producentis & producti: ergo inter angelos non eſt ordo cauſalitatis. Minor patet, quia angelus non poteſt angelum producere; vel enim produceret per creationem, vel per eductionem, ſeu generationem: non per creationem, quia nulla creatura creare poteſt, etiam vt cauſa inſtrumentalis, vt oſtendimus in Phyſica vniverſali; non per eductionem, quia cùm ſit purus ſpiritus, non poteſt produci ex præjacente materia.

III. Assertio. Datur ordo inter angelos duplex, alter dignitatis, alter agentis & patientis. Dignitatis quidem, quia vnus nobilior eſt altero; agentis verò & patientis, quia vnus agit in alium: nam ſuperior purgat, illuminát & perficit inferiorem. Porrò ordo qui eſt inter angelos, hierarchia à Patribus nuncupatur; hierarchia autem, prout cæleſti & terrenæ reipublicæ convenit, definitur, ſacer principatus, ſeu ordo inferiorum & ſuperiorum ſecundùm diverſos dignitatis gradus ſub vno ſummo principe ad ſacra miniſteria & Dei gloriam promovendam inſtitutus. Hinc hierarchia importat 1. multitudinem perſonarum inæqualium; 2. ſub vno principe qui huic multitudini præſit, eamque ordinet; 3. ſacrorum miniſteria, quæ ſunt media ſanctitatis, cujuſmodi ſunt in eccleſiaſtica hierarchia doctrina, ſacramentum & ſacrificium; in cæleſti autem divinum lumen, quod à Deo immediatè in primam hierarchiam, & à prima deinde in alias purgando, illuminando & perficiendo deri-

vatur. Finis hierarchiæ duplex, proximus & remotus. Proximus eſt perfecta vnio & ſimilitudo cum Deo per ſanctitatem; media autem ad illam ſanctitatem ſunt ſcientia, poteſtas & actio, juxta illud; D. Dionyſ. c. 3. *Hierarchia eſt ordo divinus, ſcientia & actio deiforme, quantùm poſſibile eſt, ſimulans, & per inditas divinitus illuminationes in Dei ſimilitudinem aſcendens.* Finis remotus eſt gloria Dei. Hierarchiæ ſic definitæ duplex ſpecies; altera eccleſiaſtica, altera cæleſtis, de qua hîc agitur.

Hierarchia angelorum eſt ſacer principatus, ſeu multitudo ſacra ſub Deo principe ordinata, perſonis inæqualibus conſtans, quarum aliæ alias ita purgant, illuminant ac perficiunt, vt prima à Deo purgetur & illuminetur, per ipſam deinceps ſecunda, & per ſecundam tertia, vt docet Bernardus lib. 5. de conſid. *Ex ipſo ſapientiæ fonte ore altiſſimi haurientes & refundentes fluenta ſcientiæ vniverſis civibus ſuis* Hinc inter angelos alios invenias perficientes, alios perficiendos, & ex D. Dionyſ. *Totum quod eſt in infimis ordinibus, eſt etiam in ſuperioribus, ſed cum exceſſu; & quidquid eſt in ſuperioribus, eſt etiam in inferioribus, ſed quodammodo diminutum.*

Hierarchia ſic definita, ſubdividitur in tres hierarchias partiales, quarum quælibet tres ſub ſe ordines, ſeu choros complectitur, quorum primus complectitur Seraphinos, Cherubinos & Thronos; ſecundus, Dominationes, Virtutes & Poteſtates; tertius, Principatus, Archangelos & Angelos. Prima hierarchia dicitur contemplatrix, quòd primarios Dei fulgores excipiat, & contemplationi addicta ſit. Secunda, guberna-

trix, quia ejus finis eſt vniverſi procuratio. Tertia, executrix ordinum divinæ providentiæ, rerum inferiorum tutelæ & defenſioni potiſſimùm invigilat. In prima, Dei gloriam promovent Seraphini per amorem eximium, Cherubini per ſcientiam, Throni per puritatem excellentem. In ſecunda, cùm ad rectam gubernationem tria requirantur, diſtinctio agendorum, ordinatio agendorum, & remotio impedimentorum, facultas demum ad agendum expedita: primum præſtant Dominationes, dum agenda imperant; ſecundum Poteſtates, dum modum agendi præſcribunt, & dæmones cohibent; tertium Virtutes, dum facultatem ad operandum, præſertim res mirabiles, exhibent. In tertia, Principatus gentibus & regnis præſunt; Archangeli principibus viris, Angeli privatis perſonis. Prima reſpondet ordini contemplantium, qui ſunt in Eccleſia militante; ſecunda, iis qui ad regimen commune admoventur, putà principibus militiæ & ſupremis magiſtratibus; tertia, iis qui præficiuntur regimini alicujus provinciæ aut partis regni.

Rurſus, in qualibet hierarchia, cùm ſit multitudo ſub vno principe ordinata, eſt quædam ordinum diverſitas, quâ alii aliis ſuperiores dicantur: hinc in prima primum ordinem tenent Seraphini ob amorem quo Deo arctiſſimè vniuntur; ſecundum, Cherubini qui ſcientia eminent; tertium, Throni qui ab exceſſu interioris puritatis & affectuum ſedatione, quaſi ſedes divinæ majeſtatis appellantur. In ſecunda, Dominationes primatùm tenent, alioſque in agendo dirigunt; ſequuntur deinde Poteſtates, tum Virtutes, quæ quod in

miniſteriis difficillimum eſt, exequuntur. In tertia, Principatus præſtant Archangelis, & Archangeli Angelis.

III. Assertio. Ordo qui eſt inter hierarchias, non eſt tantùm ratione munerum, ſed etiam ratione naturæ, per gratiam conſummandus. Probatur 1. vniverſum eſt opus infinitæ ſapientiæ, & quidem omnia ordinantis : ergo inter partes illius eſt ordo ex natura rei : ergo perfectior eſt ordo inter naturas præſtantiores ; ordo quippe ſe habet ad ordinem, vt pars ad partem : at angeli ſunt perfectiores vniverſi partes, & ordo in natura fundatus perfectior eſt, quàm quilibet alius accidentalis : ergo debet eſſe inter naturas ſpiritales, cujuſmodi ſunt angeli. Et ſanè ſi inter res corporatas reperitur, quantò magis inter res ſpiritales ? Colligitur etiam à poſteriori ille ordo eſſentialis, nempe ex effectis & operationibus ; nam, vt docent Theologi, ſinguli ordines primæ hierarchiæ cognoſcunt effectus in Deo, tanquam in vniverſali principio ; ſecundæ verò ordines in vniverſalibus cauſis creatis ; tertiæ denique ordines in propriis & proximis cauſis.

Confirmatur aſſertio auctoritate Patrum & Theologorum. Gregorii Naz. orat. 34. q. 2. de Theol. vbi ait angelos eſſe puras naturas, perpetuos choros circa illam principem naturam agitantes, puriſſimo illius ſplendore perfuſas, aut *pro natura ordinis cujuſque proportione alias a'io modo colluſtratas*. D. Hieronymi qui ad Epheſ 1. ait diſtinctionem iſtorum ordinum fore perpetuam, vtpote in natura fundatam. Magiſtri Sentent. lib. 2. diſt. 9. *Ordo*, inquit, *dicitur multitudo cæleſtium ſpirituum, qui inter ſe in aliquo*

*munere gratiæ ſimilantur, ſicut & in naturalium datorum munere conveniunt.* Ergo dona Dei gratuita angelis à Deo conceſſa, reſpondent donis naturalibus, eorumque ſtatus ſupernaturalis præeminet, qui dignitate naturæ antecellunt; hinc dixi illum ordinem in natura fundatum, à gratia conſummandum ex D. Thoma & SS. Patribus.

Colliges 1. ex dictis, cùm phyſicam, tum politicam perfectionem vniverſi id exigere, vt ſit diverſitas ſpecifica inter angelos, adeóque ordines vnius hierarchiæ inter ſe convenire in aliquo proximo genere, & differre ab aliis ordinibus diſtinctarum hierarchiarum cùm ſpecie vltima, tum etiam ſubalterna: & ita non eſſe tantùm genus immediatum in omnibus ſpeciebus angelorum, ſed etiam ſubalterna genera, & ſpecies ſubalternas.

Colliges 2. ordinem illum hierarchicum etiam in dæmonibus perſeverare. Patet 1. ex Scriptura; nam Matth. 9. princeps dæmoniorum nominatur, & cap. 12. dicitur eſſe Belzebub. & Paulus ad Epheſ. 6. vocat principes & poteſtates, ac mundi rectores tenebrarum harum: ergo ordo ille inter dæmones reperitur, non ſacer quidem, quia à forma illa ſupernaturali, quæ ſuperioribus imperium & poteſtatem in inferiores conferebat, cecidêre; ſed in perfectionibus naturalibus, quibus alii alios ſuperant, & in ordine providentiæ fundatus: angeli quippe inferiores ſuperiorum exempla ſecuti, & à ſupremo in peccatum inducti, ejuſdem poteſtati à Deo traditi ſunt, non quidem ad ipſius bonum, ſed potiùs in majus malum. *Nam malis & in malis praeſſe miſerum eſt,* vt ait D. Thomas q. 109. a. 2. in fine. Itaque jure

victoriæ cæteris princeps dæmonum præeſt: *Iniquum enim erat*, inquit Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. *vt iis quos ceperat, non dominaretur.* Huc adde, in ipſo dæmonum arbitrio illud imperium fundari, qui vt atrociùs in homines ſævirent, variæ officia inter ſe ita partiti ſunt, vt etiam conſenſerint in eligendum nobiliſſimum qui cæteris præeſſet, qui ſubinde alios in partem regiminis aſſumens, nobiliores ignobilioribus præfecit, vt illud imperium efficacius conſtantiuſque foret. Certè in exorciſmis ipſi dæmones fatentur ſe viribus eſſe inæquales, & magi alii aliis potentiores ſunt, qui cum dæmone potentiore pactum iniere. Porrò poſt finem mundi, cùm non ampliùs neceſſitas tentandi & poteſtas futura ſit, ceſſabit quoque illius imperii ordo quoad functiones, iuxta illud Corinth. 1. c. 24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum & poteſtatem & virtutem.*

Finis illius dominatûs eſt ruina ſalutis hominum; eò enim ſpectat regnum dæmonis, vt homines impellat ad peccatum, & in ruinam ſecum trahat: regnumque illius nihil aliud eſt quàm poteſtas ei à Deo facta homines tentandi, & ad peccatum inducendi; dignitatem enim ſibi in terris aſſumpſit, quam in cælis affectarat, vt fictè & ex hominum errore ſibi vindicaret, quod in cælis conſequi non poterat.

Regnum itaque illius in homines eſt ratione peccati, per quod ei vt domino ſubjiciuntur, 1. quia non poſſunt viribus ſuis à peccato reſurgere, nec tentationibus reſiſtere; 2. quia ratione pœnæ eidem ſubduntur, ideóque multa ipſi Deus permittit ad eos puniendos, etiam in hac vita.

Ex ratione hujus dominii varia partitio dæmonum oritur; prima in ſuperiores & inferiores, ratione dependentiæ; ſecunda, à locis, in quibus habitant, in aëreos, aqueos, terreſtres, ſeptentrionales, &c. tertia, à vitiis, quibus præſunt; & ad quæ impellunt, in tumidos & ambitioſos, mendaces & blaſphemos, & libidinum incenſores. Hinc ex Oſea: *Spiritus fornicationis decepit vos.*

## §. IV. *De vnitate phyſica angelorum.*

I. Observatio. Per vnitatem phyſicam vnibilitatem intelligo, quâ angelus alteri poſſit ſubſtantiæ vniri. Porrò ſubſtantia vna jungi poteſt alteri quatuor modis; 1. in vnitatem naturæ, cùm duæ ſubſtantiæ ex natura ſua incompletæ per modum actûs & potentiæ junguntur, vt corpus humanum & anima rationalis. 2. In vnitatem perſonæ, cùm duæ naturæ phyſicè quidem completæ, ita vniuntur, vt vna per alterius ſubſiſtentiam ſtet: ſic in Chriſto humanitas per ſubſiſtentiam Verbi ſtat. 3. In vnitatem totius continui, vt cùm duæ aquæ in vnam confluunt. 4. In vnitatem motoris & mobilis, habentis & habiti, aſſumentis & aſſumpti. Quæritur hîc, an his omnibus modis angelus vniri poſſit.

I. Assertio. Angelus non poteſt vniri alteri ſubſtantiæ in vnitatem naturæ. Probatur: quia quæ ſubſtantiæ in vnitatem naturæ coaleſcere poſſunt, ſe habent inſtar actûs & potentiæ, adeóque ſunt eſſentialiter incompletæ: angelus non poteſt ſe habere per modum actûs & potentiæ: ergo non poteſt vniri alteri ſubſtantiæ in vnitatem naturæ. Minor patet ex definitione jam

tradita; angelus enim eſt actus purus completus, ſeu ſubſtantia completa. 2. Quæ ſic vniuntur, eorum vnum eſt actus, & alterum materia: angelus non eſt materia, quia eſt ſpiritus, nec forma, quia eſt purus ſpiritus completus: ergo, &c. Hinc

Colliges, dum angeli aſſumunt corpora, non iis vniri vt actus informantes, adeóque non denominari corporeos: vnde Scriptura & Concilia, quæ Verbo divino tribuunt corpus, nunquam tribuunt angelis, etiam in corpore aſſumpto apparentibus.

II. Assertio. Angelus non poteſt vniri per modum partis integrantis intenſivæ, aut extenſivæ. Probatur: angelus nec eſt homogeneus alteri ſubſtantiæ, nec extenſus, ſed diverſæ prorſus rationis à corpore, quod nec extendere, nec intendere poteſt.

III. Assertio. Angelus non poteſt alteri ſubſtantiæ vniri per modum ſuppoſiti. Probatur: quia nulla vis angelo ineſt, quâ poſſit ſubſtantiam alienam privare propriâ ſubſiſtentiâ. Deinde in ſententia eorum qui docent, nullam ſubſtantiam ab altera aſſumi poſſe, niſi aſſumptam ſuperet perfectione eſſentiali, eáque infinita, patet angelum non poſſe etiam divinitus ſibi aſſumere naturam inferiorem aut ſuperiorem, quia haberet ſemper rationem partis incompletæ: at ratio partis repugnat rationi perſonæ.

IV. Assertio. Angelus poteſt à Deo aſſumi in vnitatem ſuppoſiti. Probatur: Deus humanam naturam aſſumpſit, ſibique hypoſtaticè vnivit: ergo poteſt & angelum aſſumere, vtpote purum ſpiritum, ſibique ſimiliorem.

V. Assertio. Angelus poteſt vniri alteri ſubſtantiæ, vt motor mobili. Probatur 1. quia veteres Philoſophi, imprimis Ariſtoteles, intelligentias, tanquam formas aſſiſtentes, cælis aſſixere. 2. Paſſim in Scripturis angeli deferunt corpora & movent. Sic Danielis 14. angelus portaſſe dicitur Abachuc in Babylonem. Marci 16. revolviſſe lapidem ab oſtio monumenti. Matth. 4. Chriſtum ad pinnaculum templi & in montem excelſum detuliſſe. Sed quoniam vnio motiva angeli cum corpore mobili fit, vel per applicationem, vt cùm cælo aut aſtro angelus motor applicatur; vel per poſſeſſionem, vt cùm dæmon energumenum invadit ac torquet; vel per aſſumptionem, cùm angelus corpus aſſumit ad operationem ſuam manifeſtandam. Supereſt vt de aſſumptione & poſſeſſione agamus.

## §. V. *An angelus poſſit aſſumere corpus.*

Unica Observatio. Ut quæſtio faciliùs ſolvatur, videndum eſt 1. in quo aſſumptio corporum differat ab apparitione angeli, aut præſentia locali pura angeli; 2. an revera angelus aſſumat corpora; 3. qua ex materia formet illa corpora; 4. quas operationes in corpore aſſumpto exerceat: quæ omnia ſequentibus propoſitionibus pateſient.

1. Propoſitio. Angeli verè apparent hominibus, & quidem ad ſenſum. Patet Geneſ. 3. vbi dæmon ſub ſpecie ſerpentis Evæ ſe videndum præbet, & cum ea colloquitur. Matth. 4. Dæmon Chriſto apparet, & tentat in deſerto. Actor. 12. Angelus Domini Petro aſtat, illumque è carcere educit.

Apparitio autem eſt manifeſtatio ſpiritûs, ſe hominum ſenſibus inſinuantis.

II. Propoſitio. Apparitionis triplex ſpecies, vna corporalis, altera ſpiritalis & imaginaria, tertia intellectualis. Ratio partitionis eſt, quòd ſpiritus vel in ſolam mentem illabitur; vel formas & imagines in interioribus ſenſibus efficit, quibus innoteſcat; vel ſenſibus externis ſeſe ingerit. Si primum, dicitur apparitio intellectualis, in qua ſpiritus ſe ipſo mentem occupat, quæ divina eſt & infrequens: exemplum habes in viſione beatifica. Si ſecundum, imaginaria dicitur. Si tertium, corporalis nomen retinet. In intellectuali mens altiùs attollitur, & quaſi à corpore expedita, adjuvante gratia, aliò transfertur, eáque percipit quæ propriis viribus percipere nequit. In corporali & imaginaria nulla vis ſenſibus infertur, corporalis viſus & auditus præcipuè, ſemperque vigilantibus obvenit. Imaginaria cùm vigilantibus, tum ſopore preſſis contingit beneficio imaginum & idearum quas in imaginatione excitant ſpiritus. Quanquam interdum ſenſum externum antè ſpiritus occupant, quàm imaginationem afficiant.

Rurſus quæ in ſomnis contingunt apparitiones, alia dicitur oraculum, cùm in ſomnis gravis perſona apparet, quid faciendum aut non faciendum ſit, denuntians: alia viſio, cùm id quod inter dormiendum videtur, eodem modo quo apparuerat, evenit: alia ſomnium, quod figuris quidem tectum, ideóque interpretatione indiget.

Alii ad inſtitutum noſtrum magis accommodatè apparitionem angeli ſive boni, ſive mali triplicem faciunt. 1. Imaginariam & merè internam;

cùm angeli internam potentiam movent humorum & ſpirituum agitatione, & phantaſmata excitant, ſpecieſque intelligibiles : ſic Deus Abrahamo profundè dormienti apparuit per angelum, & dæmones magis maleficiſque inter dormiendum illudunt. 2. Illuſoriam, quæ fit per illuſionem ſenſuum externorum, non exhibitis objectis quæ videntur ipſis apparere, aut qualia videntur apparere; fit autem interdum, mutato organo in aliqua ſui parte, vel affuſione humoris, vel concitatione aut obſtructione ſpirituum : vnde fit vt res aliter appareat quàm ſit. Interdum medio quod ſenſum inter & objectum interjicitur, variè affecto & immutato. Interdum objecti ipſius agitatione celerrima, aut occultatione ejuſdem, eo fere modo, quo circulatores ludificari ſolent : qua ratione Iphigenia, teſte D. Auguſtino, lib. 12. de Civit. c. 18. in cervam dicitur mutata, & ſocii Diomedis & Ulyſſis in aves. 3. Realem & veram, quæ fit vel aſſumpto corpore, quod jam effictum ſit, vt cùm dæmones cadavera induunt, vel quod ipſi angeli ex aëre aliove corpore efforment ipſi : itaque realis & vera apparitio tum contingit, cùm corpore vero vtitur angelus, ſed non à ſe formato, aut certè corpus ex aëre & vapore ſibi conſuit, activa paſſivis applicando : ſic dæmon Evæ in vero ſerpentis corpore apparuit : ſic olim ex ſtatuis oracula edebat, & cadavera mortuorum interdum circumfert : ſic denique corpora tanto artificio ex vapore & exhalatione ſolerter temperatis concinnat interdum angelus, vt vix à veris diſcernas. Porrò hæc ſpecies apparitionis aſſumptionis nomen retinet, quam monet D. Thomas ab imaginaria differre, quòd in vera

& reali angelus aut dæmon apparens ab omnibus conſtantiſſimè videatur, tangatur, audiaturque; in imaginaria autem & illuſoria non omnibus, ſed ei tantùm homini, cui illuditur, appareat.

III. Propoſitio. Apparitio latiùs patet, quàm aſſumptio. Patet, quia datur apparitio tum imaginaria, tum ſenſibus externis illudens, tum intellectualis, quæ non eſt aſſumptio.

IV. Propoſitio. Non quælibet præſentia realis angeli ad corpus, eſt aſſumptio propriè dicta. Probatur: quia angelus motor præſens adeſt cælo quod movet, nec tamen dicitur illud aſſumere: ergo aliud eſt angelum præſentem corpori adeſſe, & aliud ſibi aſſumere.

V. Propoſitio. Ad rationem veræ aſſumptionis opus eſt, vt angelus in corpore aſſumpto perinde ſe gerat, ac ſi eſſet illius forma, ipſumque animaret. Ratio eſt, quia aſſumere corpus, eſt quaſi ad ſe ſumere, & ſuum quodammodo facere; hinc tria ad aſſumptionem requirit Martinon, 1. præſentiam vtriuſque, 2. vnionem angeli cum corpore veluti ſuo ac proprio, non phyſicam quidem, qualis eſt inter corpus & animam, aut hypoſtaticam, qualis eſt Verbum inter & humanitatem, ſed accidentalem & moralem. Denique quaſi formalem, ita vt angelus ad corpus aſſumptum perinde ſe habeat, ac forma ad materiam. Addit itaque aſſumptio ſupra vnionem motoris, vnionem ei quæ materiæ & formæ vinculum eſt, vnioni vtcunque ſimilem, qua ſic corpori vnitur angelus, vt cum ipſo vnam conſtituere perſonam, & tanquam principium intrinſecum operari videatur. Hinc dæmon non dicitur aſſumere energu-

menum quem poſſidet, aut obſidet, nec angelus aſſumpſiſſe nubem aut columnam ignis in deſerto, ex qua Iſraëlitis prælucebat. Amicus ad aſſumptionem requirit, vt angelus corpus tanquam inſtrumentum ad propriam perfectionem, operationemque manifeſtandam aſſumat, adeóque ſupra reſpectum mobilis ad motorem addat reſpectum repræſentantis ad repræſentatum.

Porrò ad aſſumptionem non opus eſt vt corpus aſſumptum ab aſſumente formetur: nec vt angelus ſit totus definitivè in corpore aſſumpto; ſi enim latiùs pateat ejus virtualis diffuſio, aut vis actuoſa, poteſt extra ipſum operari, immo duo ſimul corpora ſibi aſſumere, & in iiſdem operari, etiam in locis diſſitis, quia aſſumere corpus, eſt ſibi vnire ad aliquam operationem propriam manifeſtandam: itaque vnio aſſumptiva angeli cum corpore facit tantùm vnum repræſentativè, non ſubſtantialiter: vnde hæc propoſitio de angelo corpus aſſumente, *hic eſt angelus*, non perinde valet ac iſta de Chriſto, *hic homo eſt Deus*; illa enim vera eſt tantùm ſecundùm repræſentationem, & quidem in ratione generali motoris & aſſiſtentis. Non enim opus eſt, vt ſe prodat ſecundùm vltimam differentiam, aut intendat ſe ipſum repræſentare; ſed ſatis eſt ſi aliud repræſentet: ſic angeli non ſe, ſed Deum in veteri lege repræſentabant.

VI. Propoſitio. Angeli, præſertim boni, corpora ex aëre addenſato, & in figuram corporis humani efformato, vt plurimùm aſſumunt; aër enim cùm ſit flexibilis, cedentiſque naturæ, ſciſſus ſtatim continuatur: at corpora, in quibus apparent angeli, gladio ſcindi non poſſunt. Sed

quoniam nec carnis mollitiem, nec oſſis duritiem ob tenuitatem ſuam aër facilè exprimit, ideo aliis elementis ita ſolerter temperant, vt ex illa temperatione eæ qualitates exiſtant quæ corporis humani figuram & temperiem apparenter referant. Dixi apparenter; nam qui pauló diligentiùs adverterit, tactu ipſo poterit internoſcere. Meritò itaque Chriſtus Luc. cap. vlt. ait: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Ubi per ſpiritum, non purum ſpiritum intelligit qui tangi nullo modo poteſt, ſed ſpiritum corpore adſcititio veſtitum, quod phantaſma dicimus.

VII. Propoſitio. Angeli nullas poſſunt exercere operationes ſtrictè vitales in corpore aſſumpto. Dixi ſtrictè vitales; aliæ enim actiones ſunt vitales ſecundùm ſubſtantiam, aliæ tantùm vitales quoad modum quæ fiunt. Illæ non poſſunt niſi à principio vivente exerceri, putà actus ſenſuum tum internorum, tum externorum: hæ poſſunt à non viventibus, aut non vitali modo fieri, vt locutio & comeſtio, generatio quoad ſeminis trajectionem. His poſitis,

Probatur aſſertio. Non poteſt exerceri vita ſecunda, ſeu operatio ſtrictè vitalis, niſi à vita prima, ſeu à principio vitæ effectore: in corporibus ab angelo aſſumptis non eſt vita prima, ſeu primum principium vitæ effectivum: ergo angeli non exercent operationes ſtrictè vitales in corporibus aſſumptis. Minor patet, quia principium operationis ſtrictè vitalis eſt à conjuncto, hoc eſt, à forma ſubſtantialiter corpori vnita: at angelus, vtpote ſpiritus completus, non poteſt vniri per modum formæ ſubſtantialis materiæ,

ſeu corpori organico: quare probatur major, 1. à poſteriori, quia tandiu dicitur eſſe in aliquo vita, quandiu in ipſo ſunt operationes vitales; tolle enim operationes vitales à corpore, & fac ipſum moveri ab extrinſeco, tum certè vita carebit omni: ergo functiones vitæ efficientes ſunt à vita prima. 2. à priori ex ipſa definitione vitæ primæ, ſeu in actu primo, quam tradit Ariſtoteles lib. 2. de anim. tex. 24. *Principium quo primùm vivimus, movemur, ſentimus atque intelligimus.* Ubi vides vitam in actu primo definiri comparatè ad vitam in actu ſecundo, hoc eſt, ad operationes vitales, tanquam proprios & adæquatos effectus.

Ex dictis duo inferuntur. Primum quidem, in corpore aſſumpto non ſunt ſenſus exteriores & organa, niſi æquivocè: quia ſenſus propriè dicti ſunt ii quibus utitur anima ad functiones proprias; eſt enim actus corporis organici ex natura ſua: corpus autem verè organicum in ſingulis organis, eam requirit temperiem, quæ eliciendis functionibus vitalibus proximè idonea ſit: putà talem tum primarum, tum ſecundarum qualitatum temperiem; deinde ſpiritus vitales, qui motui vitali inſerviant, quæ duo ſimul corpori aſſumpto non inſunt.

Secundum verò: Dum angeli dicuntur in Scripturis loqui, comedere, deambulare, &c. hæ locutiones non in ſenſu proprio & vero, ſed improprio & metaphorico accipi debent, quatenus formant ſonos in aëre vocibus humanis aliquatenus ſimiles, & ore ſumunt cibum, non qui in ſubſtantiam corporis aſſumpti convertatur, ſed in auras abeat, juxta illud Tobiæ 12. *Cùm*

*eſſem vobiſcum, videbar quidem manducare & bibere; ſed ego potu inviſibili & cibo vtor.*

VIII. Propoſitio. Licèt operationes ſtrictè vitales in corporibus aſſumptis non obeant angeli, quæ ſunt à toto conjuncto; quaſdam tamen in ipſis exercent, ſed non per ipſa, & quaſdam per ipſa, cum hoc tamen diſcrimine, quòd illæ liberæ ſint, nec corporis miniſterio indigeant, hæ non item. Patet prima pars; nam angeli in illis corporibus Deum clarè vident, ſui ipſorum, rerumque naturalium cognitionem, & quidem intuitivam habent. Denique mentis ac voluntatis operationibus defunguntur; non enim felicitate ſua excidunt, dum nobiſcum vnà verſantur, nec quidquam de iis quæ gratia ipſis conceſſit vel natura, muniis remittunt. Patet quoque ſecunda; nam cum hominibus ſermocinantur, itineris ſe ſocios præbent, cibum ſumunt, aliáſque id genus functiones obeunt, quæ ſine anima perfici poſſunt.

IX. Propoſitio. Cauſa cur angeli in peregrinis corporibus ſe ſe exhibeant, non vna eſt. 1. Apparitiones veteris legis indicia fuere naturæ noſtræ per Chriſtum aſſumendæ. 2. Quæ etiam in nova lege obveniunt, illius quæ nobis cum angelis in cælo futura eſt ſocietas, argumenta ſunt. 3. Noſtræ naturæ conditio id poſtulat, vt quandiu corporis ergaſtulo anima includitur, externo & ſenſibili angelorum commercio miniſterioque ad divina aſſurgat. 4. Divinam in nos clementiam ac liberalitatem commendat hæc ratio apparendi. Viſuntur enim in corporibus angeli, vt homines afflictos erigant, itineris ſe comites præbeant, voluntatem Dei revelent, &c.

x. Propoſitio. Apparitiones dæmonum & angelorum partim conveniunt, partim diſcrepant. Conveniunt 1. quòd in effictis à ſe plerumque corporibus appareant, quæ & deponere poſſint, cùm volunt; 2. nunc in vigiliis adoriuntur, nunc ſomno preſſis illudunt, nunc ſenſus externos occupant, quia hæc opera non gratiæ, ſed naturæ ſunt, adeóque communia.

Diſcrepant ſæpe in tribus, in formis, functionibus & fine. Formis, 1. quia angeli formam humanam, eámque virilem ſæpe induunt: dæmones variam omnino, modò humanam, modò quadrupedum, modò volatilium, modò reptilium, frequentiſſimè ſpeciem canis, ſerpentis, hirci, capri, araneæ, interdum centaurorum, aliorumque monſtroſorum animalium; columbæ vix vnquam aut agni, vel quòd Deus prohibeat, ne quæ ſpecies ipſius ſunt propriæ, ſpiritus maligni aſſumant, ſive quòd ex odio quo feruntur in Deum, communem cum eo formam habere nolint: quas non formas dæmones induere, vt D. Antonium terrerent? Conſule Athanaſium in ejus vita. Cadavera demortuorum ſæpe aſſumunt, iiſque interdum ad profanos vſus abutuntur, non quæ ſanctorum templa fuerint, ſed quæ ſceleratorum inſtrumenta extiterint. Boni autem angeli vix corpora defunctorum aſſumunt, quia impiorum corpora perinde ac mores averſantur: bonorum verò habent in honore.

Functionibus, quia boni angeli in corporibus aſſumptis nunquam ſuccubi ſunt ad viros, nec incubi ad feminas; ſecus autem dæmones. Quanquam non negarim interdum viris, ſæpius mulieribus illudi, dum per ſomnia decipiuntur,

aut

aut vigilantes ex vehementi libidinis æſtu, contigiſſe verè putant, quæ vi vnius imaginationis perfecta ſunt.

Fine, quia bonorum angelorum, dum apparent, finis potiſſimùm duplex, nempe gloria Dei, & ſalus hominum; malorum autem, Dei contemptus, & ruina ſalutis hominum. Porrò ad vtrumque finem variis mediis tendunt dæmones: modò enim divinos ſibi vſurpant honores, quos à maleficis ſagiſque obtinent; modò in Dei officia ingerunt ſe ſe, dum rerum occultiſſimarum cognitionem ſibi arrogant, & futurorum præſentionem mentiuntur; modò cogi ſe ſimulant ignotis ſignis, velut quibuſdam ſacramentis, & coacti nunc in aqua, nunc in igne, nunc in aëre ſimulacra eorum exhibent qui aliquid occultum patrarunt; modò ſervitii quoddam genus ſagis maleficiſque præſtant: iis enim ad cuſtodiam deputantur, nocturnos conventus indicunt, & per aërem velociſſimè deportant. quæ omnia officia, vtpote impiiſſima & Deo perquam injurioſa, graviſſimis ſuppliciis à ſupremis Magiſtratibus, vindicanda monet Delrius, ſi quando in eorum cognitionem venerint. Non enim licet mortalium cuiquam divinum honorem his ſpiritibus deferre, aut futurorum ab iiſdem cognitionem opemve in quocumque tandem negotio exquirere, nedum expetere.

Colliges ex dictis toto hoc paragrapho, cauſam materialem apparitionis realis ſpirituum, eſſe plerumque aërem condenſatum; efficientem, angelum nunc bonum, nunc malum; formalem, ſpeciem quæ ſe ſenſibus offert; finalem demum, gloriam Dei, & ſalutem hominum, ſi boni ſint

angeli ; contemptum Dei, & ruinam ſalutis hominum, ſi mali.

Quæres 1. qua ratione dignoſci poſſit, bonuſne ſit, an malus ſpiritus, qui apparet.

Reſpondeo 1. quædam ſigna à Theologis & characteres afferri, quæ non vſquequaque certa ſint. 1. Bonos quidam dixêre, qui humana ſe forma exhibent, eáque amabili. 2. Qui bona conſulunt, aut bona agunt, aut in ſacris locis conſpiciuntur, aut de nocte ſe videndos præbent, aut piis & ſanctis apparent ; ſed hæc ſigna ſunt maximè æquivoca. Nam 1. dæmones ſæpe humanam induunt formam, eámque amabilem, vt decipiant. 2. Bona ſæpe conſulunt, ſed non bene, imò & bona expetunt ; & quamvis operationes dæmonum ſecundùm ſpeciem bonæ ſint, tamen ex fine, qui latet, peſſimæ ſunt. 3. Loci ſanctitas non diſtinguit, quia dæmon etiam in paradiſo terreſtri damnum primis parentibus graviſſimum intulit, & Chriſtum in pinnaculum templi ſuſtulit. 3. Nocte non minùs quàm interdiu apparent boni angeli, ſicut & mali de die; ſunt quippe dæmonia meridiana peræquè ac nocturna. Denique non ſemel boni ſpiritus ad nequam homines & ſceleratos acceſſerunt, ſicut mali ſpiritus viris ſanctiſſimis ſæpius apparent, ſeque angelos lucis mentiuntur : quare

Reſp. 2. ex operatione, oratione, cauſa & religione diſtingui ſolitos. Ex operationum quidem genere, ſi nempe genus operationum ſit malum & deteſtandum, arguit ſpiritus malos ; hinc qui concubitus expetunt aut præbent, in Deum blaſphemas voces evomunt, & ſacris rebus abutuntur, vtique mali ſpiritus cenſendi. Ex ope-

randi item modo, ſi perturbatum animum relinquant, licèt primo congreſſu amabiles, non ſunt boni ſpiritus, qui quamvis nonnihil animum initio turbent, & horrore afficiant, tandem quietum tranquillumque relinquunt. 2. Ex oratione, nam ſi oratio faſtum & arrogantiam & vanam animi oſtentationem præſeferat, falſa veris admiſceat, aut mala perſuadere conetur, ad turpia pelliciat, ſacris verbis ad ſuperſtitiones abutatur, malum genium prodit. Denique ex cauſa: v. g. ſi ſpiritus fingant ſe ab hominibus coactos apparere, ſpiritus malis annumerandi. Non enim boni angeli hac arte vocantur, nec beatorum animæ aut purgandæ, in quas nihil poteſtatis habent dæmones; & quamvis in damnatas multa poſſint, ad vivos tamen revocare abſque Dei permiſſu non poſſunt. Ex religione, quia ſignum crucis, Dei invocatio, ſanctorumque reliquiæ fugant malos ſpiritus; bonos verò retinent & delectant. Porrò facilius eſt diſtinguere bonos ſpiritus à malis ex ſignis malitiæ, quàm bonitatis: quia mali ſpiritus interdum ad virtutem invitant, fallaciáſque obtegunt, ſe in angelos lucis transformando.

Quæres 2. quomodo humanus ſpiritus bonus ab angelo diſtingui poſſit.

Reſp. 1. non poſſe diſtingui ex formæ venuſtate; nam ſpiritus humani, perinde ac angeli viſi ſunt ſplendore ac vultûs majeſtate intuentium oculos non ſemel perſtringere: nec ex vindicta de hominibus ſumpta, quia id munus tum angelis, tum beatis ſpiritibus demandatum à Deo.

Reſp. 2. ex facta divinitus revelatione, & ipſorum qui apparent ſpirituum confeſſione certò dijudicari poſſe; probabiliter autem ex forma exteriori & oratione. Ex forma quidem exteriori; ſi enim habitu triſtiori, & in ſexu femineo ſe ſe exhibeant, humani ſunt, non angelici ſpiritus. Convenit enim angelis florens ætas, nec ſexum femineum mentiuntur, quia viriles animos habent: nec triſtior ipſorum poteſt eſſe aſpectus, quippe qui beatitudine perfruantur. Ex oratione verò; qui enim opem noſtram implorant, humani ſunt, & qui futura prænuntiant, angelici: at angelum ab angelo, aut humanum ſpiritum ab humano diſtinguere tantùm poteſt facta revelatio, aut propria eorum confeſſio.

Quæres 3. quomodo ſpiritus damnatorum hominum à dæmonibus diſtingui poſſint.

Reſp. 1. difficillimè diſtingui, quia quæ alios ſpiritus diſtinguunt, vix fidem facere poſſunt; non libera confeſſio, quia ſpiritus mendaces ſunt, & ad fallendum proni; non oratio, quia de dictorum veritate dubitare ſemper poſſumus; non forma exterior, quæ vtriſque communis; non operatio, quia tentant vtrique ſumma, licèt non æquè ſumma poſſint; non tumultus nocturni, quia à ſpiritibus humanis peræquè ac ab ipſis dæmonibus excitari poſſunt: vna itaque revelatio diſtinguere poteſt; interdum confeſſio illorum fidem facit, præſertim ſi vi divinorum verborum & exorciſmis extorta ſit. Denique produnt aliquando humanos ſpiritus, quæ de ipſis ſumi cernuntur ſupplicia, vt dæmones peregrina brutorum animantium forma, inquit Petrus Thyræus.

## §. VI. *De veritate & bonitate tranſſcendentali angelorum.*

HÆc duo attributa vno eodémque paragrapho includo, quia nihil ſcientiæ recondit ioris habent, quod tractari à naturali Theologo debeat : quare vtriuſque tractatione breviſſimè defungor.

I. Veritas tranſſcendentalis angeli ſumitur vel per ordinem ad principia ipſius conſtitutiva ; & ita nihil aliud eſt quàm conformitas ejuſdem cum principiis : vel per ordinem ad intellectum cognoſcentem ; & ſic eſt conformitas cum intellectu verè cognoſcente, præſertim divino, juxta doctrinam à nobis traditam part. I. Metaph. diſput. I. art. 2. §. 6. de veritate tranſſcendentali entis : ſed quoniam veritas hoc ſecundo ſenſu idem eſt ac cognoſcibilitas, hîc quæri poteſt breviter, an & quomodo intelligentiæ à Deo, vel à ſe ipſis invicem, vel à nobis in via cognoſcantur. De prima & ſecunda quæſtione alibi, hîc breviſſimè de tertia.

II. Quandiu hîc degemus, intelligentiæ à nobis imperfectè cognoſcuntur. Probatur ex Ariſtotele 2. Metaph. c. I. *Nam quemadmodum*, inquit, *veſpertilionum oculi ſe habent ad lucem divinam : ita & anima noſtra ad ea quæ ſuâpte naturâ ſunt omnium manifeſtiſſima.* Ut enim veſpertilio plenam diei lucem non percipit ob imbecillitatem viſûs, quamvis lux eò ſit viſibilior, quò plenior : ita intellectus noſter, quandiu corpore includitur, objecta intelligibilia nonniſi confusè & imperfectè attingit, licèt ab intellectu

ſr portionato perfectè cognoſci queant. Per purgatum quippe & à conſuetudine ſenſuum procul abſtractum intellectum, plena perfectáque rerum ſpiritalium cognitio requirit, vt meritò pronunciet Ariſtoteles 1. de part. c. 5. *res ſuperiores leviter à nobis attingi.* Hinc

111. Angeli à nobis, quandiu hîc ſumus, abſtractivè tantùm cognoſcuntur. Probatur: quia à nobis cognoſcuntur tantùm per ſpecies alienas: v. g angelos cognoſcimus per ſpecies juvenis alati; hinc malè Fonſeca gradum ſubſtantiæ intelligentiarum creatarum docet à nobis quidditativè & perfectè cognoſci, cùm ne ſubſtantias quidem corporatas ſic percipiamus. Ratio eſt, quòd non ſint per ſe, ſed per accidentia tantùm ſenſibiles; hinc nullum conceptum diſtinctum & genuinum & per propriam ſpeciem de angelis habemus. Porrò triplicem conceptum de angelis vulgò informamus animo; primus, qui negativus quodammodo dici poteſt, fit per negationem ſenſibilium attributorum, vt cùm concipimus tanquam ſubſtantias completas, concretionis expertes, actuoſas ac ſemper vegetas, nulli viciſſitudini ſubſtantiali & corruptioni obnoxias. Secundus fit per effectus, cùm concipimus tanquam ſubſtantias cælorum & mundi inferioris moderatrices. Tertius eſt conceptus communis conjunctus, vt cùm eas dicimus entia incorporea completa; hic enim conceptus diviſim ſumptus, licèt aliis conveniat, quæ non ſunt intelligentiæ, tamen conjunctim ſumptus vni convenit intelligentiæ, præterea nemini. Porrò ſi quæ cognitio angeli per cauſam & vt effectum parta ſit, clara & evidens eſt, ſicut aliæ ſcientiæ,

licèt obſcura & aliquatenus confuſa dici poſſit, ſi cum cognitione intuitiva comparetur. Sed de veritate tranſſcendentali angeli ſatis, jam de bonitate.

IV. Duplex in angelo bonitas tranſſcendens, vt in quolibet alio ente, abſoluta & reſpectiva: prima eſt perfectio angeli naturalis; ſecunda eſt convenientia. De vtraque pauca ſubjicio.

V. Angelus omnium entium creatorum eſt longè perfectiſſimum, tum quia caret materia omni, tum quia omnes imperfectiones quæ eidem materiæ annexæ ſunt, à ſe excludit; hinc nec per locum partibiliter diffunditur, nec primis aut à primis ortis qualitatibus elementorum ſubjacet, nec ſeneſcit vſquam. Ad hæc quanta vi in intelligendo, quæ res omnes naturales adæquatè primo obtutu percipit! quàm felix tenaxque memoria, quæ quod ſemel combibit, effundit nunquam, ſed æternùm retinet! Voluntatis præſtantia par nobilitati intellectûs; nam per ſe citra habituum præſidium, in multa bona fertur, conſtans in ſuſcepto ſemel propoſito, nec actus indeliberatos patitur ex plenitudine luminis. Denique facultas, quâ ſe & alia movet, planè ſtupenda, vt patet ex motu cælorum, quos celerrimè agitat. Maxima igitur angelorum perfectio juxtà & pulcritudo, de qua D. Chryſoſt. ſerm. de jejuniis; & initio Geneſ. *Si ex frequentia & magnitudine creaturarum conditor intelligitur, multò magis ex virtutum cæleſtium conditione poteſt cognoſci. Magnum eſt cælum; ſed non ita vt angelus: decorus eſt ſol, excelſior archangelus.* Hinc pingitur à nobis tanquam juvenis alba veſte indutus & alis inſtructus; nam juventus, robur

angeli indeficiens ; veſtis alba, nativam puritatem ac vitæ integritatem ; alæ, celeritatem indicant.

VI. Bonitas reſpectiva ſatis cognoſcitur ex officiis & miniſteriis angelorum in homines, de quibus poſtea fuſiùs : ſed vt ſua eſt angelis bonitas reſpectiva erga homines, ita & malitia dæmonibus, vt patet ex partitione angeli in bonum & malum, quæ partitio veteres Philoſophos non latuit, teſte Euſebio 4. præpar. c. 3. *Dæmones*, inquit, *alios bonos, alios malos arbitrantur.*

## ARTICULUS II.

## *De proprietatibus ſpecialibus, ſeu prædicamentalibus angelorum.*

PROPRIETATES prædicamentales voco, quæ prædicamentis accidentalibus continentur, cujuſmodi ſunt quantitas, qualitas, locus, duratio, aliæque id genus, de quibus egimus fusè in Logica tom. 1. part. 3. diſp. 2. 3. 4. 5. & 6. Quæritur hîc, quænam ex illis affectionibus angelis conveniant. Certum eſt quaſdam ex illis angelis convenire, cujuſmodi ſunt qualitas, actio & paſſio, relatio ; quaſdam non convenire, vt ſitum & quantitatem molis, ſeu formalem extenſionem. At diſputatur inter auctores, vtrum illis quantitas ſaltem virtualis, locus, duratio & motus verè tribui poſſint.

### §. I. *De quantitate & loco angelorum.*

DUPLEX ſententia celebrior circa angelorum diffuſionem in loco. Prima docet an-

gelum eſſe & coextendi loco per diffuſionem virtualem ; altera tantùm per operationem. Prima rurſus in duas abit, quarum altera pugnat angelos coextendi loco per diffuſionem virtualem ſine vbi interno realiter diſtincto : altera vbi diſtinctum & quidem realiter agnoſcit. Utramque ſententiam jam delibavimus tom. 2. Phyſ. vniverſ part. 4. diſp. 1. a. 3. §. 5. Utriuſque principia & conſectaria more noſtro hîc ſtabiliemus, liberum cuique relinquentes, quam potiſſimùm ſequi velit.

## *Prima ſententia explicatur.*

I. ASSERTIO. ANgelus eſt præſens loco determinato, diviſibili & extenſo. Tres ſunt partes aſſertionis. Probatur prima : eſſe præſentem loco non repugnat ſpiritui creato : ergo angelus eſt in loco. Certè quodlibet ens eſt præſens divinæ immenſitati quâ continentur omnia : ergo eſt alicubi : at non poteſt eſſe alicubi, niſi ſit præſens loco ; ergo angelus eſt præſens loco ; hinc paſſim in Scripturis dicuntur angeli mitti ad certa loca, è cælo deſcendere, Deo ipſi aſſiſtere.

Probatur ſecunda : angelus vel eſt vbique, vel in puncto, vel in loco determinato : non eſt vbique, tum quia Scriptura docet angelos ſic eſſe in loco vno, vt non ſint in alio : *Et locus eorum*, nempe malorum angelorum, *non eſt ampliùs inventus in cælo* ; tum quia immenſitas vni Deo convenit. Non in puncto, quia punctum indiviſibile & mathematicum non datur : ergo eſt in loco determinato. Et ſanè cùm angelus ſit ens crea-

tum, vtique in entitate finitum eſt : ergo & in extenſione virtuali, ſi quam habeat. Accedit auctoritas D. Damaſc. qui lib. 2. de fide cap. 3. ait *angelos eſſe circumſcriptos ; nec enim in terra verſantur, cùm in cælo ſunt, nec cùm à Deo in terram mittuntur, in cælo remanent.* Quare dum quidam ex SS. Patribus aiunt, angelos vbique aliquatenus eſſe, loquuntur de mira ipſorum celeritate quâ momento vbique ſint ſi velint, id eſt, exigua temporis mora ad ſpatia longiùs diſſita tranſvolant.

Probatur tertia : eſſe coextenſum loco diviſibili, eſt perfectio aliqua quæ non pugnat cum ratione ſpiritus ; convenit enim Deo qui vbique virtualiter diffunditur, & animæ rationali, quæ licèt ſit tota realiter in toto corpore, & tota in ſingulis partibus, diffunditur tamen virtualiter per totum corpus, eique coextenditur : ergo angelus eſt præſens loco diviſibili & extenſo.

II. Assertio. Angelus eſt in loco extenſo per vbi definitivum à ſe realiter diſtinctum. Probatur : angelus eſt præſens loco diviſibili, ex ſuperiori aſſertione : ergo vel per ſuam ſubſtantiam, vel per operationem, vel per vbi definitivum realiter diſtinctum : non eſt præſens loco per ſuam ſubſtantiam, aut per operationem: ergo per vbi definitivum realiter diſtinctum. Probatur prima pars minoris : angelus modò majorem, modò minorem occupat locum : ergo non poteſt eſſe in loco præcisè per ſubſtantiam. Conſequentia patet ; nam ſi per ſuam præcisè ſubſtantiam eſſet in loco, ſemper eundem locum occuparet, quia manente eadem omnino forma in ſubjecto, manet idem ſemper effectus forma-

lis ; quid eſt enim effectus formalis, niſi forma in ſubjecto ? at non eundem ſemper occupat locum angelus, cùm modò ad majus ſpatium ſe exporrigat, modò ad minus ſe contrahat : ergo non eſt in loco per ſuam præcisè ſubſtantiam. Nec dicas ſatis eſſe, ſi angelus connotet indiſtantiam à loco ; nam quæro, an illa indiſtantia ſit aliquid poſitivum, an negativum. Si primum, quid erit, niſi vbi internum, aut certè relatio angeli ad locum fundata in vbi interno ipſius angeli ? Si ſecundum, illa indiſtantia erit negatio negationis, itaque forma poſitiva, quia negatio negationis eſt quid poſitivum ; & ita erit quid negativum, & non erit. Deinde angelus qui eſt indiſtans à loco A, ipſumque connotat, poteſt fieri indiſtans à loco B, quem proinde connotabit, cùm antea non connotaret : ergo acquiret novam formam à ſua ſubſtantia diſtinctam, quæ illi novum hunc effectum formalem tribuat. Si dicas ſatis eſſe, ſi fiat motus, per quem ſubſtantia angeli, quæ occupabat antea locum A, jam locum B occupat. Contrà ſic vrgeo : poteſt angelus acquirere locum B, licèt non relinquat locum A : ſi v. g. duos cubitos occupet, cùm antea vnum tantùm cubitum occuparet, viciſſimque ſi fiat ex bicubitali cubitalis, non acquiret novum locum : ergo in illa hypotheſi angelus non moveretur localiter ; vel enim ille motus ſi quis eſſet, ejuſdem rationis cum ordinario foret, vel diverſæ. ſi ejuſdem rationis, non acquireretur novus locus, priori relicto ; ſi diverſæ, non eſſet motus localis : quidnam ergo erit ? Plura ad confirm. tenenda hujus ſententiæ diximus tom. 2 Phyſ. vniverſ.

part. 4. diſp. 1. a. 2. §. 1. vbi aſtruximus formam vbicativam à loco & re locata realiter diſtinctam: locum conſule.

Probatur ſecunda pars ejuſdem minoris: quod eſt poſterius præſentia angeli, non poteſt angelum præſentem loco facere: operatio eſt poſterior præſentia angeli in loco: ergo non poteſt angelum præſentem loco facere. Major certa eſt. Probatur minor: præſentia eſt conditio requiſita, vt angelus agat in loco; vt enim prius eſt eſſe quàm operari, ita prius eſt eſſe hîc quàm operari hîc. Deinde ſi angelus eſſet præſens loco per operationem, eſſet præſens toti corpori in quo operaretur, adeóque eſſet præſens & coextenſus toti firmamento quod movet: at hoc falſum eſt: ergo ſupereſt vt angelus ſit præſens loco per vbi definitivum. Denique dum angelus in cælum aſcendit, quæro quid agat in cælum empyreum, quâ parte ſolidum eſt. an motum: at immobile prorſus eſt illud cælum: ergo movere ipſum non poteſt. Ut autem extenſionis virtualis & vbicationis definitivæ naturam pleniùs perſpicias, hæc pronuntiata accipe.

1. Angelus ita virtualiter ſpatio coextenditur, vt totus realiter ſit in toto loco, & totus in qualibet parte. Ratio eſt, quòd non poſſit eſſe in vna parte ſpatii per aliquam ſui partem realiter diſtinctam, cùm partes non habeat realiter diſtinctas aut diſtinguibiles.

11. Quamvis angelus ſit realiter individuus, eſt tamen æquivalenter dividuus, quatenus per ſuam ſubſtantiam virtualiter extenſam reſpondet toti ſpatio, ejuſque partibus, perinde ac ſi haberet partes. In hoc tamen differt à corpore, quòd cor-

pus ſpatio diviſibiliter coexiſtat, hoc eſt, per vnam ſui partem vni parti ſpatii, & per alteram alteri correſpondeat, angelus autem indiviſibiliter: vnde corporis vbi circumſcriptivum eſt, vbi verò angeli definitivum.

III. Cuilibet angelo certa eſt ac determinata extenſio virtualis, ita vt aliis minor, aliis major extenſio pro minori aut majori perfectione conveniat; hinc quidam angeli coextenduntur ſpatio 20. leucarum, nonnulli 30. aut 40. vt placet quibuſdam Theologis; poſſunt tamen ad minus ſpatium ſe reducere. Porrò maxima ipſorum extenſio eſt locus adæquatus; minor autem locus inadæquatus.

IV. Extenſio connaturalis angeli globoſa eſt juxta mentem Suaris Gran. quia ſimpliciſſima figura ſimpliciſſimis ſubſtantiis convenire debet, quam tamen pro nutu ſuo commutare poteſt in figuras iſoperimetras, ſeu ejuſdem motûs & capacitatis, non majores: v. g. ſi velit angelus in cubicam figuram ſe formare, debebit exactè ſervare quadraturam circuli: vnde non poterit ſe conformare in cubum majorem globo naturali. Poteſt quoque ſi voluerit, more ſpongiæ, modò intumeſcere, modò comprimi, & in filum tenue ſe diducere, nunquam tamen in punctum mathematicum contrahi, quia nullum eſt in continuo cui coexiſtat: neque poteſt ita ſe porrigere in longum, vt occupet totum cælum, terram, & quâſi in infinitum abeat, quia poteſt tantùm mutare figuram finita proportione, non infinita; hinc non valet argumentum ductum à triangulo ſuper eadem baſi conſtituto inter duas parallelas, quod licèt in infinitum protendatur, eandem

tamen habet aream cum quadrato.

v. Angelus non poteſt naturaliter eſſe in pluribus locis diſcretis, etiam inadæquatis: v. g. occupare 10. palmos Pariſiis, & 10. Aureliæ, ſi 20. alicubi occupare poſſit, tum quia experimur animam rationalem non poſſe eſſe in duobus locis diſcretis: tum quia quoties Scriptura angelum ait moveri ad vnum locum, toties ait alium deſerere.

vi. Ubi definitivum angeli immateriale eſt & ſpiritale, quia educitur ex ſubjecto ſpiritali, & in eo recipitur. Item, vt quibuſdam placet, realiter individuum, ſed virtualiter dividuum, perinde ac ſubſtantia angeli: quare dum mutat locum, etiam inadæquatè, totum vbi amittit, & acquirit novum; alii contrà dividuum & ſectile in partes reales volunt: vnde cùm angelus à palmo in quo erat, ad alterum ſe porrigit, non amittit primum vbi, ſed accipit partiale vbi continuum cum altero vbi quo incipit reſpondere ſecundo palmo. Ratio ipſorum eſt, quia cùm angelus ſe applicat ſubjecto extenſo, vtique per vbicationem ſuam applicatur: ergo illa debet habere partes extra partes, quarum vna ipſum applicet vni parti loci, & altera alteri: ergo dividua & ſectilis eſſe debet. Porrò modus rei quæ eſt virtualiter dividua, poteſt eſſe realiter ſectilis, vt patet in vnione quâ anima rationalis cum corpore jungitur.

vii. Quin etiam aiunt angelum poſſe ad arbitrium nunc penetrabiliter, nunc impenetrabiliter locum occupare, quatenus producit vbicationem non repugnantem vbicationi alterius angeli, aut repugnantem. Item ita vnum angelum,

ſi imperfectior ſit, poſſe ab altero affigi loco per vbicationem in eo productam, quâ veluti incarceretur, & invitus detineatur.

## *Secunda ſententia explicatur.*

Divus Thomas cenſet ſpiritus eſſe in loco per operationem, quatenus agunt in corpore extenſo, vel aſſumunt corpus extenſum, vel certè extenſam habent operationem: quare ſit

I. Assertio. Angelus eſt in loco per operationem. Probatur: angelus eſt in loco: ergo vel ſecundùm ſitum, vel ſecundùm formam, vel ſecundùm diffuſionem virtualem, vel ſecundùm operationem; non ſecundùm ſitum, quia ejus eſſentia abſoluta eſt à ſitu: non ſecundùm formam, quia non eſt forma corporis; non ſecundùm diffuſionem virtualem, quæ propter abſurda quæ ex hac ſententia inferuntur, videtur admitti non poſſe, vt aliàs oſtendimus in Phyſ. vniverſ. & communi ſapientum rationi repugnare: ergo ſupereſt vt ſit in loco per operationem. Confirmatur ex D. Thoma 1. part. qu. 3. a. 1. *Per applicationem igitur virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercunque dicitur angelus eſſe in loco corporeo.* Et alibi ait angelum non magis propriè dici extenſum quàm album: at dicitur albus tantùm, quia aſſumit corpus album: ergo & extenſus, quia aſſumit corpus extenſum, aut certè quia extenſam producit in aliquo corpore operationem; hinc angelus eſt in loco, quatenus ſuperat corpoream naturam.

II. Assertio. Plures angeli non poſſunt eſſe in vno eodémque loco naturaliter; poſſunt

autem ſupernaturaliter. Probatur prima pars: idem effectus non poteſt eſſe naturaliter à duabus cauſis efficientibus totalibus & non ſubordinatis: idem effectus eſſet à duabus cauſis efficientibus totalibus non ſubordinatis, vt patet; quia quilibet ſibi locum eundem faceret operando, & quidem in genere cauſæ totalis. Meritò itaque D. Thomas pronuntiat q. 53. a. 3. *Vnde cùm angelus dicatur eſſe in loco per hoc, quòd virtus ejus immediatè contingit locum per modum continentis perfecti, non poteſt eſſe niſi vnus angelus in vno loco.* Probatur ſecunda pars: quia nulla eſt implicantia, vt oſtendimus tom. 1. Phyſ. vniverſ. 1. part. diſp. 8. Nec refert quòd dæmon ſit in corpore energumeni cum anima: quia angelus eſt in corpore per operationem effectivè, anima verò per informationem.

III. Assertio. Angelus poteſt eſſe in pluribus locis diſtinctis, modò loca illa ſimul ſumpta non ſuperent locum maximum angeli, ſeu virtutem adæquatam angeli. Probatur: poteſt enim operari in palmo A, & in palmo C, non operando in palmo B: ergo poteſt eſſe in pluribus locis diſtinctis, modò ſimul ſumpta non ſuperent locum maximum angeli; non tamen dicitur angelus à ſe diviſus, ſed operatio angeli in loco A erit diviſa ab operatione angeli in loco B. Ut autem hujus doctrinæ principia & conſectaria clariùs pateant, hæc pronuntiata accipe.

1. Angelus non eſt in loco niſi æquivocè, & vt continens in contento. Ita D. Thomas q. 3. a. 1. *Dicendum quòd angelo convenit eſſe in loco æquivocè, tamen dicitur angelus eſſe in loco & corpus; corpus enim eſt in loco per hoc, quòd applicatur loco*

*ſecundùm contactum dimenſiva quantitatis, qua quidem in angelis non eſt, ſed eſt in eis quantitas virtualis.*

II. Ex operatione angeli ſequitur relatio ad locum, tanquam agentis ad patiens, cujus fundamentum eſt potentia actuoſa ex parte angeli, & potentia paſſiva ex parte corporis & loci; ratio fundandi, ipſa operatio tranſiens quæ ab angelo, tanquam principio efficiente, producitur in corpore tanquam in ſubjecto patiente, & eſt quaſi vnio, ſeu applicatio, quâ angelus determinatur ad locum.

III. Angelus eſt in locó activè, quia tangit corpus; non paſſivè, quia non tangitur à corpore. Item eſt in loco definitivè, I. quia totus operatur in toto loco, & totus in qualibet parte loci; ſic enim operatur in vno loco, vt non ſit neceſſe operari in alio quolibet loco exiſtente: imò cùm finitæ ſit ſubſtantiæ, & virtus ſubſtantiam imitetur, non poteſt eſſe ſimul in omnibus locis exiſtentibus & vbique, in quo deficit à virtute divina, quæ vbique operatur & eſt.

IV. Ibi non eſt angelus, vbi non operatur actu, quia eſt in loco per operationem; hinc ſi nullibi operatur, nullibi eſt.

V. Datur maximus locus angeli, non tamen minimus. Ratio primæ partis eſt, quòd agentium naturalium ſphæra ſit determinata, quia vis eorum limitata: ergo datur locus angeli maximus. Ratio ſecundæ eſt, quòd corpus in infinitum dividuum ſit: at non poteſt aſſignari tantillùm corpus in quod agat angelus, vt non minùs dari poſſit, in quod vim ſuam non exerat; hinc angelus dicitur eſſe in loco adæquato, cùm

operatur in omni loco in quo operari poteſt : in inadæquato autem, cùm ita operatur in vno loco, vt poſſit operari in altero.

VI. Interdum angelus eſt in loco per ſe, interdum per accidens. Tunc eſt per ſe, cùm operatur in loco in quo eſt tanquam operans in operato: per accidens verò quatenus corpus aſſumit, aut certè corpus cui per operationem applicatur, eſt in loco ; hinc

VII. Angelus eſt in loco perfectiori modo quàm corpus, ſed imperfectiori quàm Deus. Probatur prima pars : 1. angelus eſt in loco per virtutem actuoſam & operationem actualem, adeóque activè : corpus per quantitatem paſſivam & contactum dimenſivum, itáque paſſivè. 2. Angelus per modum continentis, corpus per modum contenti. 3. Angelus vt aliquatenus independens à loco, corpus vt dependens ; angelus definitivè, corpus circumſcriptivè. 4. Si angelus non operetur, nullibi eſt ; corpus licèt non operetur, eſt ſemper alicubi, quia habet ſuum vbi internum ; hinc vides cur eſſe in loco angelo & corpori æquivocè conveniat : eſt tamen aliqua analogia inter angelum exiſtentem in loco & corpus locatum, in eo ſita, quòd ſicut in contactu molis extrema debent eſſe ſimul, ita & in contactu virtutis extrema quoque debent eſſe ſimul ; hoc eſt, potentia angeli actuoſa debet agere in potentiam paſſivam corporis, eique applicari ſine vllo medio.

Probatur ſecunda pars. 1. Angelus eſt in loco per operationem accidentalem, quia illius terminus eſt accidens, non ſubſtantia patientis corporis : Deus autem per operationem ſubſtantialem, quia dat ſuum eſſe rebus ; hinc Deus dicitur il-

labi in creaturas, non angelus, quia Deus producit id quod eſt illis maximè intrinſecum, nempe ſubſtantiam ipſam; angelus autem operatur tantùm accidens, quod cum ſubſtantia collatum, videtur aliquatenus extrinſecum. 2. Angelus poteſt eſſe nullibi, licèt locus exiſtat, ſi nihil operetur: Deus autem, ſi locus aliquis exiſtat, non poteſt eſſe nullibi, quia locus non exiſtit niſi per operationem Dei 3. Angelus poteſt mutare locum, & ſæpe mutat, quia poteſt operari ſucceſſivè in pluribus locis: at nunquam Deus mutare poteſt, quia, manente loco, Deus non ceſſat operari. 4. Deus eſt vbique, quia ipſum neceſſe eſt operari in quolibet corpore exiſtente: non item angelus, quia cùm eſt in vno loco, non eſt neceſſe ipſum operari in altero, imò ſæpe non poteſt, quia finitæ virtutis eſt. 5. Angelus eſt definitivè in loco, non Deus. Conveniunt tamen ſaltem analogicè; 1. quia virtus divina perinde debet eſſe immediata corpori in quod operatur, atque angelica; 2. quia ſicut Deus faciendo ſibi locum non mutatur, ita nec angelus, quia agens vt agens non mutatur.

## §. II. *Motus angeli in vtraque ſententia explicatur.*

QUI extenſionem virtualem angelo tribuunt, difficiliùs explicant motum localem angelorum, quàm ii qui in loco per operationem eſſe pugnant. Juxta vtriuſque ſententiæ principia rem breviter expedio: ſit itaque juxta principia eorum qui diffuſionem virtualem agnoſcunt,

1. Pronuntiatum. Motus angeli diſtinguitur vt

modus ab angelo, & in eo intrinſecè recipitur. Probatur aſſertio iiſdem argumentis, quibus confecimus motum à mobili diſtingui realiter, in Phyſica vniverſ. tom. 2. Nam moveri de loco ad locum eſt novus effectus realis in angelo: at hic effectus non poteſt eſſe à nuda ſubſtantia angeli, aut ab operatione tranſeunte, aut à ſolo motu corporis cui aſſiſtit: ergo à nova forma ipſi angelo inhærente oriri debet. Minor probatur: non eſt à nuda ſubſtantia angeli, quia ſemper ac neceſſariò eſſet; nuda enim ſubſtantia angeli ſemper eadem eſt, adeóque ſemper apta idem præſtare. Non ab operatione tranſeunte, quia angelus poteſt mutare operationem in loco, dum intra propriam ſphæram exiſtit, manente eadem præſentia definitiva quam habebat ad locum; quidni enim angelus vni leucæ coextenſus, operetur in primo pede leucæ, non operando in quinto aut ſexto. Deinde ſubjectum localiter moveri, eſt ipſum ſecundùm ſubſtantiam fieri ſucceſſivè præſens diverſis locis: ergo per aliquid ſibi inhærens: at operatio tranſiens non inhæret ipſi angelo, ſed extra angelum fertur. Non à corpore aſſumpto, quia illi ineſt tantùm vt forma aſſiſtens, non vt forma informans, adeóque moto corpore non neceſſariò movetur angelus: ergo vt moveatur, debet per formam in ſe receptam moveri.

11. Pronuntiatum. Motus angeli, quoties movetur ad locum diſſitum, ita eſt continuus & ſucceſſivus, vt non poſſit eſſe inſtantaneus. Probatur: quia angelus ita movetur per ſpatium, vt nunquam quieſcat; habet enim potentiam motricem ad motum maximè expeditam, nec vlla

ratio eſt, cur nunc quieſcat potiùs quàm antea. Deinde morulas exploſimus in Phyſica vniverſ. quis enim putet molarem lapidem ex alto cadentem interquieſcere ? jam quòd non poſſit eſſe inſtantaneus. Patet, quia angelus adæquaretur ſpatio majori ſe. Habeat enim angelus extenſionem decem palmarum ; ſi vno inſtanti conficiat decem leucas, illo inſtanti adæquabitur decem leucis ; eas enim eodem inſtanti occupabit. Præterea eodem inſtanti erit in termino à quo, & in termino ad quem, & in medio : at tranſitus à termino à quo ad terminum ad quem per medium neceſſariò dicit ſucceſſionem, qua res priùs in medio, ſit poſteriùs in extremo diſtanti, quod ſubit, medio relicto ; ita vt nec in medio ſit, tunc cùm in extremo eſt ; nec antea in extremo eſſet, cùm adhuc erat in medio. Ratio eſt, quòd angeli vis motrix finita ſit, & naturali rerum ordini alligata : ergo ſicut diſſita loca junguntur per medium interjectum, ſic natura rerum poſtulat vt extremum attingatur per medium.

Nec dicas angelos ſimiles eſſe cogitationi noſtræ, quæ poteſt de extremis mundi cogitare, non cogitando de medio. Diſpar enim ratio eſt, & quidem gemina : prima, quòd cogitatio debeat tantùm eſſe præſens objecto intentionaliter, non realiter, mobile autem præſentiam realem ad ſpatium requirat ; ſecunda, quòd ſpatium interjectum non ſit medium reſpectu cognitionis, ſit autem reſpectu mobilis.

III. Pronuntiatum. Si locus ad quem tendit angelus per motum localem, continuus aut contiguus ſit priori quem deſerit, ſed major quàm vt totum ſimul occupare poſſit, non poteſt ad

eum moveri niſi ſucceſſivè. Probatur, quia ſi angelus poſſet ſimul & in inſtanti præſentiam ad locum majorem adæquato acquirere, poſſet in loco majori adæquato ſimul eſſe: at non poteſt angelus eſſe ſimul in loco majori adæquato, ſaltem naturaliter: ergo nec acquirere in inſtanti: quare opus eſt vt angelus prius ſpatium ſibi adæquatum occupet, deinde vlterius tendat, quod ſucceſſionem fluxumque requirit: at ſi locus continuus aut contiguus priori ſit locus adæquatus angeli, quomodo tunc eum acquiret angelus? Duplex eſt ſententia; prima docet angelum per totum illud ſpatium ſuæ extenſioni virtuali commenſum in inſtanti diffundi poſſe, quod vocant moveri ad locum per mutationes inſtantaneas, ſeu per inſtantia interpolata. Exemplum habes diffuſionis iſtius inſtantaneæ in lumine quod in totum ſpatium à ſole diffunditur in inſtanti. Secunda docet ne quidem in illa hypotheſi poſſe angelum occupare illum locum in inſtanti, ſed ſemper ſucceſſionem aliquam illi neceſſariam eſſe.

Prima nititur hoc argumento: quoties angelus à loco ſuæ extenſioni virtuali adæquato ad locum alterum itidem adæquatum tranſmeat, nulla ſucceſſio requiritur: ergo poteſt ipſum occupare per mutationem inſtantaneam. Probatur ant. ſi ſucceſſio aliqua requireretur vel ratione medii, vel ratione termini acquirendi: nec ratione medii, nec ratione termini acquirendi ſucceſſio requiritur aliqua; non ratione medii, quia nullum eſt; non ratione termini acquirendi, quia quod poteſt ſimul eſſe, poteſt ſimul acquiri, modò nihil obſtet: at præſentia angeli in loco

ſibi adæquato poteſt tota ſimul eſſe, vt patet: ergo & tota ſimul acquiri; nullus enim obex fingi poteſt, quo angelus retardetur, cùm habeat vim motricem omnino completam ad ſpatium ſibi commenſum in inſtanti occupandum.

Porrò juxta hanc ſententiam 1. poteſt angelus ſimul in inſtanti per motum privativum partem ſpatii adæquati, aut totum ſpatium amittere, conſervando tantùm præſentiam in puncto ejuſdem ſpatii aut proximi. Item deperdito toto priore vbi adæquato, in inſtanti aliud ſibi adæquatum aut inadæquatum acquirere. 2. Quò angelus vnus altero perfectior eſt, eò poteſt moveri celeriùs, quia ſpatium ſibi adæquatum amplius habet, quod poteſt, ſi velit, majoribus quaſi paſſibus decurrere. Item moveri poteſt celerrimè quilibet angelus, ſi ſpatium ſuæ diffuſioni adæquatum ſimultaneè occupet; tardè autem movetur, cùm vno momento relinquit minus ſpatium medietate ſuæ molis, mediocriter, ſi æquale medietati; celeriter, ſi paulò majus medietate. 3. Movetur per inſtantia interpolata, & interjectas motibus inſtantaneis morulas: v. g. cùm movetur celerrimè, quia cùm duo inſtantia non ſint ſibi immediata, neceſſe eſt vt inter duo inſtantia paululùm moretur & interquieſcat. 4. Poteſt tamen angelus moveri ſucceſſivè ſucceſſione continua motu tum privativo ſeu deperditivo, tum poſitivo ſeu acquiſitivo. Patet prima pars; poteſt enim angelus à loco adæquato, quem totum occupabat, ad minorem & minorem ſe reſtringere. Patet quoque ſecunda, quia poteſt à minori ſpatio ad ſpatium ſibi adæquatum ſenſim continuè moveri, aut ad aliud diſtans tranſire.

Secunda ſententia morulas & inſtantia interpolata explodit his argumentis. 1. Quia non poteſt explicari quid ſit illa replicatio inſtantanea, quam fingunt primæ ſententiæ patroni, quin concipiamus angelum priùs per ſui primas partes virtuales ſucceſſivè reſpondiſſe prioribus partibus ſpatii decurrendi, quàm poſterioribus. Et ſanè extenſio virtualis angeli debet correſpondere extenſioni formali ipſius ſpatii, cui applicatur per motum: at in ſpatio quod percurrit, vtpote extenſo, dantur partes priores & poſteriores: ac proinde debet angelus priùs diffundi per partes ſpatii propinquiores loco quem deſerit, quàm per partes remotiores longiuſque diſſitas diffundatur. 2. Supponatur angelus occupare ſpatium ſibi commenſum, putà decem leucarum inſtanti A; deinde inſtanti B moveat ſe ad ſpatium ſibi adæquatum, ita vt lapidem viginti pedum ſecum deferat, & quidem à remotioribus partibus ſpatii quod priùs occupabat, ad ſpatium decem leucarum quod in ſecundo inſtanti occupat. Certè lapis ille tranſibit à termino à quo ad terminum ad quem, non tranſeundo per medium. Hæc ſententia, vt vides, congruit principiis quæ jecimus in Phyſ. vniverſ. tom. 2. cùm de natura continui permanentis & ſucceſſivi egimus.

Reſpondent tamen non requiri diffuſionem ſucceſſivam in angelo, aiuntque angelum eodem inſtanti per ſpatium ſibi commenſum per quandam ſui replicationem in pluribus partibus ſpatii, ſervatâ tantùm prioritate ordinis naturæ, diffundi, ſicut lux ſolis requirit tantùm ordinem naturæ, non ſucceſſionem temporis, vt per productionem diverſarum partium in diverſis hemiſpherii

ſpherii partibus diffundatur: aut ſicut anima rationalis pluribus partibus corporis ſimul diſpoſitis eodem inſtanti adeſt citra temporis ſucceſſionem, eáſque informare incipit, aut plures partes ſimul abſciſſas ſimul informare deſinit.

Ad hypotheſim, negant, angelum, ſi deferat lapidem, poſſe in inſtanti locum ſibi vicinum adæquatum acquirere, quia lapis ille tranſiret à termino à quo ad terminum ad quem, non tranſeundo per medium; datur enim medium reſpectu lapidis in ſpatio angeli adæquato, licèt non detur reſpectu angeli ſolitariè ſumpti. Hinc ſi duo angeli ſimul colligentur, quorum vnus perfectior ſit altero, adeóque ſpatium majus occupet: ex hypotheſi, quòd moveantur ambo, tenebitur perfectior angelus attemperare curſum ſuum ad motum imperfectioris angeli juxta regulam peregrinorum, quâ qui valentior eſt pedibus, debet celeritatem inceſſus moderari, ne juſto longiùs ſocio præcurrat.

IV. Pronuntiatum. Qui angelum in loco per operationem eſſe pugnant, motum angeli nihil aliud eſſe volunt quàm mutationem loci; mutatio autem loci nihil aliud eſt quàm mutatio operationis quæ ſucceſſivè fiat in diverſis locis; hinc

V. Pronuntiatum. Angelus non movetur per ſe & propriè, ſed per accidens & æquivocè. *Dicendum*, inquit D. Thom. qu. 53. a. 1. *quòd angelus beatus poteſt moveri localiter; ſed ſicut eſſe in loco æquivocè convenit corpori & angelo ita etiam moveri ſecundùm locum.* Rationem deinde ſubjungit: *Quia enim angelus non eſt in loco niſi ſecundùm contactum virtutis, vt dictum eſt, neceſſe eſt quòd motus angeli in loco nihil aliud ſit quàm*

L

*diverſi contactus diverſorum locorum ſucceſſivè & non ſimul.*

VI. Pronuntiatum. Motus angeli pro illius arbitrio poteſt eſſe continuus vel diſcretus : tunc continuus eſt, cùm agit ſucceſſivè in corporibus contiguis ; tunc verò diſcretus, cùm agit in corporibus diſſitis, non agendo in intermediis.

VII. Pronuntiatum. Cùm movetur diſcretè angelus, tunc ab extremo ad extremum ſine medio movetur, quia angelum moveri diſcretè eſt angelum operari in extremis, non operando in medio : at poteſt angelus operari in extremis, non operando in medio ; cùm enim angelus non ſit capax poſitivæ diſtantiæ localis, eſt indiſtans negativè à quocumque loco : ergo poteſt operari in quolibet loco qui reſpondeat virtuti illius actuoſæ ; hinc angelus, cujus vis agendi ad decem leucas pertingere poteſt, vtique, ſi velit, poteſt agere in prima leuca, non agendo in ſecunda, & ita deinceps ; & ita aget in pluribus locis diſſitis, quod vocant moveri per ſpatia interpolata.

VIII. Pronuntiatum. Tum cenſetur angelus ab vna parte mundi ad alteram partem moveri, cùm ceſſat operari in vna parte, & immediatè pòſt operatur in altera. Nititur veritas hujus pronuntiati hoc principio : Tum angelus incipit vel deſinit eſſe in loco, cùm incipit vel deſinit in eo operari.

IX. Pronuntiatum. Tarditas & celeritas motûs angeli ex modo operationis, & ex diſtantia aut vicinitate locorum in quibus operatur, æſtimanda eſt, quatenus in illis ſucceſſivè agit, & quidpiam molitur.

x. Pronuntiatum. Dum angeli dicuntur moveri aut locari, è cælo in terras deſcendere, ne illud de ipſis intelligas, quatenus ſunt ſpiritus, ſed quatenus ſunt formaliter angeli, id eſt, nuncii ad homines à Deo delegati, ac proinde apparent hominibus in corporibus aſſumptis, juxta mentem D. Thomæ, quia ait, angelos tum dici deſcendere de cælo, cùm fiunt viſibiles hominibus, id eſt, cùm aſſumunt corpora; aſcendere autem in cælum, cùm fiunt inviſibiles, & relictis corporibus, ſe oculis noſtris ſubducunt.

Prætermitto hîc de aliis affectionibus prædicamentalibus angelorum plura dicere, tum quia ſatis innoteſcunt ex iis quæ diximus in Logica, agendo de categoriis ſingulis: tum quia aliquæ angelis non conveniunt, niſi valde impropriè, vt ſitus: tum quia de duratione angelorum propria, quæ æviternitas dicitur, egimus in Phyſ. vniverſ. tom. 2. part. 5. diſp. vnic. de durat. a. 1 §. 3. tum quia de principibus angelorum qualitatibus agemus diſp. ſequenti, nempe de intellectu & voluntate.

## ARTICULUS III.

## *De proprietatibus angelorum magis ſpecialibus.*

Tres gradum naturæ intelligentis creatæ proprietates ſequuntur, intellectus, voluntas; & facultas motrix: intellectus qui ex ipſa differentia intelligentiæ ſpecifica fluit, quo objectum intelligibile attingit: voluntas, cui intellectus ad bòni proſecutionem & fugam mali

prælucet : facultas motrix, quæ vtriuſque facultatis miniſtra, ad bonum, ſi procul abſit, inquirendum ; aut ad malum, ſi immineat, declinandum famulatur. De ſingulis facultatibus pauca delibo.

## §. I. *De intellectu angeli.*

QUATUOR circa facultatem intellectivam angeli diſcutio ; 1. an ſit in angelo facultas intelligens, & quàm perfecta ſit ; 2. an diſtinguatur realiter ; 3. an differat ſpecie ab intellectu humano ; 4. an ſit in angelo intellectus tum agens, tum patiens.

I. ASSERTIO. Angelis ineſt facultas intelligendi. Probatur : Subſtantia ſpiritalis eſt ſubſtantia vivens ; nam ſubſtantia vivens eſt nobilior non vivente : angelus eſt ſubſtantia ſpiritalis : ergo eſt ſubſtantia vivens : ergo vivit vita vel vegetativa, vel ſenſitiva, vel intellectuali ; non vita vegetativa aut ſentiente, quæ vnis rebus corporatis conveniunt : ergo vita intelligente. Probatur 2. ex ratione medii : medium participat communem vtriuſque extremi perfectionem : angelus eſt quid medium inter Deum & hominem, quibus vis intelligendi convenit : ergo angelus vim intelligendi participat.

II. ASSERTIO. Angelis ineſt facultas intelligendi perfectiſſima. Probatur : vt quodlibet ens longiùs à materia recedit, ita eſt perfectiùs intelligens ; cognitio enim fit per receſſum à materia, vt patet inductione per omnes ſenſus tum externos, tum internos ; materia quippe cognitionis obex. Hinc ex ſumma Dei immaterialita-

te perfectiſſimum ejuſdem intelligendi modum colligit D. Thomas 1. part. qu. 14. a. 1. angelus eſt expers omnis materiæ : ergo perfectiſſimè intelligens. Meritò itaque virtus intellectiva angeli dicitur à D. Greg. Naz. *primarius radius à Deo in angelum emanans*, *qui totus intelligentia eſt & totus intellectus.* Porrò quamvis facultas intelligendi in angelo ſit exquiſita, tamen imperfectior eſt quàm divina, ſed humana perfectior per regulam medii.

III. Assertio. Facultas intelligendi diſtinguitur realiter à ſubſtantia angeli. Ita D. Th. 1. part. q. 54. a. 3. Probatur 1. à pari : aliæ ſubſtantiæ creatæ eliciunt operationes ſuas per qualitates & facultates realiter diſtinctas : ergo & angelus. Antecedens patet inductione ; nam elementa per primas qualitates, & mixta corpora per ſecundas, ſeu à primis ortas, & cæli ſi ſeraque per influentias tanquam per principia proxima ; denique anima rationalis per intellectum & voluntatem, potentias realiter à ſe diſtinctas, producunt effectus ſuos & operationes, vt oſtendi in Phyſica partic. tom. 2. part. 8. diſp. 2. a. 2. §. 1. idque paſſim inſinuat Ariſtoteles : *Ignis quà ignis*, inquit, *& terra quà terra, nihil nata ſunt agere vel pati , nec aliud quidpiam ; quà autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt & patiuntur*, lib. de ſenſ. & ſenſil. c. 4. Et calor viventibus ineſt tanquam inſtrumentum, ex eodem lib. 2. de gen. anim. c. 3. *Ineſt*, inquit, *in ſemine omnium quod facit vt fœcunda ſint ſemina , videlicet quod calor vocatur :* ergo à pari angelus operatur per potentias à ſe realiter diſtinctas. Ratio à priori hujus diſtinctionis realis petitur ex fini-

tudine & limitatione ſubſtantiæ creatæ. Cùm enim finita ſit in genere ſubſtantiæ, neceſſariò deficit à Dei ſimplicitate: ergo incidit in compoſitionem, tum metaphyſicam ex genere & differentia, tum phyſicam ex materia & forma, ſi corporata ſit, tum ex ſubſtantia & potentia, ſive corporata ſit, ſive ſpiritualis. Hinc pronuntiatum Ariſtotelis lib. 4. de part. anim. cap. 10. *Homo, quia prudentiſſimus omnium animalium, ideo manus obtinet: qui enim prudentiſſimus eſt, rectè uti plurimis inſtrumentis poteſt; manus autem videtur eſſe non unum inſtrumentum, ſed multa.*

Nec dicas ſufficere diſtinctionem metaphyſicam potentiarum in angelo, vt deficiat à Dei ſimplicitate; præſertim cùm natura quælibet, quò præſtantior eſt, eò paucioribus adminiculis indigeat. Nam probat quidem argumentum, paucioribus potentiis angelum indigere, quàm ſubſtantias corporatas: at certè non probat nullis indigere; quidni enim à ſimplicitate phyſica Dei perinde deficiat, atque anima rationalis? at non poteſt deficere à ſimplicitate phyſica Dei, niſi incidat in compoſitionem realem ex ſubſtantia, potentia & operatione, juxta mentem D. Dionyſ. qui cap. 11. de cæl. hierar. in ſummis ſpiritibus beatis tria diſtinguit, nempe ſubſtantiam, virtutem & operationem, cui D. Anſelmus ſuffragatur de caſu diab. c. 8. vbi ait, voluntatem angeli non eſſe ſubſtantiam. Quæ contra hanc aſſertionem objici poſſunt, jam ſolvimus in Phyſ. partic. tom. 2. diſp. 8. a. 2. §. 1.

Ut autem quæſtio de intellectu agente & patiente ſolvatur, adverte, intellectum agentem peræquè ac poſſibilem duobus modis ſumi poſſe;

latè & ſtrictè. Intellectus agens latè ſumptus, eſt facultas quomodocunque activa ſive propriorum actuum, ſive ſpecierum aut habituum intellectualium. Strictè ſumptus, eſt facultas ſpiritalis à natura ordinata ad ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus abſtrahendas, cujus triplex munus, nempe illuminare phantaſmata, ex quibus ſpecies intelligibiles educit; objecta intelligibilia in actu efficere; denique ſpecies intelligibiles poſſibili intellectui committere. Intellectus poſſibilis latè acceptus, eſt facultas ſpiritalis quomodocunque paſſiva & receptiva ſpecierum. Strictè, eſt facultas ſeu nuda potentia in genere intelligibilium, ordinata ad recipiendas ſpecies vi intellectus agentis ex phantaſmatis expreſſas, cujus duplex munus: alterum, ſpecies intelligibiles recipere, quibus completur in actu primo ad intelligendum; alterum, concurrere cum ſpecie intelligibili ſibi concredita ad productionem intellectionis, ſeu ſpeciei expreſſæ. His obſervatis, ſit

IV. Assertio. Datur in angelis intellectus agens & poſſibilis latè ſumptus. Probatur: quia intellectus agens latè ſumptus, nihil eſt aliud quàm facultas productrix actuum, ſpecierum & habituum; poſſibilis verò, potentia receptiva ſpecierum & actuum: talis datur intellectus in angelo, vt patet; recipit enim ſpecies, ſive ab extrinſeco, ſive ab intrinſeco oriantur, & cum illis ſpeciebus concurrit ad actus: ergo datur intellectus agens & poſſibilis latè ſumptus in angelis.

V. Assertio. Non datur intellectus agens & poſſibilis ſtrictè ſumptus in angelis. Ita D.

Thomas 1. part. q. 54. a. 4. Probatur : quia nullus angelus, vt poſtea oſtendam, ſpecies à rebus abſtrahit ; ſed à natura concreatas habet, aut certè de novo à Deo infuſas : ergo non eſt in angelis intellectus agens & poſſibilis ſtrictè ſumptus. Certè nunquam angeli intellectus eſt in pura potentia ad ſpecies aut ad actus, quia, vt jam dixi, accepit ſpecies rerum in ortu, vel ſe ipſum ſine ſpeciebus intelligit, & quidem ſemper, vt multi volunt ; eſt enim ſibi maximè præſens, adeóque in ſui cognitionem ſemper incumbit.

VI. Assertio. Intellectus angeli diſtinguitur ſpecie ab intellectu humano. Ita Suares lib. 2. de ang. cap. 2. Probatur : natura angelica diſtinguitur ſpecie à natura humana : ergo ei convenit proprietas aliqua ſpecie diverſa à proprietate naturæ humanæ, non tantùm vt proprietas naturæ, ſed etiam vt facultas ordinata ad objecta : at demptis intellectu & voluntate, non apparet proprietas vlla in angelo, quæ ei præſertim conveniat : ergo, &c. Ratio à priori eſt, quòd intellectus & voluntas ſint proprietates adæquatæ naturæ intelligentis ; fluunt enim ex vltima ratione ſpecifica ipſius, & ei adæquatè commenſurantur : ergo ſi naturæ ex quibus oriuntur, ſunt diverſæ ſpeciei, par eſt quoque ipſas differre ſpecie ; hinc ſi angeli aliqui ſpecie inter ſe diſtinguantur, eorum quoque intellectus & voluntas ſpecie differunt inter ſe.

Confirmatur aſſertio, tum quia diverſa ratio objectorum connaturalium fundata in diverſo eſſendi modo vtrique naturæ convenit, tum quia latiùs patet ſphæra objectiva intellectus angelici

quàm humani; nam intellectus angeli ambitu ſuo tum propriam, tum minorem inferiorum naturarum intelligentiam complectitur: at potentiæ quæ diverſam objecti connaturalis ſphæram per ſe includunt, ſpecie differunt.

VII. ASSERTIO Objectum adæquatum intellectus angelici, & naturaliter ſpecificativum, eſt omne ens intra ordinem naturæ contentum. Probatur: quia tale objectum neque excedit facultatem intellectivam angeli, neque ab ea exceditur. Non excedit, tum quia omnia entia naturalia in ratione communi naturalis intelligibilitatis conveniunt, & ſub eo reſpectu ad intellectum angelicum referuntur: tum quia intellectus angelicus, vtpote perfectè immaterialis, poteſt fieri omnia intelligibiliter quæ intra ordinem naturæ continentur. Non exceditur, alioquin angelico intellectui deberentur ſpecies omnium objectorum ſupernaturalium quæ producta ſunt, quod falſum eſt. Hinc fit quòd ſpecies omnium objectorum, quæ intra ſphæram naturalem intellectus angelici continentur & producta ſunt, ipſi debeantur: quare non tantùm ens creatum naturalis ordinis, ſed Deus ipſe, vt auctor naturæ, & per effectus cognoſcibilis, eſt objectum cognitionis angelicæ, & quidem naturale.

## §. II. *De voluntate angelorum.*

HÆc eſt altera facultas intelligentiæ propria, cujus radix eſt ipſius immaterialitas. Quæritur hîc 1. an ſit in angelo voluntas: 2. qualis ſit, id eſt, an ſit libera: 3. an ſit appetitus concupiſcibilis in angelo.

I. Assertio. Ineſt angelis voluntas. Probatur : ſuus cuique naturæ eſt appetitus, quia ſui conſervatrix eſt, & ad propriam perfectionem tanquam ad ſuum bonum inclinat : ergo ſuus quoque ineſt naturæ angelicæ appetitus; non alius quàm volitiva facultas, quia omnis appetitus debet congruere naturæ ad quam conſequitur : natura autem intelligens fieri poteſt, imò & fit intelligendo omnia, adeóque facultatem appetentem exigit quæ ad ea feratur omnia, quæ natura intelligens fieri poteſt : talis autem eſt voluntas : ergo datur voluntas in natura intelligente, ac proinde in angelo. Deinde angelus Deum inter & hominem medius eſt : ergo debet participare id quod eſt vtrique commune : at inclinari in bonum cognitum eſt perfectio Deo & homini communis : ergo angelo convenit. Porrò voluntatis angelicæ objectum eſt bonum in communi : ita tamen vt motivum ipſius voluntatis angeli ſit bonum ejuſdem, quia maximè ei proportionatum; terminativum verò reliqua bona eidem affinia.

II. Assertio. Voluntas angeli eſt verè libera. Probatur 1. à priori, quia ſubſtantia immaterialis & intelligens eſt libera ; habet enim judicium indifferens ad hoc vel illud agendum, quia poteſt rationem boni vniverſalem percipere, ſub qua poteſt hoc vel illud cum quadam indifferentia agendum concludere, 1. quæ indifferentia eſt prima radix libertatis. 2. à poſteriori : angeli ſunt capaces meriti & demeriti : ergo ſunt verè liberi. Ant. patet auctoritate SS. Patrum, Auguſtini lib. 22. de civit. Dei c. 1. vbi ſic loquitur de ſpiritibus creatis : *Quibus intelli-*

*gentiam dedit.* Et infra : *Qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, ut ſi vellet deſerere Deum, continuò miſeria eſſet ſecutura.* Fulgentii de fide ad Petrum c. 3. *Angelorum naturalis mutabilitas in eo cognoſcitur, quòd pars ejus eſt in deterius commutata.* Et de ſanctis angelis ait : *Ut eorum dilectio laudem haberet voluntatis, eis tribuit libertatem* Ruperti lib. ult. de operibus Spiritus ſancti c. 7. *Omnes angeli cum libero arbitrio conditi ſunt, & ſic bene conſtituti, ut in melius proficere haberent.*

III. Assertio. Voluntas angeli eſt libera libertate cùm exercitii, tum ſpecificationis. Probatur : angelus poteſt non modò velle & non velle aliquod objectum ; ſed etiam poteſt velle hoc, vel oppoſitum ejus : v. g. quieſcere aut moveri, loqui vel tacere

IV. Assertio. Voluntas angeli fuit libera, etiam in primo inſtanti creationis. Probatur : Voluntas angeli habuit in primo inſtanti creationis omnia requiſita ad agendum liberè, nempe objectum præſens, ſaltem per ſpecies vicarias & cognitionem cum poteſtate utriuſque partis proponentem : ergo potuit pro eo inſtanti liberè agere. Ratio à priori eſt, quòd ad libertatem perfectam ſatis ſit, ſi nihil ſit, aut concipiatur in priori ſive naturæ, ſive rationis, vi cujus voluntas ad agendum neceſſariò determinetur : at nihil in priori naturæ fuit in angelo, vi cujus ad agendum neceſſariò determinaretur : & aliunde angelus non opus habuit deliberatione aut inquiſitione mediorum, quia plura pro eo inſtanti novit intuitivè ; hinc pro eodem inſtanti potuit peccare, quia pro eo inſtanti non defuit

cognitio ipſi objectum indifferenter proponens; & aliunde voluntas ejus deficere potuit, vtpote in malum ex ſe labilis.

V. Assertio. Probabiliſſimè angelus in electione facta non eſt inflexibilis. Ita Bonaventura, Scotus, Suares, aliíque plures. Probatur 1. ex Scriptura, Dan. 10. vbi angelus Perſarum cuſtos cum angelo Judæorum cuſtode pugnans de non permittenda Judæorum libertate, cognita Dei voluntate, mutavit conſilium. Item dæmon Chriſti mortem per Judæos vrſit primùm; deinde eamdem conatus eſt per vxorem Pilati impedire, juxta mentem ſancti Ignatii ep. 5. ad Philipp. 2. Ex SS. Patribus. D. Auguſt. qui lib. de corrept. & grat. c. 11. docet, angelis omnibus datum eſſe à Deo auxilium, quo, ſi vellent, in amore & juſtitia perſeverare poſſent: ergo poterant non perſeverare in amore, & mutare voluntatem in oppoſitum; aliàs fruſtra Deus ipſis auxilium ad perſeverandum conceſſiſſet. D. Damaſceno lib. 2. de fide c. 3. vbi ait, angelum eſſe mutabilem tum ſecundùm ſententiam, tum ſecundùm voluntatem, ipsóſque beatos angelos immobiles in Dei amore, non naturâ, ſed gratiâ; hinc cùm ait ibidem, angelum pœnitentiæ minimè capacem eſſe, quia corpore vacat, illam incapacitatem non repetit ex eo præcisè quòd ſit ſpiritalis naturæ, ſed ex denegato pœnitentiæ dono quod accipere non debuit, quòd ex majore malitia & minore occaſione peccaſſet.

Probatur ratione: angelus eſt liber in eligendo, vt probatum eſt aſſert. 2. ergo etiam poſt primam electionem factam. Probatur conſeq.

nihil eſt quod neceſſitet angelum poſt electionem factam: ergo eſt liber poſt primam electionem, adeóque poteſt ipſam mutare, ſi velit. Prob. ant. ſi quæ cauſa angelum neceſſitaret, vel Deus, vel natura angeli, vel intellectus ipſe moduſque ejus intelligendi, vel ipſa voluntas: nulla ex his cauſis neceſſitat; non Deus, qui ad exigentiam cujuſque cauſæ concurſum ſic temperat, vt néceſſarium neceſſariis, & indifferentem liberis exhibeat; & aliunde Dei ſanctitati repugnat neceſſitare ad malum. Non natura ipſa angeli, quæ cùm creata ſit, vtique deficere poteſt à bono, adeóque debet poſſe corrigi & à malo revocari; vt enim imperfectio magna eſt, ſi mens errori obnoxia corrigi non poſſit, & errorem dedoceri: ita imperfectio haud levis eſſet, ſi voluntas caduca ex ſe & fragilis, à peccato, in quod incidiſſet, abduci non poſſet. Quid quòd voluntas angeli nihilo immutabilior eſt quàm judicium ipſius, quod variari poteſt, imò & falli interdum, ſi ſecundùm vires naturales ſpectatur: v. g. cùm judicat angelus ex conjecturis & ſignis incertis & obſcuris, item de tentationum exitu, & diſpenſatione gratiæ. Adde quòd poteſt objectum præſens fortiùs apprehendere, quàm abſens, & ita ab eo potentiùs moveri: ergo ex parte modi cognoſcendi nulla eſt ratio ob quam in priori electione perſeveret. Et licèt idem judicium perſeveraret, ſicut nihil in eo fuit, à quo determinaretur neceſſitate antecedenti ad electionem faciendam; ita nihil eſt poſt electionem factam, quod voluntatem eidem immobiliter affigat: ergo ſicut hoc prælucente primùm judicio, voluntas liberè elegit, po-

tuitque non eligere : ita poteſt , eodem judicio adhuc ſtante, perſtare in electione, ſi velit, vel abjicere. Denique angelus vnum è duobus æqualibus in re & in cognitione pro ſuo nutu eligit , judicio ex æquo ad vtrumque præeunte ; & ita eſt omnimoda indifferentia objectiva in alterutram partem tùm ex parte rei, tum ex parte judicii angeli : ergo poteſtas integra eligendi oppoſitum ejus quod priùs elegit , perſeverat ex parte judicii. Non actus voluntatis, 1. quia poteſt ipſum deponere , vt fatentur adverſarii , & verò fateri debent ; aliàs ſemper actum voluntatis ſemel productum neceſſariò conſervaret : at ſemel depoſitus , non poteſt per ſe , nec per habitum à ſe relictum voluntatem neceſſitare ; non per ſe , quia quod non eſt , non poteſt agere ; non per habitum à ſe relictum , tum quia habitus inclinat tantùm potentiam , vt faciliùs poſſit actus ſimiles elicere , non verò vt non poſſit oppoſitos : tum quia habitus ille relictus ex prima electione non poteſt eſſe adeo intenſus, vt eum vincere nequeat : tum quia habitus præcedens actum electionis non neceſſitat phyſicè ad electionem , ſed voluntati ſubeſt : ergo non poteſt neceſſitare ad perſeverantiam electionis. 2. Licèt actus perſeveret, nec minuit potentiam, nec deſtruit , vtpote naturâ poſterior, imò perficit : ergo voluntas poteſt in ipſum non influere ; & quamvis ejuſmodi actus , quandiu perſeverat, neceſſariò excludat privationem ſui, non tamen voluntatem aſtringit ad ſui conſervationem. Hoc argumentum Suaris eſt lib. 3. cap. 10. num. 8. & ſequentibus , ipſum conſule.

Objicies 1. Angelus cùm clarè videat omnia,

non minùs perſpicax eſt circa objecta quæ cognoſcit, quàm nos circa prima principia : at nos primis principiis immobiliter adhæremus : ergo & angelus conſiliis ſemel initis, & aliunde appetens facultas movetur ab apprehenſiva facultate, ſicut mobile à motore.

Reſp. 1. probari hoc quidem argumento, judicium ab angelo de eſſentia & proprietatibus alicujus rei formatum mutari non poſſe : at non probat, judicium quod de rebus contingentibus & eligibilibus tulit, variatis circunſtantiis variari non poſſe. Deinde falſum eſt, angelos apprehendere omnia objecta æquè evidenter atque apprehendimus prima principia, vt jam obſervavimus. Non enim omnia illis per ſe evidentia ſunt, nec etiam per aliud, cùm naturaliter falli poſſint : quidni ergo, ſi quid contrarium ipſa experientia vel alia ratione doceantur, mutare judicium poſſint ? Denique falſum eſt, voluntatem perinde ab intellectu moveri, atque movetur mobile à motore ; cùm enim ſit ſui juris & domina actuum, movet ſe ipſa prout vult, etiam poſitis omnibus ex parte intellectûs ad agendum requiſitis.

Objicies 2. Ut quiſque ſapientiſſimus eſt, ita difficillimè à propoſito ſemel ſuſcepto abducitur ; præſertim ſi rem attentiùs conſideret, antequàm agat : at angeli longè nobis ſapientiores, res attentiùs conſiderant, nec cupiditate vt nos, aut ignorantia ducuntur : ergo difficillimè à propoſito ſemel ſuſcepto abducuntur.

Reſp. 1. etiamſi totum concederem, nihil efficí contra ſententiam noſtram ; non enim nego angelis tenacitatem propoſiti, ſed ſolam infle-

xibilitatem. Angeli quippe nobis perſpicaciores cùm ſint, ſuſceptum ſemel conſilium ægriùs deponunt; & ita ſunt nobis haud paulò ſtabiliores in voluntate ſua, & vt ait Nazian. orat. 38. *non omnino immobiles, ſed ægrè mobiles ſunt.*

Reſp. 2. negari majorem à Patre Joanne Martinon, qui cenſet quò quis ſapientior eſt, & agenda attentiùs conſiderat, eò faciliùs mutare voluntatem, vbi ſe malè elegiſſe advertit. Ut enim ea ſapientia non phyſicè ad eligendum primùm neceſſariò adegit, ita nec ad perſtandum ſemper in electione. Et verò qui cupiditate & ignorantia caret, faciliùs rationis ductum ſequitur; & ſi quid ex imprudentia malè elegerit, vbi maturiùs rem perpendit, ſtatim à ſuſcepta voluntate reſilit.

Inſtabis 1. Dæmones ex ſuperbia, boni angeli ex ſanctiſſimo amore indignum putant à bono ſemel electo recedere.

Reſp. 1. probari tantùm hoc argumento, eſſe quandam neceſſitatem moralem in bonis & malis angelis ita agendi ex rectiſſimo amore & ſuperbia, non ex natura ipſorum petitam: at neceſſitas moralis libertatem non perimit. 2. Vix putem, dæmonum eam eſſe obſtinationem ex ſuperbia ortam, quæ peccatum tot malorum quibus vexantur atrociùs, cauſam, non aliquatenus deteſtetur, aut eum honeſti amorem in bonis angelis naturaliter ſpectaris, præſertim cùm voluntarius & liber ſit, vt à bono quod melius judicarent, eligendo avocet, minori bono, quod primùm amplexi fuerant, relicto.

Objicies 3. Angeli in objectum eligendum intenſiſſimo conatu impetúque voluntatis feruntur:

ergo perſtant in ejus electione prorſus immobiles.

Reſp. 1. nego ant. Unde enim id habes ? an operantur omnia intenſiſſimo conatu potentiæ executricis ? minimè : ergo nec appetunt, niſi objectum ſummè ſit amabile & clarè cognitum. Deinde ſaltem vbi conatus ille remiſit, quidni voluntas aliter affici erga objectum poſſit, adeóque velle liberè ? Certè dæmones in primo inſtanti creationis ſuæ toto conatu incubuere in Dei amorem, vt quidam Thomiſtæ volunt ; & tamen ab eo ſtatim defecerunt. Mitto quòd multa fervorem illum primum voluntatis minuere poſſint, & aliquando penitus extinguere, quæ proinde tædium eorum quæ perditè amarunt, & faſtidium afferant.

Quæres hîc, an in angelo ſit appetitus concupiſcens. Reſpondeo : per appetitum concupiſcentem intelligis vel appetitum ſenſitivum, qui eſt ſedes paſſionum, vel amorem ſui proprium : appetitus primo ſenſu acceptus, non eſt in angelo, quia purus ſpiritus : at ſecundo ſenſu acceptus, in eo verè eſt, qui ne corrumpat judicium practicè practicum, opus habet frœno, quod quale ſit, Theologis examinandum relinquo ; hinc

Quia per amorem proprium angelus ferri poteſt in bonum delectabile, nullis obſeptum difficultatibus, vel in bonum arduum, quod pati poteſt reſiſtentiam vel ab affectibus internis inter ſe ob contrarietatem objectorum pugnantibus, vel ab extrinſecis voluntatibus contrà obnitentibus : ideo voluntas ejus, vt fertur in bonum delectabile & jucundum, dicitur appetitus concupiſcens ſaltem æquivalenter ; vt autem fertur in

bonum arduum, dicitur appetitus iraſcens : vt enim angelus amoris, deſiderii & gaudii capax eſt, ita ſpei & deſperationis, &c.

## §. III. *De potentia motrice, ſeu exequente angeli.*

Unica Observatio. PER potentiam exequentem, eam intelligo quæ voluntatis eſt quaſi pediſſequa, pendetque ab intellectu vt dirigente, & à voluntate vt applicante; hinc deſcribi poteſt, facultas intellectui & voluntati ſubdita ad immanenter tranſeunterque movendum. Dicitur facultas intellectui & voluntati ſubdita, quia prælucet voluntati intellectus, deinde voluntas potentiæ motrici imperat motum, vnde exercitium hujus potentiæ perinde liberum eſt in intelligentiis atque in homine. Ad movendum immanenter, movet enim ſe ipſum angelus vitaliter & intrinſecè; cùm enim vbique non ſit angelus, perfectius eſt ipſum ſe movere poſſe, quàm vni eidemque loco perpetuò affigi. Denique tranſeunter, quia per eandem potentiam non tantùm ſe ipſum, ſed etiam alios angelos, animas rationales ipsáque corpora movet, vt poſtea oſtendemus.

I. Assertio. Datur in angelis potentia motrix, & quidem ab intellectu & voluntate realiter diſtincta.

Probatur prima pars. 1. Datur in homine potentia motrix : ergo & in angelo. Prob. conſeq. ideo datur in homine, quia cùm homo non ſit vbique, debet moveri ad bonum conſequendum à ſe longiùs diſſitum; at hæc ratio valet in

angelis : ergo, &c. Probatur 2. à poſteriori : multa fiunt in natura ab angelis, quæ à facultate motrice oriri tantùm poſſunt : vt cùm Matth. 28. dicitur angelus Domini deſcendere de cælo, & Luc. 16. mendicus portatur ab angelis in ſinum Abrahæ.

Probatur ſecunda : quia intellectus & voluntas agunt tantùm immanenter, potentia motrix etiam tranſeunter : ergo ab intellectu & voluntate realiter diſtinguitur. Verbo dicam, quæ argumenta probant, hanc facultatem in nobis ab intellectu & voluntate diſtingui realiter, eadem probant, diſtingui in angelis; & ſicut eadem facultas motrix ſufficit ad nos movendos & alia quæ extra nos ſunt, movenda, producendumque impetum : ita angelus eadem facultate motrice ſe ipſum aliáque à ſe diſtincta movet, motúmque imprimit.

II. Assertio. Potentia motrix angeli finita eſt. Probatur : quælibet potentia naturam & indolem ſubſtantiæ, cui addicta eſt, ſequitur : ergo ex finita ſubſtantia non emanat niſi finita potentia; hinc falſum eſt, intelligentiam ſibi relictam & à Deo non impeditam quæcunque & quantacunque corpora movere. Falſum quoque, poſſe quodvis corpus quantalibet celeritate movere, aut etiam ſe ipſum quàm celerrimè vult, per motum velociorem & velociorem ſemper movere, aliàs vim movendi haberet infinitam.

III. Assertio. Angeli potentia motrix, licèt finita ſit, poteſt tamen præſtantiſſima opera per artem efficere. Probatur : quia omnia habet ad id requiſita; primò enim valet angelus ſaga-

citate & ſolertia naturali ; 2. capax eſt vtriuſque Philoſophiæ, tum ſpeculatricis quæ rerum naturas indagat, tum effectricis quæ tota eſt in condendis artificiosè corporibus ; 3. poteſt cauſis naturalibus tanquam inſtrumentis ad nutum vti, applicando activa paſſivis, modò ipſius vniverſi ordo non turbetur. Sed de his plura diſputatione quarta dicemus.

---

# DISPUTATIO III.

## *De operatione angeli immanente.*

OMNIS operatio eſt immanens vel tranſiens: immanens eſt, quæ recipitur in eodem ſuppoſito à quo producitur, vt intellectio, volitio & motus quo ſe ipſum angelus movet; tranſiens eſt, quæ tranſit extra ſuppoſitum à quo exit: talis eſt motus quo angelus cælum aut quodlibet aliud corpus movet. Hac diſputatione de actione potiſſima angeli immanente agemus; de tranſeunte verò quarta diſputatione tractabimus. Et quoniam duplex eſt præcipua actio angeli immanens, intellectiva & volitiva; intellectivam articulus primus, volitivam ſecundus explicabit.

### ARTICULUS I.

### *De operatione intellectiva angeli.*

TRIA potiſſimùm in cognitione ſpectantur; principium efficiens, à quo producitur; ob-

jectum circa quod verſatur; ipſa demum cognitio, ſeu actus cognoſcitivus. Hinc de principio cognitionis angeli primùm, deinde de objecto, tertiò de cognitione ipſa diſputandum eſt.

## §. I. *De principio efficiente cognitionis angelicæ,* ſeu *De ſpeciebus impreſſis.*

DUPLEX cognitionis angelicæ principium efficiens: alterum per modum cauſæ principalis, nempe ipſa angeli ſubſtantia; alterum per modum cauſæ inſtrumentalis, quod eſt ex parte angeli intellectiva facultas, ex parte objecti ſpecies, quæ eſt illius vicaria. Porrò jam de ſubſtantia & intellectu angeli fusè à nobis diſputatum eſt: quare ſupereſt vt de ſpecie diſſeramus, circa quam quatuor examinanda veniunt; primum, an angelus opus habeat ſpeciebus ad cognoſcenda objecta; ſecundum, circa quæ objecta iiſdem egeat; tertium, à quo accipiat; quartum, quid ſint illæ ſpecies, & quæ illarum affectiones.

I. ASSERTIO. Dantur ſpecies impreſſæ in intellectu angeli ad cognoſcenda plura objecta. Ita D. Thomas..

Probatur 1. ex indifferentia intellectûs angeli; nam peræquè indifferens eſt & indeterminata facultas cognoſcens angeli atque humana, ad plura objecta cognoſcenda: ergo perinde compleri & determinari debet, vel per objectum ipſum, vel per ſpeciem illius vicariam: at ob-

jectum ſæpe abeſt ab intellectu angelico : ergo vt cognoſcat iſtud, debet per ſpeciem compleri & determinari. *Liquidò* quippe *tenendum eſt*, inquit Aug. lib. 9. de Trinit cap. vlt. *quòd omnis res, quamcunque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui; ab vtroque enim notitia paritur, cognoſcente & cognito.* Ubi vides cognitionem fœtum eſſe partim objecti, partim potentiæ, ex mente D. Auguſtini : at objectum ſæpe eſt improportionatum ad movendum intellectum, vel quòd corporatum ſit, & potentia ſpiritalis, vel quòd potentiæ non coexiſtat : ergo opus eſt ſpecię, qua tanquam ſemine intellectum fœcundet, & potentem reddat proximè ad cognoſcendum objectum : at

Intellectus angeli, inquies, ſe ipſo eſt ſpecies ad omnia objecta intelligenda. Contrà ſic vrgeo : non ea eſt perfectio intellectus angelici, qui ex ſe ipſo abſque ſpecie ſuperaddita objecta eo ipſo intelligat, quòd intelligibilia ſint; alioquin divini intellectûs infinitatem imitaretur, qui ex ſe ipſo completiſſimus eſt ad omnia objecta intelligenda, dum ex ſe intelligibilia ſint; ea quippe vis eſt divinæ mentis, vt meram duntaxat objecti non-repugnantiam ad intelligendum requirat: vnde poſſibilia perinde intelligit atque exiſtentia, futura æquè ac præſentia, præcisè quòd talia ſint. Ut enim potentiæ divinæ mera non repugnantia ad productionem ſatis eſt, vt ab ea quælibet entia producantur : ita menti divinæ, vtpote infinitæ, ſatis eſt mera non repugnantia objectorum vt intelligi poſſint, ad hoc vt intelligantur à Deo. Contrà verò : ſicut angelus nihil producere poteſt, niſi ex præexiſtente ſubjecto,

ita nihil cognoſcere valet ſine concurſu reali objecti per ſe aut per ſpeciem ſui, vel per aliquod aliud medium, ſive illud cognitum ſit, ſive incognitum.

Hæc ratio probat, nullum poſſe dari intellectum creatum, qui omnia cognoſcat ſine ſpecie, quia infinitas divinæ mentis id peculiare habet ac ſuum, vt cognoſcat omne intelligibile ex eo præcisè, quòd eſt intelligibile: ſi tamen dari poſſet ejuſmodi intellectus creatus, vtique tam futura quàm præterita, ipsáſque cordium cogitationes ſecretas cognoſcere exigeret, quæ ſunt notæ divinitatis.

Probatur 2. Debet reddi ratio, cur angelus perinde ac homo, potiùs cognoſcat objecta præterita, eorúmque recordetur, quàm quæ futura ſunt: cur item actus ſuos præteritos quàm futuros ſciat: non alia ratio commodior afferri poteſt, quàm quæ per actus imprimitur ſpecies, tanquam ſemen cognitionis: ergo verè in angelo dantur ſpecies impreſſæ. Hoc argumentum probat, dari ſpecies in angelis ſaltem eorum objectorum quæ ſemel cognovere. At

Dices: Si angelorum cognitiones relinquunt ſui ſpecies in intellectu angeli tanquam ſemen aliarum cognitionum, cognitiones quas tota æternitate exercebant angeli, parerent ſpecies infinitas; at intellectus angeli non eſt par recipiendis ſpeciebus infinitis: ergo

Reſp. 1. nego ſequelam, tum quia licèt ſpecies relinquant cognitiones quælibet, ſemper numerus actu erit finitus: tum quia multi volunt, vbi capacitas naturalis ſpeciebus repleta eſt, à Deo produci vnam ſpeciem, ſed vniverſaliorem, aliis

particularibus deletis, quæ plures actus præteritos repræſentet: tum quia ſpecies illas, vtpote caducas ac fluxas ipſa deſuetudine perinde ac habitus acquiſitos ſenſim perire cenſent alii, niſi actibus foveantur: vnde fit, vt in infinitum non multiplicentur.

II. Assertio. Probabiliùs ſpecies rerum repræſentativæ angelis à Deo infuſæ ſunt in ortu ab initio creationis. Duæ ſunt partes aſſertionis; prima probat, ſpecies à Deo infundi angelis: ſecunda, ab initio creationis fuiſſe infuſas.

Probatur prima: ſpecies quas angelus impreſſas habet, ab aliquo principio producuntur: ergo vel ab objectis, quarum ſunt ſpecies, vel à ſubſtantia angeli, vel à Deo. Non ab objectis, quarum ſunt ſpecies; nam objecta illa vel ſunt ſpiritalia, vel corporata: ſi corporata, non poſſunt producere ſpecies ſpiritales; ſi enim agens corporatum poſſet connaturaliter producere effectum ſpiritalem, rueret argumentum, quo ſpiritualitas animæ rationalis ex operationibus ſpiritalibus elicitur. Deinde ſi objecta tum ſpiritalia, tum corporea producunt ſpecies in angelis, debent per totum medium eas producere; & ita ſpecies ſpiritales in ſubjecto corporeo recipiuntur, aut ipſa objecta ſpiritalia, cùm diſſita ſunt, agunt in diſtans. Nec dicas, objectum materiale & corporeum elevari ab angelo ad productionem effectûs ſpiritalis; nam objectum materiale deberet in ſe continere illam ſpeciem ſpiritalem ad quam producendam elevaretur, ac proinde poſſet illam ſe ſolo producere. Deinde quæro, quid operetur angelus circa illud objectum, dum elevat?

Non

Non à ſubſtantia aut ab intellectu angeli emanant illæ ſpecies. 1. quia ſi emanarent à ſubſtantia angeli, eſſent determinatæ à natura; natura enim determinata affectiones determinatas exigit: at ſpecies angelis congenitæ non ſunt à propria ipſorum natura determinatæ, quia ſunt ſpecies rerum in vniverſo à Deo productarum; & angelis perinde eſt, quòd has vel illas naturas Deus produxerit. Ut ergo Deus liberè determinavit res à ſe producendas, ita liberè eas ſpecies liberè produxit, quas angelis vellet infuſas. 2. Si fluerent ſpecies ejuſmodi à ſubſtantia angeli, poſſet angelus in ſe producere ſpecies omnium poſſibilium; nullum enim eſt ens poſſibile quod angelus non poſſit intelligere; & ita profunderet ex ſe & in ſe ſpecies non tantùm mundi exiſtentis, ſed etiam alterius poſſibilis.

Dices, produci ab angelis per emanationem tantùm ſpecies mundi exiſtentis, & eorum quæ ipſo continentur, quia cum iis tantùm habent connexionem, non autem cum aliis quæ poſſibiles ſunt. Contrà: non videtur major eſſe connexio Michaëlis, v. g. cum muſca nunc exiſtente, quàm cum alia, quæ nunquam erit; fac enim iſtam exiſtere, vtique Michaël poterit cognoſcere: ergo exigit illius habere ſpeciem: quare ſupereſt, vt ejuſmodi ſpecies à Deo connaturaliter angelo infundantur.

Probatur ſecunda pars, 1. à pari: Primis parentibus infuſæ ſunt ſpecies in ipſo ortu, vt probavi tom. 1. Log. diſp. procem. a. 3. §. 1. ergo potiori jure debuit Deus ipſis angelis ſpecies ab initio creationis infundere. Par enim fuit naturas tam nobiles jam inde ab ortu iis omnibus inſtrui, qui-

bus ad cognoſcendas res naturales proximè fierent idoneæ; præſertim cùm hunc in finem mundum Deus ipſe condiderit, vt ab illis ſimpliciſſimis naturis gloriam colligeret. Præterea cùm angeli pendeant à concurſu objecti, vel ſpeciei illius vicaria in rerum cognitione, non habuiſſent ſpecies niſi rerum quæ tum exiſtebant: at decebat, vt obſervat D. Thomas qu. 55. a. 2. vt ſicut materia corporum cæleſtium formas, cùm primùm creata eſt, cæleſtes è ſinu ſuo profudit, ſublunaris verò ſucceſſu temporis ab agentibus naturalibus excitata ex potentia educit: ita angeli cæleſtes ſpiritus formis intentionalibus in ortu ſuo à Deo donarentur; homo verò ſenſim ab objectis hauriret; hinc rebellium angelorum princeps, Ezech. 28. *Signaculum ſimilitudinis plenus ſapientiâ* dicitur. Concinunt rationi & Scripturæ D. Dionyſius & D. Auguſtinus: ille quidem, dum cap. 4: & 5. de div. nom. docet rationes rerum & exemplaria fuiſſe à divina mente angelis impreſſa; hic verò, dum lib. 2. de Gen. ad litt. c. 8. ait res corporeas priùs creatas fuiſſe in cognitione angelorum, quàm in ſe ipſis.

III. Assertio. Triplex affectio ſpecierum angelis à Deo infuſarum. 1. Ita ſunt vniverſales, vt diverſa objecta repræſentent, vel abſtractivè, ſi non exiſtunt actu, vel intuitivè, ſi extiterint aliquando, aut exiſtant. Quòd multa objecta diſparata vna eadémque ſpecies repræſentet, vel inde conficitur, quòd potentia poſſit ſibi repræſentare diverſa objecta: ergo & ipſa ſpecies; & aliunde ſatius eſt ejuſmodi ſpeciem tribuere angelo, quàm pro multitudine objectorum ſpecies multiplicare; fruſtra enim fit per plu-

ra quod poteſt fieri per pauciora. Quòd res intuitivè repræſentent, ſi extiterint, aut exiſtant; abſtractivè autem, ſi non exiſtant; probatur: quia hæc indoles eſt illarum ſpecierum, vt res in eo ſtatu repræſentent in quo ſunt; exigunt enim concurſum Dei tantùm ſimultaneum, à quo determinentur ad productionem cognitionis intuitivæ, poſitâ rei exiſtentiâ, tanquam conditione.

2. Species illæ immediatè repræſentant ſingularia, non vniverſalia. Probatur 1. quia perfectio naturæ angelicæ id exigebat vt ab initio res ipſas cognoſceret ſecundùm modum realem quo ſunt, aut poſſunt eſſe ex parte rerum: at ſolæ ſpecies quæ res ſingulares immediatè repræſentant, hanc cognitionem parere poſſunt. 2. quia ſpecies quæ immediatè naturas ſingulares repræſentat, perfectior eſt ea quæ rationes communes exhibet; continet enim naturam vniverſalem, & addit aliquid amplius; poteſtque angelus ea ſpecie vti ad præſcindendum, ſi velit objectum inadæquatè cognoſcere, & ad cognitionem vniverſalium aſſurgere.

Porrò licèt ſpecies ſit vniverſalis, non ideo ſemper repræſentat in actu ſecundo illa omnia quæ in actu primo repræſentat; angelus quippe dum per reflexionem virtualem ſpecies ſuas attingit, cognoſcit confusè omnia objecta quorum ſunt repræſentativæ, excitátque pro nutu ſuo ſpeciem ad cognitionem objecti quod vult cognoſcere, quæ cùm ſit virtualis ſimilitudo rerum diſſimilium, poteſt movere ad cognitionem vnius objecti, non movendo ad cognitionem alterius.

3. Species quæ intuitiva eſt reſpectu vnius ob-

jecti, reſpectu alterius poteſt eſſe abſtractiva.

4. His ſpeciebus duplicem vniverſalitatem tribuunt quidam Theologi; vnam in ordine ad plures & plures quidditates exiſtentes; alteram in ordine ad plura & plura individua tam exiſtentia quàm futura, non autem poſſibilia: primam vniverſalitatem tribuunt ſpeciebus angelorum diverſi ordinis; ſecundam, diverſæ tantùm naturæ ſpecificæ.

Quæres 1. an quò angeli perfectiores ſunt, eò ſpecies à Deo vniverſaliores acceperint. Reſp. affirmativè cum D. Thoma q. 55. art. 3. Ratio illius eſt, quia quò propiùs ad Deum accedit quilibet angelus, eò magis debet ejus ſimplicitatem in cognoſcendo imitari: at Deus in vno, nempe in eſſentia ſua, omnia cognoſcit: ergo par eſt angelos nobiliores per ſpeciem vniverſaliorem in repræſentando plura cognoſcere. Et verò ſicut in ordine corporum, inferiora, quia ignobiliora, parum agunt per multas qualitates; ſuperiora verò, vt cæli & ſidera, quia nobiliora ſunt, per vnam qualitatem, putà per lucem, plura agunt in ſubjectis corporibus: ita par eſt in ordine intelligentium naturarum præſtantiores per ſpecies vniverſaliores plura comprehendere. Prævivit D. Thomæ D. Dionyſius cap. 15 de cæl. hierarch. vbi ait angelos ſuperiores dividere inferioribus, quæ ipſi vnica & vniformi intelligentia concipiunt.

Quanta autem ſit amplitudo illarum ſpecierum, certò definiri non poteſt; certum eſt tamen nullam ipſis imprimi à Deo poſſe quæ infinita objecta ſimul & determinatè ſecundùm proprias cujuſque differentias repræſentet, tum quia impli-

eat, dari qualitatem actu infinitam, tum quia eſſentia angeli finita cùm ſit, qualitatem ſibi commenſam exigit. Vtrum autem angeli infinita actu confuſo cognoſcere queant per ſpeciem tum impreſſam, tum expreſſam, quæ naturam vniverſalem præciſam repræſentet, nulla eſt ratio dubitandi. Cùm enim natura ſub præciſione ſit infinita potentiâ & contrahibilis ad ſpecies & individua plura & plura, eadem in conceptu confuſo naturæ aliquatenus continentur.

Quæres 2. quomodo ſpecies impreſſa intellectui angelico eum determinet ad notitiam objecti. Reſp. determinare efficienter, ſeu per modum principii efficientis, quia in eo genere cauſæ debet intellectus angeli determinari in quo eſt incompletus: at eſt incompletus in ratione principii efficientis; ſi enim eſſet completus in ratione principii efficientis ad quæcunque objecta intelligibilia citra concurſum ſpecierum, eſſet infinitæ virtutis & perfectionis, quia virtus quæ ſe exporrigit ad producendos effectus infinitos perfectiores & perfectiores in eſſe intelligibili, eſt infinita: ergo intellectus angeli determinatur à ſpecie impreſſa efficienter.

Hîc adverte, dum ſpeciem vniverſalem in repræſentando angelo ineſſe dixi, de vtraque ſpecie tum impreſſa, tum expreſſa me locutum; nam ſi datur ſpecies expreſſa quæ plura diſtinctè repræſentet, vt patet in viſione corporea quæ diſtinctè exprimit lucem & colorem, quidni potiori jure detur ſpecies expreſſa in intellectu angeli, quæ plura actu diſtinctè repræſentet? Jam verò ſi datur ſpecies expreſſa, quidni etiam detur ſpecies impreſſa, quæ virtualiter ſit repræ-

ſentativa diſtinctè plurium, cùm majus quiddam ſit actu, quàm virtute plura diſtinctè exprimere, & actus ſecundus poſſibilis, cujuſmodi eſt ſpecies expreſſa, ſupponat actum primum poſſibilem ſibi proportionatum, qualis eſt ſpecies impreſſa.

Quæres 3. an ſpecies vniverſalis in repræſentando, plura prorſus diſſimilia & diſparata repræſentet. Reſp. quoſdam Theologos in ea mente eſſe, vt velint per vnicam ſpeciem multa objecta angelis non repræſentari, niſi ſit aliqua vnitas ſaltem ordinis inter illa, alios autem contrà ſentire.

Colliges ex dictis, 1. ex hypotheſi quòd ſpecies angelis in ortu infuſæ ſint, notitiam angelorum non impediri vel minui ex diſtantia objecti, aut ex medii cujuſque interpoſitione, quia earum intellectus ad operandum non pendet ex prævia objectorum impreſſione, ſicut mens humana, quæ pendet à ſenſibus, ſenſus autem ab objectis ſpeciem ſui ex certa tantùm diſtantia immittentibus; hinc facilè intelliges, quomodo Apollonius, quo momento Domitianus Romæ interficiebatur, renuntiare Epheſiis potuerit.

Colliges 2. per vniverſalitatem ſpecierum in repræſentando tolli earumdem infinitatem, reſpectu individuorum, quia vna eademque numero ſpecies poteſt repræſentare multa individua.

## §. II. *De objecto cognitionis angelicæ.*

I. OBSERVATIO. CERTUM eſt ex dictis diſp. 1. a. 3. §. 1. angelum habere pro objecto connaturali intellectus ſui adæquato, omne ens

intra ordinem naturæ contentum. Nam ſi mens humana id omne attingit, licèt non eodem modo, multò magis intellectus angeli, vtpote perfectior nobiliorque, attingere debet. Itaque cùm homo ſe ipſum, ſuperiores item ſubſtantias atque inferiores, futura & præterita ipsáſque cordium cogitationes ſecretas, quamvis imperfectè, cognoſcat, multò hæc omnia ab angelo perfectiùs cognoſci neceſſe eſt; ſed quomodo cognoſcat, hîc potiſſimùm quæritur. Videndum igitur 1. an & quomodo ſe cognoſcat, 2. quomodo attingat objecta ſuperiora & inferiora, ſingularia & materialia, contingentia, ipſa demum cordis ſecreta.

II. Observatio. In angelo eſt ipſa angeli ſubſtantia, intellectus & voluntas, aliáque accidentia; potentia item obedientialis, per quam elevari poteſt à Deo ad quoſdam effectus ſupernaturales. Hîc examinandum, quomodo hæc omnia percipiat.

I. Assertio. Angelus ſuam ſubſtantiam cognoſcit ſine ſpecie impreſſa. Probatur: nulla ſpecie indiget angelus ad ſui ipſius cognitionem: ergo angelus ſe ipſum cognoſcit abſque ſpecie impreſſa. Prob. ant. ſpecies impreſſa ideo requiritur, quia vel objectum intelligibile à cognoſcente diſtans eſt, vel quia facultati intelligendi minimè eſt proportionatum: ad neutrum angelus ſpecie impreſſa indiget. Non ad primum, quia ſuo intellectui conjunctiſſimus eſt: non ad ſecundum, quia nihil eſt magis proportionatum quàm res ipſa ſibi. Et verò cùm res quælibet ſit priùs quod actu eſt, quàm quod potentiâ, inde conſequens eſt, vt ſpiritus ſit ipſe ſibi primum

objectum & menſura ſuæ intellectionis. Æquum enim eſt, vt vis intellectiva adæquetur perfectioni cujuſlibet ſpiritus : ſic Deus ſe comprehendit, quia vis ejus intelligendi infinita eſſentiæ ipſius adæquatur, ſeque primò intelligit : ergo & angelus.

II. Assertio. Ita angelus ſe cognoſcit, vt non poſſit à ſui cognitione ceſſare. Probatur 1. quia angelus ex dictis ſibi præſentiſſimus eſt : ergo primam ad ſe cognoſcendam inclinationem habet, adeóque ſemper conſcius ipſe ſibi eſt tum ſui, tum omnium quæ intra ſe habet. 2. Angelus ſemper cogitat & cognoſcit aliquid ; ſemper autem cogitat, quia ſemper vigilat : ergo à ſui cognitione non ceſſat ; omnis enim cognitio ſpiritalis dicit relationem ad cognoſcentem & reflexionem virtualem ſuprà cogitantem : vnde nihil quidquam cogitat angelus, quin de ſe ipſo cogitet, ſaltem confuſè. Confirmatur : vt corpora viventia ſemper ſunt in actu ſecundo, reſpectu alicujus operationis vitalis, v. g. nutritionis : ita ſubſtantiæ ſpiritales ſemper exercent actu operationem vitalem : at nulla illis videtur eſſe connaturalior operatio quàm ſui ipſarum cognitio. Itaque angeli ſe ipſos ſtatumque ſuum ſemper vident in actu ſecundo, deinde Deum ipſum ; objecta autem alia non ſemper vident in actu ſecundo : ſed cùm eorum ſpecies infuſas habeant inſtar habituum, poſſunt illis ad libitum vti aut non vti.

Inferes ex dictis, angelum non poſſe errare in ſui cognitione ſpeculativa ; novit enim apprimè quid ſit, & quas affectiones naturales habeat, & quidem per ſuam ſubſtantiam, quam

intuitivè pervidet, & quæ talis eſt in intellectu ipſius, qualis eſt in ſe. Id tamen non impedit quominus decipi poſſit in cognitione morali quam de ſe habet; cùm enim defectibilis ſit ex natura ſua, & in peccatum prolabi poſſit, poteſt aliquatenus decipi circa finem cui, quatenus poteſt concludere aliquid ſibi expetendum, quod reipsâ expetendum non eſt.

III. Assertio. Angelus non indiget ſpecie impreſſa ad cognoſcenda accidentia naturalia ſibi intrinſeca, cujuſmodi ſunt proprietates & operationes vitales. Probatur de primis accidentibus; continentur enim in ipſa ſubſtantia angeli, à qua neceſſariò emanant: ergo poteſt ipſa ſubſtantia angeli repræſentare citra concurſum ſpeciei impreſſæ. Deinde peræquè ſunt vnita intellectui angelico per ſuam entitatem atque ſubſtantia ipſius angeli. Probatur de ſecundis, tum quia continentur eminenter in ſubſtantia & facultatibus angeli, tum quia inhærent ipſi angelo; at

Quæres, qualis ſit illa cognitio, quâ angelus accidentia naturalia attingit. Reſpondeo eſſe ſimul intuitivam & comprehenſivam: intuitivam quidem, quia cognoſcit ea vt in ſe ſunt; comprehenſivam verò, quia illius cognitio eſt adæquata cognoſcibilitati objecti: imò & ſupercomprehenſiva dici poteſt, quia tum proprietates, tum operationes vitales cognoſcit in ſua ſubſtantia, earúmque principiis perfectè comprehenſis, in quibus nobiliori modo quàm in ſe ipſis continentur.

Quæres 2. an angelus potentiam ſuam obedientialem cognoſcat. Ut reſpondeam, ſit

Unica Observatio. Duplex potentia in quolibet ente, naturalis & obedientialis. Illa eſt, quâ quodlibet agens naturale efficere aliquid poteſt ſecundùm legem ſuæ naturæ : ſic igni ſua eſt potentia naturalis ad calefaciendum, homini ad ratiocinandum. Hæc eſt, quâ agens creatum Deo obedit quidpiam ſupra communem legem naturæ jubenti : jubere autem poteſt Deus vel vt efficiat quidpiam, vel vt patiatur ; ideóque duplex eſt potentia obedientialis, activa vna, paſſiva altera. His obſervatis,

Reſp. 1. cùm angelus perfectè cognoſcat potentiam ſuam receptivam, quippe quæ ab ejus ſubſtantia non diſtinguatur, vtique perfectè cognoſcit quæ formæ ipſi repugnent, ac proinde in ea recipi non poſſint, hoc eſt effectum formalem ipſi tribuere. Novit item, quas recipere poſſit, & quæ ſibi non repugnent. Ratio in promptu eſt, quia capacitas recipiendæ hujus aut illius formæ eſt ipſa ſubſtantia angeli quam comprehendit : at cùm cognoſcitur vnum correlatum, cognoſcitur & alterum ; ſubjectum autem informabile & forma correlata ſunt ; hinc

Reſp. 2. angelum etiam cognoſcere quid agere poſſit, Deo jubente ſupra ordinem naturæ ; quid non poſſit, ſi Deus ei infundat principium connaturale, quo potentia obedientialis activa compleatur, aut certè vberius ipſi auxilium extrinſecum præbeat. Ratio eſt, quia potentia obedientialis activa nihil aliud eſt quàm potentia activa naturalis in ſuo quidem genere completa, ſed complebilis à Deo in ordine ſupernaturali, vel per vberiorem concurſum extrinſecum, vel connaturaliùs per intrinſecam qualitatem ; non ta-

men perfectè vtramque potentiam comprehendit, quia nec quidditativè, nec comprehenſivè novit entia ſupernaturalia, licèt certò & infallibiliter cognoſcat, quid agere quidve recipere poſſit. Sed vt quæſtio faciliùs ſolvatur, diſtingue duo in myſteriis divinis & miraculis, poſſibilitatem nempe & exiſtentiam eorumdem; & dicito, angelum noſſe viribus naturæ poſſibilitatem myſteriorum gratiæ & miraculorum, quæ à Deo fieri vel in ipſo, vel per ipſum poſſunt: vnde judicare poteſt, poſſe ſe à Deo aſſumi ad vnionem hypoſtaticam, & elevabilem ad ſtatum tum gratiæ, tum gloriæ; exiſtentiam autem eorumdem myſteriorum gratiæ & miraculorum ſola revelatione ipſi certò innoteſcere.

Hactenus de cognitione angeli circa ſe ipſum egimus; jam de cognitione, quâ circa objecta ſuperiora verſatur, agendum Porrò ſuperant vnum angelum, 1. Deus, 2. alii angeli, 3. entia ſupernaturalia.

## §. III. *Quomodo angelus Deum cognoſcat cognitione naturali.*

I. ASSERTIO. ANGELUS poteſt ex ſe ipſo aliiſque rebus creatis, tanquam ex medio cognito, Deum naturaliter cognoſcere. Probatur 1 homo ex D. Paulo ad Rom 1. inviſibilia Dei conſpicere poteſt, per ea quæ facta ſunt: ergo multò magis angelus, qui homine haud pauló perſpicacior eſt. Probatur 2. quia angelus ſtatim ab initio ſuæ creationis potuit naturaliter cognoſcere ſe perinde ac reliquos effectus creatos non eſſe à ſe, ſed ex nihilo ſui à ſuperiori

ente productos, adeóque à Deo eſſentialiter cùm in prima productione, tum in ſui conſervatione pendere. Deinde ex ipſa limitatione & finitudine cujuſque entis creati, quod Dei partem tantùm capit & quidem exiguam, pronum ipſi fuit ad cognitionem aſſurgere. Quidquòd Deus potuit ipſi per impreſſionem luminis ſui extantiam manifeſtare. Et verò ſe omnibus vt finem ſupernaturalem, ad quem tendere tenerentur, propoſuit.

Confirmatur aſſertio: angelus, licèt non ſit effectus divinæ potentiæ adæquatus, tamen eſt effectus Dei præſtantiſſimus, imago divinarum perfectionum: at effectus & imago indicat cauſam tum efficientem, tum exemplarem, à qua neceſſariò & ex principiis intrinſecis pendet.

Dixi tanquam ex medio cognito. Duplex quippe medium eſt, per quod in cognitionem alterius aſſurgimus: aliud incognitum, cujuſmodi ſunt ſpecies impreſſæ; aliud cognitum, nempe objectum directè cognitum, ex quo indirectè in cognitionem alterius deducimur, cujuſmodi ſunt creaturæ, reſpectu Dei.

II. Assertio. Cognitio quam angelus habet de Deo ex ſe aliiſque effectibus creatis, non eſt quidditativa & propria, ſed abſtractiva tantùm & quaſi aliena.

Probatur prima pars: angelus non-poteſt Deum cognoſcere quidditativè, quin cognoſcat intuitivè, quia cognitio quæ attingit quidditatem Dei, ejuſdem exiſtentiam attingit; nam exiſtentia Dei eſt de conceptu ipſius eſſentiali: cognitio autem quæ exiſtentiam rei attingit, intuitiva eſt: at angelus non poteſt viribus naturæ Deum intuitivè cognoſcere, quia non poteſt eſſe naturaliter

beatus & impeccabilis, vt definitum eſt in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. vt refertur in Clementina *Ad noſtrum. de hæreticis.* vbi damnatur vt hæretica hæc propoſitio Beguardorum, *Quòd intellectualis natura eſt naturaliter beata in ſe ipſa.* At eſſet naturaliter beatus & impeccabilis, ſi Deum intuitivè videret, quia viſio Dei intuitiva eſt beatifica ex ſe, ipſáque beatitudo importat neceſſariò rectitudinem voluntatis & impeccabilitatem; & aliunde nulla creatura eſt naturaliter impeccabilis, quia eſſentialiter eſt ex non ente & defectibilis: ergo angelus non poteſt Deum ex ſe aliiſque rebus creatis quidditativè cognoſcere; hinc Deus nullam ſui ſpeciem propriam angelo in ortu infudit; aliàs vidiſſet Deum, vt in ſe eſt, quia facit propria ſpecies, vt objectum tale ſit intentionaliter in mente, quale eſt in ſe realiter.

Probatur ſecunda pars: dum angelus ſe comprehendit, cognoſcit tranſſcendentalem reſpectum, quem habet ad Deum, vt effectus creatus ad primam cauſam, & imago ad exemplar: ergo & terminum illius reſpectus cognoſcit, nempe Deum, & quidem vna eademque cognitione, quia connexa vt connexa, relatio & terminus eodem actu percipiuntur; hinc cùm angelus ſe ipſum ſemper comprehendat, Deum quoque ſemper cognoſcit, ſemper de eo cogitat. Porrò cognitio quam habet angelus de Deo per ſuam ſubſtantiam & per alias creaturas, interdum diſcurſiva eſt formaliter, cùm ex antegreſſis cognitionibus alias infert; interdum virtualiter eſt diſcurſiva, cùm infert Deum ex creaturis vnico actu ſimplici, multis realiter diſtinctis actibus

æquivalente; interdum per modum ſimplicis apprehenſionis, quâ Deum tanquam prototypum in ſe vt in imagine cognoſcit, vel certè relationem apprehendit vt talem, ſeu connexa vt talia. Ita Pater Martinon.

Tria ex dictis inferuntur. Primum, Theologia angelorum naturalis partim intelligentia, partim diſcurſu continetur. Secundum, cognitio quâ Deum, ſe & alias creaturas attingit, vno reſpectu eſt intuitiva, & altero abſtractiva. Tertium, angelus ex perfectioribus creaturis Deum perfectiùs cognoſcit, quia magis Deum participant; hinc ſuperior angelus Deum perfectiùs cognoſcit ex ſe ipſo, quàm inferior; perfectior enim effectus perfectionem cauſæ majorem arguit.

## §. IV. *Quomodo angelus cognoſcat alios angelos.*

I. Observatio. Angelos ſe mutuò cognoſcere probat tum Scripturæ auctoritas, quæ eos ſæpius inter ſe loquentes inducit: tum vinculum ſocietatis, quo inter ſe arctiſſimè junguntur; ſocietas enim eſt quædam vitæ moralis officiorum communicatio.

II. Observatio. Status quæſtionis tantùm eſt de modo quo ſe cognoſcunt, ſive cognitio ſit propria, ſive aliena. Propriam voco, quâ cognoſcitur angelus vt in ſe eſt; alienam, quâ cognoſcitur in ſubſtantia alterius angeli cognoſcentis.

I. Assertio. Angelus vnus poteſt alterum per ſuam ipſiuſmet ſubſtantiam confusè cognoſcere. Probatur: quia angeli communicant inter

ſe gradus communes, ac proinde proportio aliqua inter eos & ſimilitudo intercedit: ergo vnus angelus poteſt ex cognitione propriæ ſuæ ſubſtantiæ in cognitionem alterius confuſam & communem venire.

II. Assertio. Angelus alios cognoſcit intuitivè & quidditativè per ſpecies ſibi impreſſas. Probatur: angelus cognoſcit alios, vt patet ex obſervatione prima: ergo vel cognoſcit per ſubſtantiam angeli cogniti, ſibi per modum principii productivi ſpeciei expreſſæ vnitam, vel per ſuam ipſiuſmet ſubſtantiam, vel per ſpeciem impreſſam, vnde vnde veniat: non cognoſcit per ſubſtantiam angeli cogniti, ſibi per modum principii ſpeciei expreſſæ productivi vnitam, nec per ſuam ipſiuſmet ſubſtantiam: ergo cognoſcit tantùm per ſpeciem impreſſam. Probatur minoris prima pars, tum quia angelus cognoſcens ſic vnitur cognito, vt cognoſcens liberè operetur, atque adeo in ſua poteſtate habeat 1. concurſum cogniti, 2. id per quod immediatè concurrit: at non poteſt habere in ſua poteſtate ſubſtantiam angeli cogniti, quia angelus cognitus illaberetur in angelum cognoſcentem: operaretur enim intimè in angelo cognoſcente: angelus vnus non poteſt illabi in alterum, ex D. Bernardo ſerm. 5. in cant. vbi ait ſub finem, *nullum creatorum ſpirituum per ſe mentibus noſtris applicari.* & infrà: *Nec ipſi angeli ita ſe alterutrum capiunt.*

Facilis eſt tamen ad hoc argumentum reſponſio; licèt enim angelus in altero intimè operetur, non tamen ideo propriè illabitur, quia illapſus, vt obſervat Suares Granat. eſt tantùm illius ſubſtantiæ, quæ eſt in alia intimè, conti-

nendo ipſam in ſuo eſſe, tanquam habens dominium & poteſtatem in illam: quo ſenſu Deus vnus inter ſpirituales ſubſtantias cæteris illabitur, quia ſolus continet omnes in ſuo eſſe, iiſque ſummè dominatur: at angelus vnus ab alio non pendet in ſuo eſſe.

Probatur ſecunda pars: ſubſtantia angeli cognoſcentis non poteſt habere rationem ſpeciei formalis aut objectivæ, reſpectu angeli cogniti: ergo angelus non poteſt cognoſcere quidditativè alios angelos per ſuam ſubſtantiam. Probatur anteced. 1. Non poteſt habere rationem ſpeciei formalis, quia ſpecies formalis eſt ex natura ſua imago objecti: ergo illud eſſentialiter reſpicit: at ſubſtantia angeli vnius non reſpicit eſſentialiter ſubſtantiam alterius, imò eſt abſoluta & independens ab ipſa. Deinde ſpecies formalis eſt incognita; quilibet autem angelus cognoſcit ſemper ſubſtantiam ſuam. Non poteſt quoque habere rationem ſpeciei objectivæ, quia non poteſt haberi quidditativa rei cognitio, niſi per id in quo illa continetur, & quidem adæquatè ſecundùm omnes perfectiones, vel tanquam in cauſa, vel tanquam in ſimili: ſubſtantia angeli cognoſcentis non poteſt eſſe cauſa ſubſtantiæ angeli cogniti, nec poteſt ipſi eſſe perfectè ſimilis ſecundùm omnes omnino gradus: ergo ſupereſt vt vnus angelus alium cognoſcat per ſpeciem formalem à ſua ſubſtantia diſtinctam ſibique impreſſam, quæ intellectum illius conſtituat proximè potentem producendæ ſpeciei expreſſæ: at

Hîc quæritur à quo ſpecies illa imprimatur, an ab ipſa ſubſtantia angeli cogniti, an à ſolo Deo, an à Deo ſimul & angelo.

III. Assertio. Probabiliùs vnus angelus cognoſcit alium per ſpecies ſibi à Deo ſolo in ortu infuſas. Ita D. Thomas Probatur 1. quia ſic major eſt conſenſus doctrinæ. 2. quia jam confectum eſt, infuſas angelis in ortu rerum omnium naturalium ſpecies: at angeli inter res naturales numerantur. 3. cognitio angelorum mutua ad vitam politicam & mutuam ſocietatem neceſſaria fuit, & quidem ab initio creationis: ergo par fuit ſpecies à Deo ipſis infundi, quæ non tantùm vniverſales naturas, ſed etiam ſingulares ipſis repræſentarent, & ad practicam & vſualem ſingularum perſonarum cognitionem conferrent.

Dices, ejuſmodi ſpecies ab angelo produci poſſe.

Contrà. 1. Si angelus efficit ſui ſpeciem in alio, vel ex neceſſitate, vel ex libertate efficit; non ex neceſſitate, quia debet eſſe dominus ſuæ operationis, præſertim tranſeuntis; non eſſet autem, ſi ex neceſſitate ageret. Non ex libertate, quia poſſet latere alterum angelum, quoties vellet; poſſet enim, cùm luberet, ſpeciem ſui non imprimere. 2. Angelus qui diſtaret ab altero, non poſſet cognoſci ab eo, aut certè actio fieret in diſtans, vel ſpecies ſpiritalis per medium diffunderetur.

Reſpondent ad 1. argumentum, illam actionem, quâ ſui ſpeciem in alterius mente imprimeret, fore neceſſariam & naturalem, quia procedit ab angelo, quatenus eſt intelligibilis. Ad probationem diſtinguunt: actio realis ad extra eſt angelo libera, ſi realis ſit, concedunt; ſi intentionalis, negant: at productio illius ſpeciei eſt actio in-

tentionalis, ac proinde neceſſaria, quia oritur ab angelo, quatenus gloriæ Dei inſeruit, quo ſenſu non habet dominium in alienam ſui cognitionem, quia debet ad finem propter quem factus eſt, neceſſariò conferre. Et verò, inquiunt, quidni angeli ſe perinde poſſint intentionaliter multiplicare, atque alia entia inferiora, & incorpoream ſui ſpeciem, cùm incorporei ſint, perinde producere, atque res corporatæ ſui ſpeciem producunt. Porrò ſi ſui ſpeciem neceſſariò imprimat vnus angelus, non poteſt latere alterum angelum, etſi velit, modò ita coexiſtant duo angeli, vt vnus agat, & alter patiatur. Ratio eſt, quia illa ſpecies procedit ab entitate angeli, quatenus vera & intelligibilis eſt, quæ tranſcendit rationem intelligentis & liberi; hinc vides vtramque ſententiam non carere ſua probabilitate, licèt prior magis conſentiat principiis D. Thomæ.

IV. Assertio. Quilibet angelus quidditativè cognoſcit alterum. Probatur, quia germanam illius ſpeciem à Deo habet impreſſam quæ naturam illius affectioneſque repræſentet. Non tamen inferior ſtrictè comprehendit ſuperiorem, quia non habet cognitionem ejus cognoſcibilitati parem. Comprehenſio autem ſupra cognitionem intuitivam importat penetrationem perfectam cognoſcibilitati objecti adæquatam. Accedit auctoritas D Chryſoſtomi homil. 5. contra Anomæos. *Subſtantia*, inquit, *ſuperiorem ſubſtantiam intelligere nequaquam poteſt, etiamſi parum inter eas interſit.*

## §. V. *Quomodo angelus cognoſcat entia ſupernaturalia.*

I. Observatio. Ens ſupernaturale duplex, aliud in entitate, aliud in modo. Supernaturale in entitate illud eſt, cujus entitas eſt ſupra omnem naturæ exigentiam, adeóque nulli creaturæ debita, vt gratia ſanctificans & lumen gloriæ. Supernaturale in modo, cujus entitas à natura quidem exigitur, ſed modus producendi eſt ſupra illius exigentiam, vt viſio reſtitura cœco, & ſuſcitatio mortui.

II. Observatio. In ente ſupernaturali ſpectari poteſt vel poſſibilitas, vel exiſtentia actualis.

III. Observatio. Cognitio entis ſupernaturalis duplex hîc diſtinguenda: altera certa & evidens, vel evidentia rei in ſe, vel evidentia duntaxat in atteſtante; altera probabilis & per conjecturam. Quæritur hîc, quomodo angelus tum poſſibilitatem, tum exiſtentiam actualem entium ſupernaturalium cognoſcat.

I. Assertio. Angelus non poteſt res in entitate ſupernaturales cognoſcere evidentia rei in ſe, ſive quoad quidditatem poſſibilem, ſive quoad exiſtentiam actualem. Ita D. Thomas qu. 57. a. 5.

Probatur: ſi angelus quidditatem poſſibilem, aut exiſtentiam actualem entium in entitate ſupernaturalium evidenter evidentiâ rei in ſe cognoſceret, vel immediatè in ſe ipſis per propriam ſpeciem, vel mediatè & ex aliquo cognoſceret, quod naturalem cum eo connexionem haberet:

neutro modo angelus cognoſcere poteſt res in entitate ſupernaturales. Non primo, quia non attingit res in entitate ſupernaturales, niſi per ſpeciem ejuſdem ordinis, quæ naturæ ipſius non debetur. Non ſecundo, quia nulla res eſt in entitate naturalis, quæ neceſſariò cum naturali connexa ſit; aliàs enim vel illa deſineret eſſe naturalis, vel iſta ſupernaturalis, quod eſt contra hypotheſim. Confirmatur ex D. Paulo c. 2. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit.* vbi per principes hujus mundi D. Thomas dæmones intelligit.

II. Assertio. Angelus poteſt res multas in modo ſupernaturales cognoſcere evidenter evidentiâ rei in ſe, tum quoad quidditatem poſſibilem, tum quoad exiſtentiam actualem. Patet aſſertionis veritas, angeli enim tam naturaliter cognoſcunt viſum cœco nato reſtitutum, quàm aliorum hominum viſus. Ratio à priori eſt, quòd ejuſmodi quidditas naturalis ſit.

III. Assertio. Angelus poteſt cognoſcere res cùm in entitate, tum in modo ſupernaturales, & quoad poſſibilitatem, & quoad exiſtentiam actualem cognitione probabili & conjecturali, & evidenter evidentia in atteſtante. Patet prima pars; quidni enim ex rebus creatis aſſurgere poſſit ad cognitionem rerum ſupernaturalium? Certè non defuere argumenta probabilia, quibus Chriſti incarnationem agnoverint, vt fatentur Theologi. Probatur ſecunda pars, quia dæmones omnia fidei myſteria hac ratione cognoſcere poſſunt, multique myſterium Incarnationis ita cognoverunt, teſte Tertulliano & Gregorio Nazian-

zeno. Et verò vident multa miracula fieri in confirmationem rei ſupernaturalis, vel poſſibilis, vel exiſtentiæ actualis: ergo poſſunt eam probabiliter cognoſcere: ſic miracula à Chriſto patrata divinitatis illius opinionem dæmoni ingenerabant.

Dices: dæmones non tantùm conjiciebant, Chriſtum eſſe Deum, ſed etiam ſciebant, juxta illud Lucæ cap 4. *Exibant dæmonia clamantia, quia tu es Filius Dei; & increpans non ſinebat loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.*

Reſp dæmones ficté & adulatorié hæc verba vſurpaſſe, vel vt veritatem ex Chriſti ipſius ore elicerent, vel vt illi aliquam elationis & ſuperbiæ occaſionem darent, vt interpretatur Hieronymus in cap. 8. Matth. Deinde illa ſcientia, ſi quæ fuit, conjecturalis & abſtractiva, non evidens & intuitiva fuit, de qua hîc tantùm quæſtio eſt.

Ex dictis multa inferuntur. 1. Si ſubſiſtentia creata eſt modus, angelus abſentiam illius in humanitate Chriſti naturaliter agnovit, quia negatio eodem lumine agnoſcitur, quo illius affirmatio; at non agnovit modum quo in verbo ſubſiſtit, quia eſt ſupernaturalis quoad eſſentiam. 2. Cognovit vnionem quæ per miraculum producta fuit in reſurrectione Chriſti, quia fuit tantùm ſupernaturalis quoad modum. Item & deſitionem panis & vini in Euchariſtia, quia negatio eodem lumine cognoſcitur quo oppoſita illius affirmatio, vt jam dixi. 3. Angelus nec modum quo Chriſtus eſt in ſacramento inſtar ſpiritus, totus nempe in toto & totus in qualibet parte, vtpote ſupernaturalem in entitate & cuilibet cor-

pori indebitum, nec habitus ſupernaturales ſibi inhærentes, nec dæmones caracterem hominis Chriſtiani, aut Sacerdotis damnati intuitivè vident, ſed abſtractivam duntaxat cognitionem habent teſtimonio fidei humanæ partam, ſicut aliorum fidei divinæ ſupernaturalium myſteriorum: quo ſenſu dicuntur ipſi dæmones, Jacob. 2. *credere & contremiſcere.*

Objicies 1. Angelus cognoſcit potentiam obedientialem tum ſuam, tum alterius angeli: ſed illa potentia eſt ſupernaturalis in entitate: ergo angelus cognoſcit aliquod ens in entitate ſupernaturale. 2. Angelus poſſet comprehendere omnipotentiam divinam, quia cognoſceret omnes effectus poſſibiles omnipotentiæ: at Patres pugnant, aliquid eſſe Deo poſſibile, quod ab angelo concipi non poſſit.

Reſp. ad 1. diſt. cognoſcit naturaliter angelus potentiam obedientialem ſubjectivè, & quoad entitatem propriam, concedo: terminativè & quoad effectus diſtinctè cognitos, nego; at potentia obedientialis entitativè ſumpta eſt naturalis, quia eſt ipſa entitas creaturæ vt elevabilis à Deo: terminativè autem ſumpta eſt ſupernaturalis, quia connotat effectus ſupernaturales, ad quos elevari poteſt, & quos angelus diſtinctè non cognoſcit, ſed tantùm confusè, quatenus cognoſcit, multa Deum per creaturam poſſe operari, quæ vires illius nativas ſuperent.

Ad 2. nego ſequelam, & probationem illius diſtinguo; poſſet cognoſcere omnes poſſibiles effectus omnipotentiæ divinæ, diſtributivè, concedo; collectivè, nego: at requiritur ad comprehenſionem omnipotentiæ divinæ, vt intelle-

ctus cognoſcat omnes effectus collectivè, non tantùm hos aut illos.

## §. VI. *Quomodo angeli cognoſcant res inferiores.*

UNICA OBSERVATIO. DUPLEX natura inferior eſt angelo, natura purè corporata, & natura mixta ex corpore & ſpiritu, nempe humana. De vtraque, ſit

I. ASSERTIO. Probabiliùs naturarum omnium inferiorum ſpecies angelus à Deo in ortu ſuo accepit. Ita D. Thomas. Probatur 1. ex analogia cum corporibus: vt enim ſuprema corpora primo inſtanti ſuæ productionis perfecta ex idea divini artificis prodiere, ſuiſque inſtructa facultatibus ad operandum idoneis: ita puri ſpiritus omnibus ad operandum requiſitis inſtructi prodiere; aliàs minùs illis Deus quàm corporibus providiſſet: at operatio ſpirituum naturæ congrua eſt intellectio, ad quam ſpecies objectorum vicariæ requiruntur: ergo debuit quoque angelus rerum ſibi inferiorum ſpecies in ortu à Deo accipere.

Probatur 2. à fine: Deus omnes illos ſpiritus perinde ac res corporatas condidit propter gloriam ſuam, quæ nihil eſt aliud quàm clara cum laude notitia. Amat enim Deus ſe multiplicare, vel in eſſe reali per ſui ſimilis productionem, ideóque ab æterno Verbum ſuum producit, quod eſt gloria ipſius infinita: vel in eſſe intentionali per ſui cognitionem quam naturis intelligentibus ingeneret: at extra ſe non poteſt ſe multiplicare in eſſe reali per productionem ſui ſimi-

lis, quia alium extra ſe Deum producere non poteſt: ergo ſupereſt vt ſe extra ſe multiplicet in eſſe intentionali per notitiam ſui rebus creatis impreſſam, quæ nihil aliud eſt quàm gloria ipſius: ergo debuit Deus ab initio ita mundum condere, vt ſtatim cognoſceretur & laudaretur à naturis intelligentibus, tanquam divinus artifex: ergo & mundum exponere conſpectui naturarum intelligentium; non potuit autem exponere niſi per infuſionem ſpecierum rerum inferiorum, quibus quaſi in ſpeculis operis divini elegantiam cernerent.

Præivit D. Thomæ Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 8. vbi triplicem naturæ corporeæ creationem diſtinguit, primam in mente Dei, ſecundam in mente angelorum, tertiam à parte rei: prima eſt exemplaris & increata; ſecunda, creata intentionalis; tertia, creata realis.

II. Assertio. Angelus per ejuſmodi ſpecies cognoſcunt res inferiores tum intuitivè, tum comprehenſivè. Probatur, quia per propriam ſpeciem cognoſcunt: ergo intuitivè & per ſpeciem cognoſcibilitati earum adæquatam: ergo comprehenſivè; hinc

Cùm ſpecies illæ intuitivæ ſint & comprehenſivæ, ſcientia angelorum ſapientiâ & intelligentia noſtrâ eſt aliquatenus potior; deinde illorum ſcientia eſt eminenter & virtualiter diſcurſiva, quia eſt cognitio vnius veritatis in altera veritate per ſimplicem intuitum. Quatenus eſt cognitio vnius veritatis in altera veritate, æquivalet tertiæ operationi: quatenus per ſimplicem intuitum videt, eminentior eſt diſcurſu formali. 3. Non poteſt errare ſpeculativè circa naturas inferiores, eas enim videt vt in ſe ſunt. §. VIII.

## §. VII. *Quomodo angelus præterita & futura cognoſcat.*

DE rebus præteritis nulla eſt difficultas; cognoſcit enim eas angelus per ſpecies in memoria relictas ex actibus præteritis, quæ non res tantùm, ſed actus ipſos repræſentant: at de futuris paulò major difficultas, quia inter effectus futuros alii pendent à cauſis naturalibus, & dicuntur effectus naturales; alii à voluntate hominis liberè operante, & dicuntur humani; alii à caſu & fortuna, & dicuntur fortuiti.

I. Assertio. Omnes effectus qui pendent à quacunque cauſa naturali, aut à complexione plurium cauſarum naturalium, etiam impedibili, & à brutorum appetitu, poſſunt ab angelis, antequam ſint, certò & infallibiliter abſtractivè cognoſci.

Probatur 1. Quia habent medium ſufficiens in ſingulis cauſis, quarum vim & efficientiam comprehendunt, non tantùm vt ſeorſim, ſed etiam vt in ipſa complexione agere poſſunt: ergo non tantùm effectus futuros ex ſingulis cauſis naturalibus, ſi permittuntur agere ſecundùm vires ſuas, ſed etiam omnium ſimul, dum complexè agunt, certò & infallibiliter cognoſcunt. Confirmatur de effectibus qui à complexione cauſarum oriuntur, quia complexio tota cauſarum naturalium non minùs eſt ad vnum determinata, quàm quælibet per ſe ſumpta: ergo tam neceſſariò & determinatè futurus eſt effectus ex concurſu plurium cauſarum naturalium ſimul agentium: ergo cùm totam naturam corpoream vimque na-

turalium cauſarum omnem perfectè comprehendant, noſſe vtique poſſunt, quæ cauſæ, & quomodo ad eundem effectum ſimul ſint concurſuræ vel impeditur æ, quia poſſunt naturaliter cognoſcere quantùm virtus activa vel motiva cujuſque cauſæ naturalis ad talem vſque diem augenda vel minuenda ſit. Idem dixeris de effectu ab apprehenſione & appetitu brutorum pendente, modò non interveniat cauſa libera dirigens & applicans. Ratio eſt, quia brutæ animantes non minùs ſunt determinatæ ad ſuas operationes vitales, quàm inanimatæ ad ſuas naturales; determinantur enim bruta tum ex influxu cauſarum ſuperiorum, tum ex debita applicatione objectorum à quibus trahuntur: quæ omnia cognoſcit perfectè angelus; hinc

Norunt angeli, quot roſæ vere ſequenti ſint futuræ, quot fruges æſtate, quot tempeſtates in mari. Item poſſunt dæmones prædicere peſtes, morbos hominum, quia pendent à cauſis naturalibus; non tamen certitudine perfecta & mathematica, quia eorum cauſæ excitari vel impediri poſſunt à bonis angelis. 3. Definire periodum vitæ cujuſque bruti, ſi permittantur vivere juxta naturæ ſuæ indolem; non item hominis, quia homo alimentum liberè ſumit, & quidem interdum ſupra exigentiam naturæ, nec vno cibo contentus eſt.

Hîc obſerva, eò certiùs ab angelis cognoſci effectus naturales futuros, quò rariùs à libero arbitrio tum hominis, tum angelorum turbari, aut impediri poſſunt; hinc magis dubia ipſis ſunt ea omnia effecta, quibus frequentiùs liberum arbitrium intervenit. Id tamen certiſſimum ipſis

eſt, ſi nullæ cauſæ liberæ vim & efficientiam cauſarum naturalium impediant, aut complexionem earumdem non interturbent, tales effectus ab iiſdem producendos.

Objicies 1. ex Sapient. 8. cap. Scire monſtra & eventus temporum, antequàm fiant, ſolius eſt Dei. 2. Damnata eſt ſententia à Pariſienſi Academia, quæ docet ſciri ab angelis eventus futuros. 3. Effectus illi ſunt contingentes; pendent enim tum à Dei voluntate, & fere omnes ab angelorum & hominum arbitrio.

Reſp. ad 1. Sapientem ibi loqui de ſapientia creata, quæ probabili tantùm conjectura res futuras cognoſcat.

Ad 2. Pariſienſis Schola agit de futuris à libero hominis arbitrio pendentibus.

Ad 3. Quatenus ejuſmodi effectus pendent à libera tum Dei, tum hominis voluntate, eatenus ad futura contingentia pertinent, ideóque non prævidentur ab angelis futura abſolutè, certitudine omnimoda, ſed tantùm conditionatè, hoc eſt, niſi divina aut humana voluntas impediat; ſciunt tamen plures eſſe cauſas in natura, quarum effectus nec hominum, nec angelorum arbitrio permittantur, niſi perrarò, cujuſmodi ſunt motus ſiderum & conjunctiones, elementorum diſpoſitio, &c.

Inſtabis: Poteſt vna cauſa naturalis ex alterius concurſu impediri. Reſp. eſto; ſed illud impedimentum, cùm ſit effectus naturalis, poteſt certò præſciri ab angelo & vim cujuſque cauſæ & complexionem cauſarum cognoſcente.

II. Assertio. Non omne quod caſuale & fortuitum eſt reſpectu noſtri, eſt caſuale & for-

tuitum reſpectu angeli. Probatur, quia angelus cognoſcit cauſarum naturalium concurſum, qui ſæpe nos latet, adeóque eſt reſpectu noſtri caſualis. Et verò caſuale eſt reſpectu angeli, quod pendet ab aliqua cauſa libera: quare tota quæſtio devolvitur ad præſcientiam ſeu divinationem eventuum humanorum, qui cùm cognoſci poſſint vel per opinionem tantùm, vel per ſcientiam, ſit

III. Assertio. Angeli multò perfectiùs eventus humanos quàm homines divinant. Probatur 1. quia nobis ſagaciores haud paulò ſunt in indagandis & complicandis cauſis: 2. quia perſpicaciùs cauſas penetrant, & pervident propenſionem & inclinationem cauſarum liberarum, cui ſæpius indulgent; hinc eorum cognitio de eventibus humanis, ſi cum humana comparetur, ad ipſam ſe habet, vt ſcientia ad opinionem.

IV. Assertio. Angeli non poſſunt certò ſcire eventus humanos futuros. Probatur 1. ex Iſaiæ c. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus quia dii eſtis vos.* & cap. 46. *Recordamini prioris ſæculi, quoniam ego ſum Deus, & non eſt vltrà Deus, nec eſt ſimilis mei annuncians ab exordio noviſſima, & ab initio quæ nondum facta ſunt, dicens.* Ex quibus locis ſic arguo: Certa prænotio futurorum eſt nota certa divinitatis, teſte ipſo Origene explicante primum Scripturæ locum lib. 6. contra Celſum. *Prædictio*, inquit, *futurorum divini ſermonis* character appellatur: ergo non poteſt naturaliter communicari angelis.

Probatur 2. ratione. Non poſſunt certò cognoſci futura contingentia, niſi vel in cauſis li-

beris præcisè ſumptis, vel in futuris ipſis eventibus : angeli non poſſunt cognoſcere in cauſis liberis præcisè ſumptis, nec in ipſis futuris eventibus : ergo nullo modo poſſunt cognoſcere. Minor probatur. 1. Non in cauſis liberis præcisè ſumptis, quia cauſæ liberæ ſunt omnino indifferentes & indeterminatæ in ſe ipſis. Non in futuris eventibus, quia nondum ſunt, ſed aliquando erunt. Deinde nulla creatura intelligens poteſt cognoſcere objectum aliquod in ſe ipſo præcisè, quia eſt cognoſcibile; hæc quippe cognitio intellectui tantùm divino, vtpote infinito, debetur; vt enim virtute ſuæ omnipotentiæ poteſt Deus vnumquodque producere, eo ſolo quòd eſt de ſe poſſibile & producibile : ita ineffabili intelligentiæ ſuæ vi vnumquodque, eo ſolo quòd eſt de ſe cognoſcibile, poteſt diſtinctè, evidenter & plenè intelligere : at quæ creatura intelligens connaturaliter intelligeret futura, cognoſceret objectum præcisè, quia eſt cognoſcibile : ergo nulla creatura intelligens poteſt cognoſcere connaturaliter eventus humanos in ipſorum futuritione. Probatur minor : Ille intellectus cognoſcit objectum præcisè, quia eſt cognoſcibile, qui cognoſcit futurum in ſe præcisè, quia eſt futurum : at qui cognoſcit futurum connaturaliter, illud cognoſcit præcisè in ſe ipſo, quia futurum eſt : ergo cognoſcit illud præcisè, quia eſt cognoſcibile.

Ex hoc argumento duo ſequuntur. Primum, nulla creatura à Deo produci poteſt, cui cognitio contingentium connaturaliter debita ſit. Secundum, prophetia eſt motivum credibilitatis efficaciſſimè ſuadens veritatem revelationis

divinæ, vtpote nota veræ religionis. Porrò ſi dæmon futura liberè prænoſceret, prophetia vana foret, & inanis nota veræ religionis.

Hoc tamen argumentum Amico non probatur: quia, inquit, licèt futura cognoſcere actu ſemper & invariabiliter, ex parte cognoſcentis, infinitatem & immutabilitatem cognitionis arguat; ea habitu tantùm & variabiliter cognoſcere, tantam perfectionem non arguit. Quare aliam ſtabiliendæ hujus veritatis viam init, & ſic argumentatur: Ea ſola ſpecies eſt connaturalis angelo, quæ naturali virtute è rebus præſentibus erui poteſt: è rebus præſentibus non poteſt naturali virtute erui ſpecies futuri contingentis determinatè repræſentativa: ergo non poteſt ejuſmodi ſpecies eſſe connaturalis angelo. Major patet ex eo quòd ſpecies ea de rebus connaturalis angelo ſit, quam res ipſæ naturaliter producere poſſunt, quia ſpecies ſunt quædam præcognitiones & notæ characteriſticæ rerum à natura ordinatæ ad res ipſas exprimendas in potentia cognoſcente, adeóque connaturaliter requirunt exiſtentiam rerum, vt ab illis producantur. Probatur itaque minor, quia futurum contingens nullum habet de præſenti determinatum eſſe exiſtens, nec in ſe ipſo, cùm nondum exiſtat, nec in cauſis, quia ex ſe indifferentes & ad vtrumlibet indeterminatæ: ergo non poteſt ſpecies determinatè repræſentativa futuri contingentis ex rebus præſentibus erui.

Nec dicas: res futura, ex hypotheſi quòd futura ſit, habet de præſenti determinationem, vi cujus poteſt cognoſci à Deo: ergo etiam ab angelo. Nam diſpar ratio eſt, quòd intellectus creatus rationem cognoſcendi non à ſe, ſed ab ob-

jecto ſumat, vel à Deo vt auctore naturæ; increatus autem habeat à ſe & determinationem objecti, vt puram conditionem requirat. Cùm ergo Deus ſpecies angelis infundat juxta naturalem exigentiam objectorum, tales ſpecies infundit, quales à rebus præſentibus producerentur, ſi eas producere poſſent: at res præſentes ſpecies de futuris tantùm abſtractivas & indeterminatas producerent, quia effectus futuros continent tantùm indeterminatè.

Objicies: Angeli habent inditas à Deo in ortu ſpecies, etiam rerum futurarum: ergo poſſunt eas cognoſcere. Quidni enim ejuſmodi ſpecies radient identidem, & ita res futuras peræquè ac præſentes ipſis exhibeant?

Multiplex eſt reſponſio ad hoc argumentum. Prima negat ſpecies rerum contingentium angelis in ortu infuſas; ſed tum infundi ait, cùm res fiunt. Secunda ait, licèt ſpecies de rebus futuris intellectui angelico inſculptæ ſint, non tamen eſſe completas, niſi cùm res exiſtere incipit, quia exiſtentia rei eſt quædam conditio à qua compleri debent; cauſa enim ſæpe indiget conditione aliqua extrinſeca vt operetur: ſic ignis non comburit, niſi ſubjecto ſit proximus in quod agit: ſic ſpecies viſibiles, licèt per aërem ſpargantur, non tamen movent potentiam, niſi producatur lumen à quo modificentur. Tertia pugnat, licèt illæ ſpecies inſint angelis, non tamen eas movere potentiam, quandiu res futura eſt, Deo illis concurſum ſuum denegante, quia non debetur angelo; non debetur autem, quia non exigit connaturaliter futura cognoſcere.

Inſtabis: Si poſitâ objecti exiſtentiâ, inciperet

angelus futura cognoſcere ; objectum jam exiſtens deberet determinare ſpeciem, in illam agendo : non poteſt dici quid agat objectum in illam ſpeciem : ergo, &c.

Reſp. nego ſeq. & affero inſtantiam : cùm ſpecies incipit movere potentiam viſivam ad præſentiam luminis, nihil vtique agit lumen in objectum, aut in ſpeciem ab objecto productam. Satis ergo eſt, quòd Deus pro exigentia rerum, concurrat cum ſpecie ad cognitionem rei, & ita potentiam compleat.

## §. VIII. *An angeli cognoſcant ſecreta cordis.*

I. OBSERVATIO. Secretum cordis id omne dicitur, quod ad liberam voluntatis electionem pertinet, quodque ſic intus fit, vt nullo ſigno exteriori foras prodeat.

II. OBSERVATIO. Secretum cordis ſumi poteſt vel materialiter, vel formaliter. Tunc ſumitur materialiter, vt eſt ens quoddam vitale talisque actus à potentia vitali elicitus : formaliter verò, quatenus liberè producitur & exiſtit. Hîc de ſecretis cordium formaliter ſumptis agitur ; nam ſecreta materialiter ſumpta ab angelis cognoſci, & quidem certò & evidenter docent Theologi, quia ejuſmodi actuum entitas non excedit vim intellectûs angeli, qui naturaliter ſcit omnes veritates naturales & ſcientificas.

III. OBSERVATIO. Secretum cordis poteſt cognoſci duplici ratione, vel probabiliter tantùm & conjectando, vel certò & evidenter per ſcientiam. Hîc quæritur, an & quomodo ab angelis ſecreta cordis cognoſcantur. Ratio dubitandi

eſt, quòd Scriptura vni Deo tribuere videatur notitiam cogitationum cordis alieni, & aliunde cogitationes & affectus cordis alieni videantur eſſe objecta ab angelis naturaliter intelligibilia, perinde ac potentiæ à quibus producuntur.

I. Assertio. Angeli poſſunt ex ſignis exterioribus ita ſagaciter ſecreta cordis conjicere, vt ſæpe verum dicant. Probatur, quia angeli naturam ſignorum & arcanorum comprehendunt: ergo ex iis ſæpe ſecreta cordis rimari poſſunt: v. g. cùm actus interni liberi ſigno aliquo produntur, vel exteriùs ex motu corporis, mutatione vultûs, aliíſque id genus ſignis, per quæ etiam homines varios animi motus aliorum dignoſcunt: vel interiùs ex iis quæ in phantaſia & ſenſibus internis ob arctiſſimam illorum ſenſuum cum intellectu & voluntate connexionem deprehendunt.

Sed hæc cognitio conjectura eſt duntaxat, quia arcanum voluntatis ſemper ipſis occultum eſt, nec certò dignoſcere queunt, qualiter ipſa ſe habeat erga illa ſigna ſenſibilia, quia nullam ejus actibus liberis inferunt neceſſitatem, liberamque relinquunt, vt ipſis aſſentiatur vel diſſentiat: certior tamen illa conjectura eſt, prout ſigna ſunt magis vnivoca, & cùm actibus voluntatis magis affinia ſunt.

II. Assertio. Angeli non poſſunt viribus naturæ ſecreta cordis alieni formaliter ſumpta certò & infallibiliter cognoſcere. Probatur tum auctoritate Scripturæ, tum ratione.

Auctoritate Scripturæ 2. Paralip. 6. verſ. 30. *Redde vnicuique ſecundùm vias ſuas, quas noſti eum habere in corde ſuo. Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum.* 3. Reg. 8. verſ. 39. *Tu ſc-*

*lus noſti cor omnium filiorum hominum.* Jerem. 17. verſ. 10. *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* Quibus locis, vt vides, Scriptura vni Deo cognitionem ſecretorum cordis tribuere videtur, & aliis naturis intelligentibus ob id maximè denegare, quòd natura cordis humani cuilibet menti creatæ inſcrutabilis ſit. Meritò itaque D. Hieronymus explicans locum Jeremiæ, pronuntiavit: *Hinc diſcimus quòd nullus cogitationum ſecreta cognoſcit, niſi ſolus Deus.* Et in Pſal. 16. verſ. 10. *Diabolus neſcit quid intrinſecùs in anima cogitet homo, niſi per exteriores motus intelligat.* D. Hieronymo conſentit D. Chryſoſt. hom. 24. in S. Joan. *Quæ in corde hominum inſunt, noſſe ſolius eſt Dei, qui ſingillatim corda finxit.* Conſentit & Beda in cap. 9. Matth. circa illud, *Videns Ieſus cogitationes eorum: Oſtendit,* inquit, *ſe Deum, qui ſolus poteſt occulta cordis cognoſcere.* Ergo ex Scriptura & Patribus ſecreta cordis noſſe vnius eſt Dei. De auctoritate tantùm, jam de ratione quæ non vna affertur ab auctoribus; vix tamen vlla eſt quæ rem penitus conficiat.

Prima eſt Vaſquis diſp. 209. c. 10. quam petit ex limitatione naturali intellectus angelici, & ex indole actuum & habituum ac ſpecierum, quæ non habent proportionem cum intellectu alterius angeli, vt Scriptura innuit.

Sed quæro à Vaſque, vnde illa improportio oriatur. Certè ejuſmodi actus ſpecies & habitus habent proportionem cum intellectu angeli, à quo eliciuntur, & cui inſunt: quidni ergo pro-

portionem quoque habeant cum intellectu aliorum angelorum, qui vel ſuperiores ſunt, vel certè æquales. Quidam reſpondent, ex eo præciſè non eſſe proportionem, quòd actus ejuſmodi alieni ſint, reſpectu aliorum angelorum; ſed non video cur alieni perinde ac proprii non poſſint intelligi ab intellectu ejuſdem planè ſpeciei, aut ſuperioris.

Secunda quæ Scoti & Gabrielis eſt, ex negatione concurſus divini, repetit hanc ignorantiam. Quippe permagni intereſt reipublicæ angelorum & hominum, vt affectus animi nemini pateant, niſi eo volente à quo producuntur: ergo Deus qui bono morali & politico vniverſæ reipub. cùm angelorum, tum hominum conſulit, debet concurſum ſuum denegare objecto ad determinandum intellectum alienum, ſicut propter bonum vniverſi phyſici Deus denegat concurſum angelis malis perinde ac bonis ad cælos aliter movendos, aut à motu inhibendos. Ubi vides ex mente Scoti ejuſmodi ſecreta, quantum eſt ex ſe, connaturaliter à quolibet angelo, ſaltem ſuperiori aut æquali intelligenda, niſi Deus concurſum ſuum denegaret ad ſecreti cognitionem neceſſarium.

Tertia ſit. Perfecta libertas voluntatis creatæ exigit, vt habeat dominium in ſuos omnes actus, poſſitque, cùm velit, citra metum elicere: at non poſſet voluntas ea elicere, cùm vellet, citra metum, ſi ab aliis naturis intelligentibus creatis cognoſcerentur, imò ſæpe cogeretur illos elicere, mutare, vel etiam nolens elicere: ergo, &c. Hæc eſt ratio D. Thomæ, quam ducit ex præſtantia & nobilitate libertatis creatæ, quæ

ſoli Deo ſubeſt tanquam primæ cauſæ efficienti & vltimo fini, ipsíque vni ſubjecta eſt, præterea nemini; non eſſet autem, ſi actus ipſius, ſtatim atque elicerentur, aliis paterent; eſt enim quoddam genus ſervitutis, non poſſe ſuos actus elicere, quin ſtatim aliis innoteſcant: hinc ad exigentiam libertatis creatæ, quæ debet eſſe domina ſui actûs liberi, Deus concurſum denegat tum objecto cognoſcibili, tum intellectui alterius angeli.

Ultima ratio hæc ab aliis affertur, quòd ſecreta cordium & arcana animi ſenſa ſint veritates contingentes, quæ certò cognoſci non poſſunt per ſolam intelligentiam terminorum, ſed per aliquem ſenſum. Senſus porrò nomine ſignificari aiunt neceſſariam quandam connexionem cognoſcentis intellectus cum re contingente, eámque duplicem: alteram agentis cum patiente, quam ſenſum activum vocant, ſic Deum res contingentes volunt cognoſcere, quia eas producit; alteram patientis cum agente, quam ſenſum paſſivum appellant: ſic res contingentes cognoſcimus, quia ſenſus noſtri ab ipſis patiuntur; hinc duo inferuntur.

Primum, angelus vnus non cognoſcit ſecreta alterius, aut etiam hominum, niſi vel Deus ipſi per revelationem patefaciat, vel certè auctor ipſius ſecreti operationem ad eum dirigat.

Secundum, non tantùm affectiones voluntatis, ſed etiam cogitationes mentis cum iis connexæ, latent angelos. Probatur 1. ex D. Thom. 1. p. q. 57. a. 4. vbi ait tam cogitationes, prout ſunt in intellectu, quàm affectiones, prout ſunt in voluntate, à Deo ſolo cognoſci. 2. Ex SS. Patribus,

qui eodem plane modo loquuntur de cogitationibus atque de affectionibus. Ratio eſt, quòd perfectum dominium in actus liberos exigat, vt ſint occulti tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circunſtantias & proxima principia, ex quorum notitia deduci quis facilè poſſet in notitiam actus liberi: at cogitationes intellectus quæ affectionibus voluntatis prælucent, practicæ cùm ſint, proxima ſunt principia actuum liberorum, à quibus voluntas movetur ad electionem. At

Quæres, an actus indeliberati voluntatis noſtræ ab angelis cognoſcantur intuitivè. Reſpondet Albertinus naturaliter cognoſci, quia fiunt à voluntate ad vnum determinata, & ita continentur intra ordinem actuum naturalium per ſpecies naturales repræſentabilium. Alii verò negant hoc nixi fundamento, quòd idem actus invariatus quoad intrinſeca, accedente rationis advertentia, fiat formaliter liber, adeóque angelo conſpicuus eſſe non debeat: repugnat autem quòd idem actus invariatus quoad entitatem, modò ſit repræſentabilis per ſpeciem naturalem, modò non.

Tertium, non modò liberæ cogitationes & volitiones, ſed etiam ſpecies & habitus ab illis relicti tanquam ſemina in potentiis latent angelos; aliàs poſſent per ejuſmodi ſpecies & habitus venire in cognitionem præteritarum cogitationum & volitionum liberarum alterius angeli. Quin etiam cognitio intellectus, quæ conſequitur imperium voluntatis, perinde angelos latere debet atque ipſa cogitatio, quæ eſt principium proximum actus liberi, quia cognitio illa imperata poteſt eſſe principium actus liberi: v. g.

conſilium quod imperatur ab intentione, eſt principium inchoans electionem ; & aliunde idem actus qui cognoſcitur vt effectus in ſe, non poteſt ab angelo ignorari vt cauſa, quia vt effectus, non diſtinguitur à ſe ipſo vt cauſa. Ita Amicus.

Objicies 1. Angeli habent ſpecies omnium cogitationum & affectionum ab initio creationis ſuæ à Deo ſibi inditas : ergo dum exiſtunt, poſſunt naturaliter cognoſcere. 2. Dæmones ſæpe cognoſcunt cogitationes & affectiones internas quas in corporibus obſeſſis enuntiant, etiam reluctantibus energumenis. 3. Actus ſecreti non ſunt improportionati cum intellectu angelico.

Reſp. ad 1. negari antecedens à multis Theologis qui pugnant ſpecies ejuſmodi cogitationum & affectionum à Deo tantùm infundi, cùm ad eos diriguntur : quæ ſententia multum probabilitatis habet. Eſto, inquiunt, Deus angelis in ortu ſpecies rerum naturalium & neceſſariarum infuderit : at contingentium ſpecies non indidit, præſertim earum quibus arcana animi ſenſa continentur. 2. Tranſeat ant. nego conſeq. Quamvis enim ſpecies illas habeant ſibi inditas, illis vti non poſſunt, niſi accedente conſenſu hominis illius, cujus partus ſunt, tanquam conditione requiſita : quia ſuavis divinæ providentiæ ratio id exigit, vt quælibet creatura rationis compos, plenum & abſolutum habeat affectionum ſuarum dominium ; hinc ſpecies arcanorum animi repræſentativæ tandiu manent incompletæ, quandiu non accedit conſenſus illius hominis aut angeli, cujus ſunt ſecreta, & complentur per concurſum Dei extrinſecum, tum cùm dirigi incipiunt.

Reſp. ad 2. enuntiari à dæmonibus illas cogi-

tationes & affectus, quatenus noſcuntur ab illis in aliquo ſigno ſenſibili vel externo, vel interno, vt jam explicui.

Reſp. ad 3. Licèt entitas ſecreti præcisè, vt eſt cogitatio vel affectus, non ſit altioris ordinis & improportionata intellectui angelico; tamen vt eſt libera & principium actus liberi, eſt improportionata.

Inſtabis: Uſus illarum ſpecierum exigitur ab angelo, cui inſunt: ergo poteſt illis vti, ſi velit.

Reſp. diſt. ant. poſito conſenſu alterius, concedo; independenter à conſenſu, nego: ſic ſpecies completa effectus futuri non debetur angelo, niſi poſitâ exiſtentiâ rei futuræ.

## §. IX. *De perfectione cognitionis angelicæ.*

DE objecto cognitionis angelicæ hactenus diſſeruimus; jam de modo ipſius & perfectione diſſerendum, quærendumque 1. an cogitatio angeli diſtinguatur à ſubſtantia angeli; 2. an perpetua ſit, & nunquam ceſſet; 3. an ſimplex & intuitiva, an verò diſcurſiva; 4. an ſit objecti ſui comprehenſiva.

I. ASSERTIO. Angelus non poteſt eſſe ſua intellectio. Probatur duplici ratione. Prima ſit: ejus eſt tantùm ſubſtantiæ eſſe ſuum actum, cujus actus, vtpote infinitæ perfectionis, poteſt æquivalere omni actui: Deus ſolus talis eſt, vt poſtea oſtendemus, quia ſolus eſt ens ſimpliciter à ſe & illimitatum: angelus autem finitæ & limitatæ perfectionis, quia eſt ens eſſentialiter ab

alio, adeóque finitum : ergo, &c.

Secunda : ſi angelus eſſet ſua operatio, eſſet impeccabilis naturaliter ; eſſet autem, quia non poſſet deficere à regula rectæ rationis ; eſſet enim ſua cognitio & ſua volitio, & ita volitio identificaretur cum ſua cognitione, quæ regula eſt ipſius volitionis : ergo non poſſet deficere à regula ſua : atqui angelus non poteſt eſſe naturaliter impeccabilis : ergo nec eſſe ſua cognitio.

II. Assertio. Angelus non poteſt ceſſare ab omni cognitione collectivè ſumpta, licèt poſſit à multis diſtributivè ceſſare.

Probatur prima pars : ſi angelus poſſet ceſſare ab omni cogitatione collectivè ſumpta, vel neceſſariò id faceret, vel liberè : non neceſſariò, quia nulla eſt cauſa naturalis quæ angelo ſpecies omnes & omnia objecta ſubtrahere valeat. Non liberè, quia vt angelus ſuſpendat actum liberè, debet id velle ; non poteſt id velle ſine actu intellectus prævio ; nam ſi velit ſuſpendere, cogitabit.

Secunda pars patet. Angelus enim non minùs liber eſt, quàm nos liberi ſumus : at experimur nullam eſſe cogitationem quam in aliam mutare non poſſimus. Excipe cogitationem ſui, cui jugiter incumbit ſive directè, ſive reflexè. At

Quæres 1. quomodo ſe angelus ad primam cognitionem determinet. Reſp. non à ſe liberè, ſed vel à Deo, vel ab objecto determinari, & quidem neceſſariò, quia libertas ſupponit cognitionem. Poteſt tamen ſe liberè applicare ad novam cognitionem cum prima connexam : v. g. cogitando naturam humanam, poteſt ſe facilè determinare ad cognitionem cujuſque individui natu-

ræ humanæ. Item ſi priùs ſe ipſum cognoſcat & aliquas ſuas ſpecies, facilè ſe determinabit ad cognitionem objecti, quarum ſunt imagines.

Quæres 2. an angelus ſemper actu cogitet de iis omnibus quæ poteſt naturaliter cognoſcere. Reſp. non ſemper actu cogitare, quia angeli non ſunt minùs liberi quàm nos ipſi ſimus: at experientia patet nos, ſi velimus, poſſe non cognoſcere, quidquid ſimul poſſumus, imò & ſæpius paucioribus attendere: ergo angeli poſſunt ex prærogativa ſuæ libertatis mentem ab hoc vel illo objecto, quod ſimul attingere poſſent, avocare.

III. Assertio. Angelus circa ea quæ evidenter cognoſcit, non diſcurrit: circa ea quæ inevidenter cognoſcit, diſcurrit.

Probatur prima pars: Dum angelus objectum evidenter & intuitivè cognoſcit, vnico actu penetrat quidquid eſt in objecto, & quidem ſimplici intuitu, & ad eum modum quo nos, principia per ſe nota, ſine illatione pervidet: ergo circa ea quæ evidenter cognoſcit, non diſcurrit.

Probatur ſecunda: Componere & diſcurrere, eſt formare plures apprehenſiones quæ ſint materia proxima judicii, deinde eas inter ſe componere per verbum *eſt*. Denique ex primis judiciis ſecunda inferre, ſeu ex nota veritate ignotam concludere. Angeli circa res inevidentes, putà circa res naturales, futura contingentia & ſecreta cordium formant plures apprehenſiones quas deinde connectunt, & à notis ad ignota denique progrediuntur. Sic dæmones ex miraculis quæ Chriſtus patrabat, attentè & diligenter perpenſis, conjiciebant eum eſſe Filium Dei, & per il-

lationem concludebant. Sic ex ſitu poſituque ſiderum, qui erit anno proximo, & temperie hujus cæli inferre poſſunt morbum hunc aut illum futurum. Arcana item animi quandiu ad eos nec dirigimus, nec ſigno aliquo exteriori prodimus, ex variis antecedentibus & conſequentibus diſcurrendo naturaliter inferunt & conjectant.

Obſervat tamen D. Thomas angelos dici potiùs intelligentias, quàm diſcurſivos & rationales, quia plura cognoſcunt per modum intellectus, ſive habitus principiorum, adeóque rariùs diſcurrunt, & circa pauciora quàm homines; cùm enim perſpicaciſſima ſint mente, vident ſimplici intuitu in cauſis effectus naturales, in eſſentiis proprietates & accidentia cum iiſdem connexa, quæ nonniſi per illationem ex illis eruimus.

Colliges ex dictis 1. poſſe angelos judicare formaliter circa ea quæ ipſis ignota ſunt, adeóque componere & dividere; nam in iis quæ confusè tantùm cognoſcunt, quidni perinde ac nos ipſi, compoſitione & diviſione vtantur, quâ res confusè apprehenſas inter ſe comparent. In iis autem quæ ipſis evidenter ſunt nota, non judicant formaliter, ſed in ſubjecto cognoſcunt omne attributum, quod affirmari de eodem vel negari poteſt, ſicut in antecedente conſequens cognoſcunt.

Colliges 2. poſſe errare tum circa res ſupernaturales, tum circa res naturales, quas confusè tantùm cognoſcunt, aut in ſigno incerto & obſcuro. Patet de ſupernaturalibus, quia, vt ait D. Thomas, quidditas rei non poteſt eos deducere in cognitionem eorum quæ ſunt ſupra naturam,

& à Deo ſupernaturaliter ordinante pendent. Patet etiam de aliis, quia non habent medium certum in quo futura contingentia & ſecreta cordium videant. Denique cùm non comprehendant omnipotentiam divinam, poſſunt judicare quædam poſſibilia, quæ non ſunt poſſibilia, & viciſſim quædam impoſſibilia, quæ ſunt verè poſſibilia. Porrò obſervat D. Thomas, bonos angelos vix errare in ejuſmodi rebus, quia vel non judicant de rebus obſcuris & incertis, vel certè intra probabilitatem & veriſimilitudinem ſe continent: ſecus malis angelis accidit qui vel malitia ſua vel temeritate in errores incidunt ſanè graves; hinc inter angelum cuſtodem Perſarum & angelum cuſtodem Judæorum non tam fuit contrarietas judiciorum, quàm diverſitas affectuum: vno quidem liberationem populi Judaici in gratiam ipſius appetente; altero autem diuturniorem illius in Perſido moram cupiente, quòd ex Judæorum ſocietate Perſas non leves in veri Dei cognitione progreſſus facturos ſperaret.

IV. Assertio. Angelus cognoſcit res omnes ordinis naturalis quidditativè; angelos inferiores & omnia materialia comprehenſivè; ſuperiores angelos quidditativè, non comprehenſivè.

Probatur prima pars: Angelus ea omnia quidditativè cognoſcit, quorum ſpecies habet à Deo infuſas: angelus habet rerum omnium ordinis naturalis ſpecies à Deo infuſas: ergo eas cognoſcit quidditativè.

Probatur ſecunda: Cognoſcere comprehenſivè eſt cognoſcere omnia, quantùm cognoſcibilia.

ſunt tum intenſivè, tum extenſivè : angelus cognoſcit angelos inferiores & omnia materialia, quantùm cognoſcibilia ſunt tum intenſivè, tum extenſivè : ergo cognoſcit comprehenſivè.

Probatur tertia : Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem, quantùm eſt cognoſcibilis, quia non poteſt producere cognitionem tam perfectam, quàm poteſt ſuperior : ergo angelus inferior non comprehendit ſuperiorem.

Quæres, an angelus poſſit cognoſcere multa vt multa vno aut pluribus actibus.

Reſp. 1. poſſe vno eodemque actu plura objecta cognoſcere, quæ vnionem aliquam habent in ratione intelligibili, v. g. in vna ſpecie impreſſa, vel in habitudine ad vnum quid, vel in ratione communi objectiva. In hoc conveniunt omnes, cùm & ipſi homines, quibus ipſa vis intelligendi multò imbecillior eſt, id ipſum præſtent. Reſp. 2. etiam multa vt multa, quæ ſunt tantùm vnum quid vnitate collectionis, quatenus cadunt ſub eandem potentiam & ſub eundem actum, ab angelis cognoſci poſſe. Quia poteſt angelus ſimul diſtincta vt diſtincta intelligere, cùm & nos id ipſum poſſimus : v. g. cùm plures colores diverſiſſimos ſimul intuemur, & quidem vnumquemque ſecundùm propriam differentiam & oppoſitionem cum alio. Jam quòd vno actu id fiat, ratio in promptu eſt, quia id nobis accidit, cùm comparamus vnum cum altero, v. g. ſimile aut diſſimile, æquale aut inæquale; actus enim ejuſmodi comparativus vnus eſt, non multiplex. Quòd autem poſſit per plures actus etiam ſimul cognoſcere, patet, tum quia homines poſſunt pluribus actibus multa ſimul vt multa cognoſcere : ergo potiori

jure angeli, quorum vis intelligendi amplior eſt: tum quia non exhauritur vis intelligendi per primum actum circa objectum quod primò occurrit: ergo aliis objectis occurrentibus, poteſt angelus, manente actu ſuperiore, alium circa nova objecta elicere; ſed dum plura ſic cogitat angelus, minùs attendit ad ſingula, quia virtus mentis pluribus intenta, minuitur ob potentiæ finitudinem. Nec refert quòd intellectus angeli non perinde fatigetur ac intellectus humanus, quia cùm vna eademque virtus plures ſimul actiones exercet, diſpergitur, paulatimque deficit & exhauritur.

Dices: Unius motus neceſſariò eſt vnicus terminus, & vnius corporis vnica figura: ergo vnius cognitionis vnum eſt objectum. Ad 1. reſp. vnius motus poſſe eſſe plures terminos inadæquatos. Ad 2. diſpar ratio eſt, quòd plures figuræ ſe mutuò excludant, non item cogitationes aut objecta in eſſe intentionali.

Quæres 2. quid intelligi debeat per cognitionem matutinam & veſpertinam, quam Theologi poſt D. Auguſtinum angelis circa Deum tribuunt.

Reſp. per cognitionem matutinam intelligi à D. Thoma q. 58. a. 6 in corp. cognitionem creaturarum in Deo ſive in Verbo; per veſpertinam autem, cognitionem earumdem in ſe ipſis. *Sicut*, inquit, *in die conſueto mane eſt principium diei, veſpere autem terminus: ita cognitio ipſius primordialis eſſe rerum dicitur cognitio matutina; & hac eſt ſecundùm quod res ſunt in Verbo. Cognitio autem ipſius eſſe rei creata ſecundùm quod in propria natura conſiſtit, dicitur cognitio veſpertina; nam eſſe rerum fluit à Verbo ſicut à quodam primordiali prin-*

*cipio : & hic effluxus terminatur ad eſſe rerum quod in propria natura habent.* Alii cognitionem matutinam interpretantur cognitionem ipſius Dei, qui eſt principium & veluti mane creaturarum, eámque faciunt duplicem; alteram claram & quidditativam, alteram confuſam & imperfectam: veſpertinam autem cognitionem ipſarum creaturarum ſecundùm proprias earum rationes, quæ etiam duplex eſt; altera in Verbo, in quo exhibentur ad vivum, altera in ſe ipſis. Sed hæc ad Theologos remittimus.

## ARTICULUS II.

### *De volitione angeli.*

VOLITIO angeli hîc à nobis tantùm examinabitur, vt eſt dilectio vel ſui ipſius, vel Dei, vel alterius angeli: quæ tria tribus quoque paragraphis explicabimus.

### §. I. *Quomodo angelus ſe diligat dilectione naturali.*

I. OBSERVATIO. DILECTIO poteſt dici triplici modo naturalis, vel quia viribus naturæ exercetur, vel quia eſt ex propenſione amantis, vel quia neceſſariò elicitur: primo ſenſu opponitur ſupernaturali: ſecundo, contranaturali ſeu violento: tertio, libero. Et quoniam dilectio poteſt eſſe neceſſaria, vel quoad ſpecificationem tantùm, cùm non poteſt niſi talis ſpecies exerceri, licèt exercitium liberum ſit: vel quoad exercitium, cùm actus non poteſt non exerceri;

hinc duplex neceſſitas, altera ſpecificationis, altera exercitii.

II. Observatio. Duplex dilectio, altera concupiſcentiæ, altera benevolentiæ. Ratio partitionis eſt, quòd amor angeli reſpiciat vel bonum quod amatur, vel perſonam cui bonum illud amatur: amor angeli ſub priori reſpectu dicitur amor concupiſcentiæ: ſecundo verò, amor amicitiæ ſeu benevolentiæ.

I. Assertio. Datur in angelo dilectio tum naturalis, tum libera. Probatur, quia quædam angelus amat neceſſariò, quædam liberè; amat enim neceſſariò finem ſuum & beatitudinem, & media quæ ad hunc finem conducunt, amat liberè. Confirmatur pars prima à D. Thoma qu. 60. art. 1. in corp. *Eſt*, inquit, *hoc commune omni naturæ, vt habeat aliquam inclinationem, quæ eſt appetitus naturalis vel amor. Quæ tamen inclinatio diverſimodè invenitur in diverſis naturis, in vnaquaque ſecundùm modum ejus. Vnde in natura intellectuali invenitur inclinatio naturalis ſecundùm voluntatem: in natura autem ſenſitiva ſecundùm appetitum ſenſitivum: in natura verò carente cognitione ſecundùm ſolum ordinem naturæ in aliquid. Vnde cùm angelus ſit natura intellectualis, oportet quòd in voluntate ejus ſit naturalis dilectio.*

Porrò D. Thomas ait art. 2. amorem finis in angelo ſe habere ad amorem mediorum, quomodo ſe habet cognitio principiorum ad concluſiones, & ſicut intellectus cognoſcit principia naturaliter, quæ cognitio parit deinde ſcientiam per inventionem & doctrinam: ita voluntas naturaliter amat finem ſuum, & hic amor natu-

ralis imperat amorem liberum, ſeu amorem mediorum qui eſt amor electivus, & qui fertur in media, prout ordinantur ad finem.

II. Assertio. Angelus amat ſe amore naturali, tum amore concupiſcentiæ, tum amore benevolentiæ. Probatur: amare ſe amore concupiſcentiæ eſt ferri in bonum quod perſonæ volumus, ſive intrinſecum ſit, ſive extrinſecum: amare amore benevolentiæ eſt ferri in perſonam, cui bonum aliquod propter ipſam expetimus. Angelus ſe hoc vtroque amore amat: apparet enim ipſi multiplex ratio boni vtroque modo cognoſcibilis juxtà & amabilis: ergo angelus amat ſe amore naturali concupiſcentiæ & benevolentiæ.

III. Assertio. Amor quo ſe amat angelus, partim neceſſarius eſt, partim liber. Patet prima pars; cùm enim omne ens ſit immediatè propter ſuam perfectionem, nullum datur ens quod ad proprium eſſe amore neceſſario & naturali non inclinet: ergo angelus ad ſuum eſſe ſuamque perfectionem amore neceſſario & naturali fertur. Patet ſecunda, quia angelus amat ſibi multa bona extrinſeca & contingentia: ergo amat liberè.

Diſputant hîc Theologi, an amor naturalis, quo ſe angelus amat neceſſariò, ſit neceſſarius quoad exercitium. Suares Gran. cenſet ſatis eſſe, ſi angelus ſit in aliquo actu amoris, non quidem determinato, ſed vago: quia cùm quilibet actus particularis ſit de objecto finito, poteſt exerceri liberè ab angelo. Amicus contrà pugnat eſſe neceſſariò in actu certo & determinato amoris erga ſe, quia vt actu elicito continuò cognoſcit ſuum eſſe ſuámque perfectionem, ita actu conti-

nuo diligit ſuum eſſe ſuámque perfectionem; præſertim ſi actus ille non impediat majus bonum ſuppoſiti: at tantùm abeſt, vt actus amoris naturalis impediat alium actum circa bonum contingens, vt potiùs prærequiratur ad actum liberum, quia amor finis prærequiritur ad amorem mediorum.

Objicies: Si angelus ſe ipſum ſemper naturaliter diligeret, ſemper etiam naturaliter diligeret Deum, & quidem neceſſariò: quia non poteſt diligere proprium eſſe, quin ſimul diligat principium conſervativum ſui eſſe: angelus non ſemper diligit Deum, quia dæmones eum ſummè oderunt.

Reſp. diſt. majorem: ſemper diligeret Deum amore concupiſcentiæ, concedo; amore amicitiæ, nego: amat quidem ſemper Deum amore concupiſcentiæ, quia eum amat vt principium proprii eſſe; non amat tamen eum ſemper amore amicitiæ, quia non ſemper eum amat propter ſe ſuaſque perfectiones. Hinc dæmones amant Deum amore naturali & neceſſario, qui dicitur amor concupiſcentiæ, vt auctorem ſui eſſe & conſervatorem; & ſimul oderunt odio inimicitiæ, quia nollent ipſum eſſe omnipotentem, juſtum & vindicem ſcelerum ſuorum. Et ita amor concupiſcentiæ quo feruntur, natura duce, in Deum vt auctorem ſui eſſe, eſt bonus & rectus naturaliter.


Digitized by Google

## §. II. *Quomodo angelus diligat alium angelum naturaliter.*

Unica Observatio. Angeli inter ſe comparati, partim conveniunt, partim diſcrepant. Ruríus vel conveniunt in natura, vel in accidente aliquo; hinc fit

I. Assertio. Angelus alium angelum amat amore naturali, quo ſe amat, ſicut ſe ipſum, ſecundùm ea bona quæ ipſis conveniunt in natura Ita D. Thomas a. 4. Probatur: quælibet res diligit amore naturali id quod eſt vnum in ſpecie cum ipſo, in quantum diligit ſpeciem ſuam. Patet inductione: ignis, v. g. habet inclinationem vt communicet alteri formam ſuam, quod eſt bonum illius, ſicut naturaliter locum ſuperiorem affectat; & ita de reliquis elementis: ergo angelus amat amore naturali alios angelos, ſicut ſe ipſum, ſecundùm id in quo conveniunt ſecundùm naturam. Ratio à priori eſt, quòd amoris naturalis objectum ſit ipſa amantis ſubſtantia, & quæ ſunt vnum ſecundùm naturam cum amante: ſic homo diligit conſanguineum ſuum amore naturali, quatenus eſt quid vnum cum eo in principio generationis.

II. Assertio. Angelus angelum alium amat amore libero ſicut ſe ipſum, quatenus conveniunt in aliquo accidente. Probatur: amoris electivi objectum eſt accidens amantis, & quæ ſunt vnum cum eo ſecundùm rationem boni accidentariam: ſic homo concivem ſuum diligit amore electivo, quatenus eſt quid vnum cum eo in rebus politicis: ergo angelus amat alterum

angelum amore libero, quatenus convenit cum eo in bono aliquo accidentario ſeu contingente.

Dixi, angelum diligere alterum vt ſe ipſum: vbi particula *vt*, non æqualitatem, ſed proportionem tantùm ſignificat. Ratio eſt, quòd amor naturalis in vnitate fundetur, adeóque minùs ametur quod eſt minùs vnum; magis autem quod eſt magis vnum: hinc naturali amore plus diligimus quod eſt vnum numero, quàm quod eſt vnum ſpecie. Porrò hic amor naturalis communis eſt bonis & malis angelis, licèt oderint ſe mali, quatenùs differunt ſecundùm juſtitiam & injuſtitiam; dum enim angelus ſe ipſum odit, vel Deum, vel alias ſubſtantias intelligentiæ compotes, ſemper retinet inclinationem naturalem ad amorem, amatque magis Deum vt bonum commune, quàm ſe ipſum, ſi non actu ſecundo, ſaltem in actu primo, & illa inclinatione naturali, quæ vt eſt recta, ita inclinat ſemper ad majus bonum commune totius, quàm ad bonum partis. Sed vt res clarior fiat, ſit

## §. III. *Quomodo angelus Deum naturaliter diligat.*

I. Obser-vatio. In bono amato ſpectari poteſt ratio vtilis, & ratio honeſti.

II. Observatio. In amore conſiderari poteſt intentio, ſicut in objecto appretiatio: intenſio vnitatem affectûs, & congruitatem objecti cum amante ſequitur, appretiatio excellentiam objecti. His obſervatis, ſit

I. Assertio. Angelus amat Deum amore naturali plus quàm ſe. Ita D. Thomas quæſt. 60.

a. 5. Probatur 1. quia inſitum eſt cuilibet parti, vt plus amet totum cujus pars eſt, quàm ſe ipſam; hinc periculo ſe offert vt toti conſulat: ſic manus ſe exponit ictui ad conſervationem totius corporis, & civis pro conſervanda republica ſe in vitæ periculum conjicit: angelus ſe habet ad Deum vt pars ad totum; angelus enim eſt particulare bonum, Deus bonum vniverſale, ſub quo continetur etiam angelus & homo & omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter ſecundùm id quod eſt, Dei eſt, inquit D. Thomas: ergo angelus naturali amore plus diligit Deum quàm ſe ipſum. Probatur 2. à poſteriori, quia ſi angelus magis ſe diligeret quàm Deum, vtique perverſa eſſet ejus dilectio naturalis, nec per caritatem perfici poſſet. Quanquam

II. Assertio. Angelus magis amat Deum quàm ſe amore naturali appretiativo, quamvis ſe magis amet amore intenſivo. Probatur prima pars, quia amat Deum vt Deum, ſeu vt præcellens bonum; ſe autem vt creaturam, hoc eſt, vt minùs excellens bonum. Probatur ſecunda, quia angelus eſt objectum magis ſibi congruum & vnum quàm Deus: at amor intenſivus ex vnitate & congruentia objecti potiſſimùm oritur.

Huc recidit eorum ſententia, qui volunt angelum Deum magis amare vt eſt bonum vtile, quàm ſe ipſum; vt autem apparet in eo ratio honeſtatis, velle ſibi honeſtatem, & ſic ſe amare aliquatenus plus quàm Deum. Hanc doctrinam ex Ariſtotelis principiis hauſere, qui ait, civem, dum ſe exponit periculo pro patriæ ſalute, magis patriam partim amare quàm ſe, quatenus bonum vtile patriæ præfert ſuo; partim minùs, quatenus

ſibi vult bonum honeſtum, quod eſt opus fortitudinis.

III. Assertio. Angelus amat Deum amore concupiſcentiæ, neceſſario ſaltem quoad ſpecificationem. Probatur, quia eadem neceſſitate diligitur finis, & id ſine quo finis conſervari non poteſt: angelus diligit ſe neceſſario amore concupiſcentiæ quoad ſpecificationem, tanquam finem ſub fine: ergo eadem neceſſitate diligit Deum tanquam principium ſui eſſe. Et verò ipſum eſſe angeli magis pendet à Deo, quàm à quocunque principio proprio & intrinſeco: ergo ſicut ſe diligit neceſſariò angelus quoad ſpecificationem, ita & Deum. Utrum autem angelus Deum amet amore amicitiæ naturaliter, ſicut amat amore concupiſcentiæ: hoc pendet ex ea quæſtione, qua quæritur an angelus poſſit peccare contra legem naturæ; ſi enim amat Deum vt vltimum finem naturæ, amat illum amore amicitiæ: at qui neceſſariò amat vltimum finem naturæ, non poteſt peccare contra finem naturæ; qui autem poteſt peccare, non amat neceſſariò.

# DISPUTATIO IV.

## *De actione tranſeunte angelorum.*

ACTIONIS tranſeuntis angeli triplex genus diſtingui ſolet à Philoſophis ; angelus enim vel agit in alium angelum , vel in corpus , vel in hominem : quare tribus articulis conſtabit hæc diſputatio. Primus explicabit quid agat angelus in angelum : ſecundus , quid in corpora : tertius , quid in homines.

### ARTICULUS I.

### *Quid agat angelus in alium angelum.*

DUPLEX actionis ſpecies eſt angeli in angelum ; altera dicitur intentionalis , altera realis. Intentionalis ſubdividitur in locutionem & illuminationem ; quamvis enim illuminatio ſit quædam locutio , non omnis tamen locutio eſt propriè illuminatio : quare 1. de locutione vniverſim , de illuminatione deinde , poſtremò de actione reali diſputabimus.

### § I. *De locutione angelorum.*

CERTA ſunt tria in hac quæſtione apud omnes. 1. Angeli inter ſe loquuntur , & ſecreta ſibi mutuò aperiunt. Sic Apoc. cap. 7. clamat

vnus angelus ad alios: *Nolite nocere terræ & mari.* In epiſt. canon. S. Iudæ Michaël angelus cum diabolo diſputat. Ratio eſt, quia ſicut ad rectam gubernationem angelorum par fuit internos eorum actus eſſe occultos, ita ratio ſocietatis politicæ, quæ ſermone potiſſimùm continetur & viget, id exigit, vt ſibi mutuò eoſdem cùm volunt, manifeſtare poſſint.

2. Unus angelus non vni tantùm, ſed pluribus ſimul angelis loqui poteſt, & ab iis audiri: quidni enim perinde ac nos ipſi colloquantur inter ſe, poſſitque Michaël vni aut pluribus ſua ſecreta pandere?

3. Locutio angeli nihil eſt aliud quàm communicatio conceptûs; communicatur autem conceptus, cùm talis fit in audiente, qualis eſt in loquente. Fit porrò talis per actionem loquentis in audiente, apud homines mediatè quidem, quia homo homini conceptus mentis manifeſtat, mediante ſenſu tum interno, tum externo, vt aliàs in Logica oſtendimus; immediatè autem in angelo, qui caret ſenſibus internis & externis At quomodo fiat iſta locutio, quærunt Philoſophi juxtà & Theologi.

Multiplex eſt ſententia. Prima docet, angelum alteri angelo loqui per ſignum aliquod ſenſibile in aëre productum, voci noſtræ haud abſimile. Secunda, per qualitatem ſpiritalem productam à voluntate angeli loquentis in ſe ipſo, cujus alter angelus, cui fit locutio, habet in ſe ſpeciem, quâ poteſt percipere quid alter velit Tertia pugnat fieri per ſpeciem ab angelo loquente intellectui audientis impreſſam Quarta contendit per ſolam voluntatem angeli directam ad audientem, quâ

velit manifeſtari ei ſecretum ſuum, & quâ poſitâ, tanquam conditione, vel nova ſpecies imprimitur à Deo in intellectu audientis, cum qua concurrit; vel ſpecies jam in ortu infuſa incipit exigere Dei concurſum ad formandam ſpeciem expreſſam.

Ex tot ſententiis, tertia & quarta videntur cæteris probabiliores: quare vtramque breviter explico.

I. Assertio. Probabile eſt locutionem angeli fieri per ſpeciem impreſſam intellectui alterius angeli, quæ intuitivè repræſentat actum interiorem angeli loquentis, ſive ab angelo, ſive à Deo de novo imprimatur.

Probatur: Loqui eſt communicare conceptum audienti: tunc autem communicatur conceptus, cùm talis fit in audiente, qualis eſt in loquente; fit porrò talis in audiente per ſpeciem ſpiritalem impreſſam ſive à Deo, ſive ab angelo, quâ angelus audiens fit formaliter potens exprimendi in ſe talis conceptûs, qualis eſt in mente loquentis angeli, quam ideo virtutem intelligibilem vocat D. Thomas. Ut ergo homo homini manifeſtat conceptum ſuum per prolationem vocis, ita angelus angelo per impreſſionem ſpeciei intelligibilis. Locutio itaque angeli conſiſtit in impreſſione ſpeciei intelligibilis, quæ repræſentat actum interiorem loquentis; auditio autem eſt perceptio clara & intuitiva actûs per ſpeciem impreſſam. Quare hi concurrunt actus ex parte loquentis angeli; 1. conceptus angeli loquentis alteri angelo manifeſtandus, qui proinde per modum objecti concurrit: 2. alter actus intellectûs vt imperantis: 3. actus voluntatis vt acceptantis

imperium : 4. applicatio potentiæ exequentis, quæ imprimit ſpeciem angelo audienti Ex parte verò audientis, 1. receptio ſpeciei impreſſæ ab angelo, aut à Deo : 2. productio ſpeciei expreſſæ; & ita lingua angeli loquentis eſt potentia imprimens ſpeciem; auris in audiente, potentia recipiens eandem ſpeciem. Auditio duo includit, ſi adæquatè ſumitur, 1. paſſionem ſeu receptionem ſpeciei, 2. vitalem actionem. Ratio eſt, quòd auditio, vt reſpicit loquentem, paſſio quædam ſit; vt autem audientem ſpectat, ſit quædam vitalis perceptio, adeóque actio. Ex dictis hæc inferuntur.

1. In hac ſententia mentitur angelus alteri, cùm imprimit ſpeciem effectivam conceptûs diverſi à conceptu directo quem habet loquens; tunc enim fallax eſt ſpecies, ac proinde falli poteſt angelus audiens, cùm mentitur loquens; ſecus autem ſi ſincerè loquatur. At ſi à Deo ſpecies imprimitur, poteſtne tum angelus alteri mentiri? Quidam reſpondent, in illa hypotheſi angelum vnum alteri mentiri non poſſe, quia repugnat Deum propter ſummam veracitatem poſſe producere ſpeciem fallacem : alii reſpondent, poſſe etiam in illa hypotheſi, quia Deus ad exigentiam duntaxat cauſæ ſecundæ illam ſpeciem fallacem produceret, quod veracitati divinæ non officit.

2 Angelus vel vni poteſt angelo loqui, vel pluribus, cæteris, qui etiam præſentes ſunt, non audientibus, quia cùm liberum ſit angelo producere ſpeciem ſui conceptûs repræſentativam, & communicare cui voluerit, poteſt vni vel pluribus, prout libuerit, loqui. Secus homini accidit,

cùm loquitur, quia vtitur voce tanquam ſigno ſui conceptûs, quæ cùm agat naturaliter, omnium aſtantium auribus illabitur.

3. Angelus vt alteri loquatur, debet eundem habere intra ſphæram ſuæ activitatis, ex hypotheſi quòd producat ſpeciem intelligibilem; ſecus autem ſi Deus ipſe ſpeciem imprimat, quia ſatis eſt, quòd angelus ordinet ſuum conceptum aut affectum, nec opus eſt, vt angelus loquens aliquid producat in audiente: vnde diſtantia locorum non impedit quominus audiri poſſit.

4 Aliter angelus Deo, aliter angelo, aliter homini loquitur: 1. quia angelus ſpeciem intelligibilem angelo imprimit, non autem Deo; 2. angelo alteri aliquid occultum detegit, at Deo nihil occultum eſſe poteſt. Loquitur itaque Deo, dum cogitata & deſideria ad ipſum dirigit vt aliquid ab ipſo impetret, aut ipſum laudet & majeſtatem admiretur, vt obſervat D. Thomas qu. 107. a. 3. vbi ait locutionem ordinari ad alterum, ſicut agens ordinatur ad patiens; & ita in locutione humana doctor ordinatur ad diſcipulum: vel ſicut patiens ad agens, à quo aliquid accipiat: & hoc modo angelus loquitur Deo, vel conſultando divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam, quam nunquam comprehendit, admirando; dum autem homini loquitur angelus, mediatè ſaltem producit ſpeciem intelligibilem.

II. Assertio. Sententia quæ docet, locutionem angeli fieri per directionem voluntatis illius ad alterum angelum, Deo concurrente cum ſpecie in ortu angelo infuſa, probabilitate ſua non caret. Probatur, quia ritè explicat quæ-

cunque pertinent ad locutionem angelicam; nam vbi angelus loquens direxit conceptum aut affectum ſuum ad alterum angelum, Deus concurrit cum ſpecie infuſa intellectui alterius angeli, quæ incipit producere ſpeciem expreſſam ſecreti antea latentis, quod proinde deſinit eſſe ſecretum, ſicut res deſinit eſſe futura præcisè ex eo quòd, poſitâ rei exiſtentiâ, Deus concurrit cum ipſa re, cum qua antea non concurrebat. Dum enim ſpecies in ortu infuſa radiare incipit, idem omnino præſtat, quod præſtaret ſpecies ab angelo, aut à Deo de novo producta: at per ſpeciem ab angelo, aut à Deo de novo productam ſecretum angeli loquentis, quod antea latebat, manifeſtum fieret audienti: ergo per ſpeciem in ortu infuſam perinde manifeſtatur, quia per illam conceptus loquentis talis ſit in mente audientis, qualis eſt in mente loquentis.

Confirmatur aſſertio: Ideo actus vnius angeli eſt ſecretus alteri, quia ſpecies quam habet, non movet potentiam: ideo autem non movet potentiam, quia Deus non complet eam per concurſum in actu ſecundo: ideo Deus non complet ſpeciem per concurſum in actu ſecundo, quia angelus loquens non dirigit ſecretum ſuum ad alterum angelum, nec vult ipſum manifeſtare: vnde negatio directionis illius, ſeu actus voluntatis quo velit angelus aperire ſecretum ſuum, eſt impedimentum cur lateat. Angelus itaque formet judicium quo concludat ſecretum ſuum alteri angelo manifeſtandum, deinde illud judicium voluntas approbet; tum Deus ad exigentiam angeli conceptum aut affectum dirigentis concurret cum ſpecie infuſa intellectui angeli

audientis, quæ antea non movebat intellectum; ſed quæ jam vltimò completa per concurſum Dei, radiabit & movebit intellectum, producendo ſpeciem expreſſam, quæ erit vitalis perceptio ſecreti antea latentis. Hæc videtur eſſe mens D. Thomæ q. 107. a. 1. dum ait, intelligibile eſſe in intellectu tripliciter; primò quidem habitualiter, vel ſecundùm memoriam: ſecundò vt in actu conſideratum, vel conceptum: tertiò vt ad aliud relatum. Deinde addit, intelligibile de primo gradu in ſecundum transferri per imperium voluntatis, quia habitu vtitur cùm vult; de ſecundo autem in tertium per voluntatem, quia per voluntatem conceptus mentis ordinatur ad alterum, putà vel ad agendum aliquid, vel ad manifeſtandum alteri. Denique concludit, cùm mens angelica conſiderat actu id quod habet in habitu, tum loqui ſibi ipſi; cùm autem conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifeſtandum alteri, tum conceptum mentis vnius angeli innoteſcere alteri. Ubi vides ex parte angeli loquentis vnam ordinationem conceptûs aut affectûs requiri; hinc

1. Locutio angelica nihil producit phyſicè in mente audientis, ſed audiens per ſpeciem quam habet ſibi ab ortu infuſam, cognoſcit angelum loquentem, & ipſius locutionem; connotat tamen actionem alterius, nempe excitationem, quia eſt medium eſſentialiter ordinatum ad manifeſtanda ſecreta & veritates contingentes. Auditio autem conſiſtit formaliter in ipſo intellectionis actu, quo angelus audiens percipit conceptum ſibi à loquente directum.

2. Locutio aliter inchoatur ab angelo loquen-

te, aliter à Deo: ab angelo quidem moraliter; à Deo autem phyſicè, qui vt auctor naturæ, excitat attentionem in eo ad quem locutio dirigitur.

3. Tunc angelus pluribus loquitur, cùm conceptum ſuum affectumve ad plures ordinat, quorum intellectum ſpecies, Deo concurrente, mouere incipiunt; & tunc vnus angelus plures audit, cùm ſpecies plures quas habet, Dei concurſum exigere incipiunt, producuntque ſpeciem expreſſam.

4. Poſſunt angeli ex omni interuallo ſibi mutuò loqui, quia intellectio nullis loci vel temporis nexibus tenetur. Audi D. Thomam qu. 107. art. 4. *Dicendum quòd locutio angeli in intellectuali operatione conſiſtit; intellectualis autem operatio angeli omnino abſtracta eſt à loco & tempore; nam etiam noſtra intellectualis operatio eſt per abſtractionem ab hîc & nunc, niſi per accidens ex parte phantaſmatum, quæ in angelis nulla ſunt. In eo autem quod eſt omnino abſtractum à loco & tempore, nihil operatur neque temporis diuerſitas, neque loci diſtantia: vnde in locutione angeli nullum impedimentum facit diſtantia loci.* Nec dicas 1. angelos Zachar. cap. 2. concurrere in vnum locum, vt loquantur inter ſe; præterea Iſaiæ 6. vnum Seraphin clamare ad alterum: at concurſus in vnum locum & clamor fiunt propter loci diſtantiam: ergo, &c. Nam reſp. ad 1. dum angeli dicuntur concurrere in vnum locum, ibi fieri ſermonem de angelis, non vt ſunt puri ſpiritus, ſed vt ſunt formaliter angeli, ſeu nuntii ad homines, quibus loquuntur ſignis ſenſibilibus; deinde Scriptura & Patres loquuntur juxta captum & morem hominum. Ad 2. clamor angeli

non eſt vocis corporeæ quæ fiat propter loci diſtantiam; ſed ſignificat vel magnitudinem rei quæ dicitur, vel magnitudinem affectûs, ſecundùm quod dicit Gregor. 2. Moral cap. 6. vbi ſic loquitur de clamore animarum: *Magnus earum clamor magnum eſt deſiderium; tantò enim quiſque minùs clamat, quantò minùs deſiderat; & tantò majorem vocem in aures incircumſcripti ſpiritûs exprimit, quantò ſe in ejus deſiderium pleniùs fundit: animarum igitur verba ſunt deſideria.*

5. Angelus angelo vel non mentitur, quia Deus debuiſſet infundere ſpeciem fallacem, quod veracitatem ejus lædit; vel certè ſi mentitur, dicendum à Deo illam ſpeciem ad exigentiam cauſæ ſecundæ inditam fuiſſe. Quæ reſponſio minùs congruit principiis à nobis in Ethica jactis.

6. Locutio in hac ſententia nihil aliud eſt quàm conceptus liberè ordinatus & directus ad alterum: vnde illa directio voluntaria eſt veluti lingua. At

Quæres, an liberum ſit angelo audire alterum angelum. Reſp. non eſſe quidem liberum angelo excipere locutionem alterius, quia excitatio non eſt ei libera, fit enim à Deo independenter à voluntate illius; poteſt tamen poſtquam locutionem percepit, ab audiendo ceſſare, quia poſita contraria voluntate audientis, Deus movere deſinit: itaque auditionis inchoatio neceſſaria eſt, continuatio verò libera.

## §. II. *De illuminatione angelorum.*

CIRCA illuminationem angelorum examinandum 1. quid ſit & quotuplex, 2. quæ illius nomina, 3. an inferiores angeli à ſuperioribus il-

luminentur, 4. quo ordine fiat illuminatio.

I. Assertio. Illuminatio definitur manifeſtatio veritatum à Deo acceptarum & ignotarum angelo audienti; veritatum, inquam, à Deo revelatarum & ad ſalutem hominum pertinentium. Clariùs, manifeſtatio myſteriorum Dei abſconditorum, ſed præſertim decretorum divinæ voluntatis, quæ ad executionem divinæ providentiæ pertinent in ordine ad ſalutem hominum, facta immediatè à Deo angelo ſuperiori, & per ſuperiorem inferiori ſecundùm legem communem. Hæc definitio, vt patet, habetur per cauſas; nam materialis ſunt ipſa ſecreta divina, ſeu myſteria divina & decreta divinæ voluntatis, ad executionem ſpecialis divinæ providentiæ ſpectantia; finalis, eſt ipſa ſalus hominum; efficiens ſeu principium primum, Deus ipſe: illuminatio enim ex parte Dei eſt deificæ notionis transfuſio, vt verbis D. Dionyſii vtar; deinde angeli ſuperiores, dum inferiores docent juxta communem legem, qua in ordinatiſſima illa ſocietate angelorum revelationes fiunt immediatè à Deo ſuperioribus angelis in inferiores poſtmodum ab iiſdem transfundendæ. Et quoniam per illuminationem angelus inferior docetur à ſuperiore; hinc

Duplex illuminatio; altera activa quæ eſt in ſuperiore, & altera paſſiva quæ eſt in inferiore, dum audit & docetur à ſuperiore de ſecretis Dei ad hominum ſalutem pertinentibus. Porrò triplici nomine gaudet illuminatio; dicitur enim illuminatio, purgatio & perfectio: illuminatio, quatenus manifeſtat veritatem antea latentem: purgatio, quatenus tollit ignorantiam: perfectio, quatenus perficit intellectum angeli. Vocatur

item confortatio à D. Thoma, quatenus per ſpeciei impreſſionem inferior angelus quodammodo corroboratur, vt judicium formet de veritate, tanquam revelata à Deo per ſuperiorem angelum. Et verò ſpeciei eſt corroborare intellectum ad cognitionem rerum.

Ex dictis multa inferuntur. 1. Illuminatio partim convenit cum locutione, partim diſcrepat; convenit quidem, quatenus eſt ſpecies quædam locutionis: omnis enim illuminatio locutio quædam eſt, ſed non viciſſim omnis locutio eſt illuminatio, quia locutio vniverſim ſumpta eſt quælibet manifeſtatio conceptus. Diſcrepat autem 1. ratione finis; non enim omnis locutio angelorum eſt de rebus ad ſalutem hominis. 2. ratione materiæ, quia materia illuminationis ſunt ſecreta Dei, purà myſteria Dei abſcondita, & decreta divinæ voluntatis quæ ad executionem divinæ providentiæ pertinent. 3. locutio poteſt eſſe de rebus veris aut falſis, illuminatio duntaxat de veris. 4. illuminatio eſt de veritate ignota, locutio poteſt eſſe de re nota. denique illuminatio repræſentat primò rem, ſeu veritatem à Deo revelatam; locutio conceptum loquentis.

2. Illuminatio ſtrictè ſumpta eſt tantùm inter angelos beatos, non inter dæmones, quia illuminatio ſtrictè ſumpta eſt manifeſtatio veritatis alicujus quæ intellectum perficiat, & amorem in voluntate excitet: ſin autem ſumitur latè pro manifeſtatione cujuſcunque voluntatis divinæ, quæ ad executionem divinæ providentiæ pertinet; non repugnat inter dæmones reperiri, quia interdum diſcant à beatis angelis voluntatem Dei quam deinde exequuntur.

3. Illuminatio ſtrictè ſumpta non eſt de rebus naturalibus. Patet ex definitione tradita. Deinde ex D. Thoma, ſola illa mentis manifeſtatio dicenda eſt illuminatio quæ ducit in Deum, tanquam in primam veritatem ſupernaturali modo cognoſcendam.

II. Assertio. Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus. Probatur 1. ex D. Dionyſio, qui lib. de cæl. hierarch. cap. 6. id ſe à D. Paulo accepiſſe ait, & lib. de eccleſ. hierarch. c. 5. ſic loquitur: *Illuſtratores & ſumma hujus perfectionis duces ac principes, in ſubjectos ſacros ordines benignè atque pro captu cujuſque datam ſibi à perfecta ſapientiaque effectrice divinitate divinarum rerum ſcientiam cognitionemque diffundunt*; hinc angelos vocat ibidem *Pontifices*, quia conjunctam cum illuminandi vi, mundandi etiam expiandique ſcientiam habent. Et alibi ſæpe docet, angelos ſuperiores exercere actus hierarchicos in inferiores, quia eos illuminant docendo, purgant ignorantiam tollendo, perficiunt veritatem manifeſtando.

Probatur 2. ratione, tum quia Deus operatur omnia, ſubordinando infima mediis, & media ſupremis: ergo per angelos ſuperiores ſe inferioribus communicat: tum quia naturale eſt inferiorem ſubdi ſuperiori, & ſuperiorem præeſſe inferiori, vt patet in republica bene conſtituta: at hæc ſubordinatio tum maximè viget, cùm infimi à mediis, & medii à ſupremis inſtruuntur: tum quia Deus homines ſæpe per angelos illuminat. Sic angelus Danielem inſtruit de futuris, Daniel. 10. Angeli paſtoribus Chriſtum Salvatorem annuntiant, Luc. 2. Angelus docet Cornelium de

rebus ad ſalutem pertinentibus, Actor. 10. ergo Deus per angelos ſuperiores inferiores inſtruit & illuminat. Porrò licèt ſecundùm legem communem angelus ſuperior inferiorem illuminet, poteſt tamen angelus inferior illuminare ſuperiorem & æqualis æqualem, ipſi aliquid ignotum patefaciendo quod à Deo immediatè acceperit. Quidni enim Deus, ſi libuerit, prætermiſſis ſuperioribus angelis, inferioribus revelet? Tamen rariùs id contingit, quia naturalis ordo poſtulat vt inferiores à ſuperioribus inſtruantur: ergo hic ordo ſervari debet in cæleſti hierarchia, in qua ſummus ordo dominatur. Hic itaque ordo ſervatur: angeli primæ & ſupremæ hierarchiæ immediatè à Deo illuminantur: media per ſupremam: tertia & infima illuminatur à media, nec habet aliam quam illuminet.

## APPENDIX.

## *De illuminatione hominum per angelos.*

I. ASSERTIO. AB angelis homines quoque illuminantur. Probatur 1. Daniel. 8. *Et ait ad me: Intellige, fili hominis.* Item Zachar. 1. *Dixit ad me angelus qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi quid ſint hæc.* Prob. 2. ex SS. PP. præſertim ex D. Auguſtino. *Deus*, inquit, *per ſe ipſum quia lux eſt, illuminat pias mentes*, &c. *ſed ad hoc miniſtro vtitur angelo. Poteſt quidem angelus aliquid agere in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat.* Ex Cyrillo lib. 1. in Joan. c. 9. circa illa verba, *Qui illuminat omnem hominem.* Et ex Naz. carm. 6, de ſubſt. mente præditis.

Probatur ratione : omnis illuminatio vel eſt ſenſibilis, vel inſenſibilis : angeli homines illuminant vtroque modo : ergo, &c.

Probatur prima pars : illuminatio ſenſibilis vel fit per objecta ſenſibilia ſenſibus externis ita applicita vt mentem excitent, vel per imagines, vel per nutus & figuras, corpus exterius pungendo, &c. Angeli poſſunt homines his omnibus modis illuminare, & verò illuminarunt, 1. per ſigna ſenſibilia, & quidem duplici modo; vel aſſumpto corpore : ſic Gabriel SS. Virginem illuminavit, propoſito primùm myſterio, *Ecce concipies*; explicato deinde modo per iſtas voces, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*; exemplo deinde confirmando : *Et ecce Elizabeth cognata tua*, &c. vel verbis ſcriptis : ſic Balthazar, Daniel. 5. vidit digitos ſcribentes verba in adverſo pariete.

2. Imaginibus ob oculos propoſitis, & verbis ſignificationem Scripturæ, vel imaginum repræſentationem interpretantibus, vt in Prophetis, præſertim in Daniele.

3. Nutibus & figuris vtendo circa corpus humanum, illud pungendo, aut aliter commovendo, vt ad bonum excitent, vel à malo retrahant.

Probatur ſecunda pars : SS. Joſephum monuit Angelus in ſomno, item & magos, vt legere eſt apud Matth. c. 1. & 2. at hæc illuminatio non eſt facta per ſenſus externos. Deinde ipſi dæmones hac arte tentant & illudunt hominibus inter dormiendum : ergo & boni angeli juvare poſſunt dormientes, ipſos illuminando. At quomodo fit illa illuminatio, quæ dicitur inviſibilis?

III. Assertio. Angelus illuminat intrinſecùs & inviſibili modo, commotis ſpiritibus &

humoribus, ipſam phantaſiam ad operandum excitando, & mediante phantaſia intellectum. Ita D. Thomas qu. 111. art. 3. & qu. 11. de verit a. 3. Probatur 1. Quæcunque per motum localem fiunt, poſſunt ab angelis tum bonis, tum malis peragi: hæc interna & inviſibilis commotio humorum & ſpirituum fit per motum localem, vt patet in ſomniantibus: vnde Ariſtoteles in lib. de ſomn c. 3. paulò ante medium tom. 2. aſſignans cauſam apparitionis ſomniorum, obſervat quòd cùm animal dormit, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, ſimul deſcendant motus, id eſt, impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus quæ in ſpiritibus conſervantur, & movent principium ſenſitivum, ita vt fiat quædam apparitio, perinde ac ſi principium ſenſitivum à rebus ipſis exterioribus mutaretur: ergo poteſt quoque fieri talis commotio vi & efficientia angelorum; norunt enim apprimè, qua arte humores cieri debeant, ſi inertes & otioſi plus æquo ſint; aut ſedari, ſi plus juſto commoti & perturbati. Norunt quoque quâ ratione ſpiritus, quibus ſpecies inſident, ordinari inter ſe & componi debeant, vt phantaſiam excitent ad fingenda idola, cudendis deinde conceptibus oppido idonea. Deinde ſi læſum ſit organum qualitatum exuperantia, aut remiſſione nimia, facilè poſſunt applicando activa paſſivis, ad juſtam mediocritatem reducere.

Probatur 2. Si aliter fieri poſſet illuminatio, quam inviſibilem vocant, vel fieret productione phantaſmatum, vel tranſlatione ſpecierum, vel actione immediata in intellectum hominis Non productione phantaſmatum, quià producere ne-

queunt angeli phantaſmata, niſi applicando objecta phantaſiæ: at objecta ſæpe longiùs abſunt; & aliunde ipſa vis imaginatrix non eſt capax talis applicationis immediatæ, ſed mediante tantùm ſenſu externo. Non tranſlatione ſpecierum, quia ſpecies pendent eſſentialiter ab objectis, vtpote ipſorum imagines. Non actione immediata in intellectum, vel enim angelus illuminaret intellectum hominis, faciendo ipſum formaliter intelligere, vel producendo in ipſo homine actum à ſuo diſtinctum, quo intelligat: neutrum præſtare poteſt. Non primum, quia eadem intellectio non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum, nec duobus intellectibus ſimul inhærere, nec conſtituere intellectum formaliter intelligentem, cui non inhæreat, & à quo non producta ſit. Non ſecundum, quia intellectus humanus non poteſt intelligere per actum ab alio receptum, & à ſe non elicitum: nec intellectio angeli poteſt per modum objecti intelligibilis intellectui hominis actu vniri ad eliciendam ſui in illo cognitionem. Meritò itaque D. Bernardus ſerm. 5. in Cant. ait, *nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, vt nullo mediante corporis inſtrumento, nos doctiores efficiat.* Hinc

Dum D. Thomas ait, intellectum hominis ab angelo per illuminationem confortari, eo ſenſu explicabis, quòd angelus veritatem cognoſcendam meliùs proponit, & clariùs explicat apta & concinna phantaſmatum ordinatione; perfectiùs enim angelus hominem illuminat, quàm homo hominem; & quod angelus ſuperiori virtute & majori acumine docere poſſit; & quod ordinatiùs ſpecies, ſpiritus & phantaſmata componat.

## §. III. *De actione reali angeli in angelum.*

UNICA OBSERVATIO. PER actionem realem eam intelligo, qua quidpiam ab angelo ad extra produci poteſt, ſiue ſubſtantiale ſit, ſiue accidentale, quod à ſpecie intentionali diſtinctum ſit. Quæſtio ergo hîc eſſe poteſt vel de ſubſtantia aliqua, vel de accidente tum intrinſeco angelo, tum extrinſeco.

I. ASSERTIO. Angelus non poteſt communicare eſſe ſubſtantiale alteri angelo. Probatur: angelus non poteſt communicare eſſe ſubſtantiale alteri angelo, niſi vel creando, vel conſervando: angelus non poteſt creare alterum angelum, ſaltem in genere cauſæ principalis, quia virtus creandi principaliter eſt Dei vnius propria, vt confecimus in Phyſica vniverſali; nec conſervare, quia conſervatio illa perpetua creatio foret.

II. ASSERTIO. Angelus poteſt in alterum id omne quod locutione percipi poteſt. Probatur: id omne debet angelus vnus in alterum poſſe facere, quod ſocietas naturalis exigit: at exigit ſocietas naturalis, vt communicare conceptum & affectum vnus alteri poſſit. Sed vt patet ex dictis de locutione, dum angelus angelum alloquitur, agit tantùm moraliter, quatenus conceptum affectúmque ad alterum angelum dirigit.

III. ASSERTIO. Angelus non poteſt quidquam agere in voluntatem alterius angeli actione immediata & phyſica, nec proinde ipſam immutare.

Probatur: nihil eſt in voluntate vnius angeli quod poſſit alter angelus efficere; nam vel inten-

deret aut minueret voluntatem illius, vel actum primum imprimeret, vel habitus produceret, aut certè infunderet, vel actum vitalem produceret: nihil horum efficere poteſt. Non voluntatem intendere aut minuere, quia individua eſt & concreata cum anima; non actum primum imprimere, quia ſpecie non indiget; non puros habitus producere, quia per actus produci debent; non habitus infundere, quia infuſio illa eſt ſaltem in modo ſupernaturalis; non actum vitalem in voluntate illius producere, quia non poteſt producere nec vt cauſa totalis, nec vt cauſa partialis: non vt cauſa totalis, quia ejuſmodi actum repugnat produci ab extrinſeco agente, vt à cauſa totali; non vt cauſa partialis, quia voluntas angeli eſt ſolùm effectrix ſui actûs. Deinde actus voluntatis fit tantùm prælucente actu intellectûs: actus intellectûs non fit, niſi ſequeſtra ſpecie, quæ tanquam ſemen objecti intellectum fœcundet, quam, vt jam probavi, angelus non poteſt producere. Aliunde ſi angelus per ſe & immediatè moveret intellectum & voluntatem, illaberetur in potentias animæ illapſu propriè dicto, quod repugnat Theologis & D. Bernardo. *Ingrediuntur*, inquit, *in nos an eli, ſed vt animis noſtris adſint, non vt inſint: vt ſuggerant, non vt ingerant. At verus Deus & adeſt & ineſt, & ſuggerit & ingerit, quin & infundit & afficit; vt verè angelus ſit potiùs cum anima, quàm in anima, Deus cum anima & in anima; ille alienus, hic intimus; ille quaſi hoſpes & advena, hic vt ipſa vita. Quid ſi dixero, magis intimus quàm vita, qui & ipſam penetrat vitam ſimpliciſſimus ſubtiliſſimuſque.*

III. Assertio. Probabiliùs angelus poteſt agere in alterum angelum per motum localem, ſeu mouere loco angelum inferiorem. Probatur: poteſt angelus mouere animam ſeparatam; nam 16. Lucæ anima Lazari in ſinum Abrahæ deferri dicitur; Tob. 18. Raphaël angelus apprehendit dæmonem Aſmodæum, illumque in deſerto ſuperioris Ægypti alligat: ergo poteſt vnus angelus alterum mouere. 2. Angelus mouet ſe ipſum: ergo & poteſt mouere alterum. Confirmatur: motus fit in corporibus vel per impulſum, vel per efficientiam immediatam motoris: ergo & in ſpiritibus; quid enim repugnat? Certè inter impetum & motum magna eſt affinitas, debuitque natura ſolers non tantùm rebus corporatis, ſed etiam ſpiritalibus impetum vicarium prouidere, ne ſtatim motus intercideretur, cùm mobile à motore ſeparatur.

Itaque in hac ſententia angelus mouere poteſt alterum angelum, 1. motu pulſionis, quia ad id ſatis eſt, ſi motor mobile immediatè vel mediatè moueat: 2. motu tractionis & vectionis. Quidni enim concipias intelligentiam potentiorem diuiſibiliter locatam, quæ imbecilliori angelo item diuiſibiliter locatæ, immiſſo motu eundem transferat ſecum & deportet, quo motu animas à dæmonibus in inferos deferri cenſet Thyræus lib. de locis infeſtis cap. 23. num. 20. Motus volutationis difficiliores habet explicatus, quia partes rei volutatæ aliæ debent deprimi, aliæ attolli. Tamen in ſententia eorum qui partes virtuales angelis tribuunt, quidni poſſit imbecillior angelus immiſſo motu vel impetu, à valentiore angelo ita circumvolui, vt ſuperiores extenſionis partes fiant

ſiant inferiores, & quæ ad Auſtrum vergebant, ad Boream vertantur. Sed hæc otioſis Philoſophis examinanda relinquimus.

Dixi, angelum imbecilliorem poſſe à valentiore moveri per ſe; nam per accidens etiam ſuperior robuſtiórque angelus poteſt ab inferiori & imbecilliori moveri, ſi non reſiſtat, ſed permittat ſe moveri, quia cùm reſiſtentia ſuperiori angelo voluntaria ſit, vtique ſi nolit reſiſtere, poterit ab inferiori moveri; ſin autem reſiſtat, tunc moveri non poterit, quia à proportione minoris inæqualitatis non ſequitur actio: at vis angeli inferioris minor eſt, adeóque non poteſt movere angelum, qui majoris ſit virtutis, niſi divinitus id fiat: at

Quæres an vnus angelus ab altero angelo detineri poſſit, & quomodo. Reſp. ad 1. poſſe detineri, vt patet ex Scriptura. Reſp. ad 2. de modo controverſiam eſſe inter auctores. Certum eſt non per ſolam voluntatem angeli ſuperioris inferiorem detineri, quia nihil voluntas vnius angeli in alterius voluntatem efficere poteſt. Conimbricenſes cenſent diſput. 6. de anima ſeparata a. 4. dub. 2. impetum patientis, quo ſe vellet ſubducere, & quaſi ſuffurari detinenti, retundi & hebetari per validiorem impetum detinentis. quæ hebetatio explicatur à Suare Granat. diſp. 18. Metaphyſ. ſect. 8. num. 38. quatenus angelus detinens fortior cùm ſit, niſum inferioris ad motum caſſum & inutilem reddit: vnde cogitur hærere. Valeſius cap. 41. ſacræ Philoſ. docet ad nutum ſuperioris angeli, Deum denegare concurſum alteri angelo ad motum & fugam; ſed hic modus non placet Theophilo Raynaudo qui priorem

probat, docétque probabiliſſimum eſſe, quòd mali angeli, quamvis interdum ſint bonis aliquibus angelis viribus ſuperiores, nunquam tamen eos per vim detineant, aut violentiùs moveant. Denique alii exiſtimant angelum ab angelo detineri per productionem vbi immobiliter loco affigentis. Quidni enim, inquiunt, ſicut plura vbi producit in angelo, eáque fluentia dum movet, poſſit vbi immobile producere, quo ipſum detineat?

Porrò in ſententia quæ docet, angelum eſſe in loco & moveri, quatenus operatur in loco, vel permanenter, vel ſucceſſivè, angelus propriè non movet aut detinet alterum, & alligat per phyſicam actionem: quare dum angelus diabolum alligaſſe dicitur, id factum moraliter duntaxat volunt per ſignificationem divini imperii efficacis.

Ex dictis facilè inferes, quomodo inter malos angelos, ſuperiores inferiores quaſi in excubiis aut cuſtodia alicujus loci deputent, & quaſi includant: vnde niſi permiſſu ſuperiorum exire queant.

## ARTICULUS III.

## *Quid agant angeli in naturam purè corpoream.*

ACTIO angeli in naturam corpoream fieri poteſt duobus modis, vel applicatione virtutis actuoſæ, vel aſſumptione corporis: quare duo hîc examinanda. Primum, quid angelus poſſit in naturam corpoream per virtutem ſuam actuo-

ſam, aut per motum localem. Secundum, an poſſit angelus aſſumere corpus. Sed quia hæc quæſtio jam profligata eſt diſp. 2. art. 1. §. 5. ſatis erit quæſtiones varias ſolvere de ſpirituum apparitionibus.

Rurſus cùm prima quæſtio duo includat, nempe poteſtatem angeli in naturam purè corporatam, & exercitium poteſtatis illius; circa vtramque multa examinari debent. Primum, an natura corporea angelicæ obediat, & quomodo. Secundum, quid poſſit angelus producere in materia. Tertium, ad quid vti actione formarum corporearum queat. Quartum, an & quomodo poſſit movere molem corporum. Quintum, an poſſit angelus vera miracula edere.

## §. I. *An natura corporea angelis obediat.*

HANC quæſtionem movet D. Thomas qu. 110. art. 1. vbi quærit vtrum creatura corporalis per angelos adminiſtretur.

Certum eſt naturam corpoream ſubeſſe naturæ ſpiritali, & per eam regi, ſi nomine naturæ ſpiritalis Deum intelligas. Ratio eſt, quòd natura corporata non temere & fortuitò, ſed propter finem agat: ergo debet moveri à fine vel immediatè, vel mediatè: at non poteſt moveri immediatè, quia finis movet ſecundùm eſſe intentionale, adeóque debet cognoſci formaliter vt finis eſt; ſola autem natura ſpiritalis cognoſcit finem formaliter vt finis eſt, quia ſola cognoſcit proportionem & habitudinem mediorum cum fine: ergo natura corporea non poteſt moveri à fine, niſi mediante natura ſpiritali, quæ à fine imme-

diatè mota, naturam corpoream moveat regatque.

Hoc argumentum, quod in Morali fuſiùs explicuimus, probat quidem naturam corpoream Deo ſubeſſe, tanquam principi cauſæ, vel tanquam primo motori: at non probat angelis neceſſariò ſubdi. quare ſit

UNICA ASSERTIO. Angelis ſubeſt natura corporea, ſeu quod idem eſt, natura corporea per angelos adminiſtratur. Ita D. Thomas q. 110. Probatur 1. auctoritate SS. Patrum; D. Auguſtini lib. 8. Geneſ. ad litt. c. 24. *Angelis & Deo ſubdita eſt omnis natura corporea*; Origenis hom. 14. in num. vbi ait opus eſſe mundo etiam angelis qui præſint; Damaſceni qui lib. 2. cap. 3. ait deſtinatos angelos, *vt certas quique terræ partes cuſtodiant, gentes & regiones tueantur.*

Probatur ratione. 1. Quia meliùs ſervatur ordo vniverſi in eo poſitus, vt pars inferior ſubſit ſuperiori per quandam connexionem & dependentiam ab illa: angelus eſt pars ſuprema vniverſi, eáque nobiliſſima: ergo congruum eſt cæteras partes inferiores, cujuſmodi ſunt corpora, ſubeſſe angelis, tanquam ſupremæ parti vniverſi, Hanc rationem aliis verbis proponit D. Thomas quæſt. jam citata, dum ait poteſtatem particularem gubernari & regi à poteſtate vniverſali, ſicut poteſtas ballivi gubernatur à poteſtate regis. Deinde ſubjungit virtutem corporis eſſe magis particularem, quàm virtutem ſpiritualis ſubſtantiæ, quia omnis forma corporalis eſt forma individuata per materiam, & determinata ad hîc & nunc; formæ autem immateriales ſunt abſolutæ & intelligibiles.

2. Quia vniverſum magis vnum fit, dum natura ſpiritalis creata cum corporali vnitur per actionem & motum, vt ipſam regat: non poteſt regi à ſpiritu humano ob nativam illius imbecillitatem: ergo debet regi à puro ſpiritu creato, hoc eſt ab angelo, cujus virtus indefeſſa.

Objicies: Sicut Deus omnia per ſe immediatè produxit, ita iiſdem immediatè providere debet: ergo angelis orbem non ſubjecit.

Reſp. diſt. Debet immediatè providere quoad ordinationem, concedo: quoad executionem, nego; executio enim hujus providentiæ, quam gubernationem appellamus, angelis eſt demandata, qui cùm inter creaturas ſupremum gradum obtineant, divinæ bonitatis fuit per eos hæc inferiora adminiſtrari.

Hactenus confecimus naturam corporatam angelis aliquatenus eſſe ſubjectam, adeóque ipſis vtcunque obedire. Sed examinandum ſupereſt, quàm latè pateat vis & poteſtas angeli in naturam corpoream; an ipſam regat ad nutum; vel, vt loquitur D. Thomas, an natura corporea angelo obediat ad nutum, tum quoad productionem rerum, tum quoad motum corporum.

## §. II. *Quid poßit angelus producere in natura corporata.*

I. OBSERVATIO. VIs effectrix angeli poteſt ſpectari vel per ordinem ad materiam, ex qua formæ ſubſtantiales educuntur, vel per ordinem ad qualitates quas producat, vel per ordinem ad corpora quæ moveat.

II. OBSERVATIO. Duplex qualitatis ſpe-

cies : altera qualitatum realium & phyſicarum, vt vocant Thomiſtæ ; altera qualitatum intentionalium : illæ ſunt qualitates materiales & concretæ, cujuſmodi ſunt qualitates tum primæ, tum à primis ortæ ; hæ ſubtiliores & à materiæ concretione liberiores, vt lumen : illæ ſunt elementorum propriæ, & materiam diſponunt ad formam ; hæ velut inſtrumenta à ſuperioribus corporibus inferioribus impreſſa.

Status quæſtionis eſt, an poſſit angelus aliquid moliri circa materiam, hoc eſt, formas ſubſtantiales ex ejus ſinu educere. Deinde ad quid vti poſſit actione formarum, ſeu an qualitates producere immediatè poſſit tum reales, tum intentionales.

I. Assertio. Angelus non poteſt per ſe & immediatè producere formas ſubſtantiales in materia, ſeu formas ſubſtantiales de potentia materiæ educere. Hæc aſſertio eſt omnium Theologorum contra Platonem, ex cujus mente ait D. Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei c. 24. angelos ex præjacente materia res corporatas produxiſſe, & contra quoſdam hæreticos, quorum Irenæus & Epiphanius meminere.

Probatur 1. auctoritate tum Scripturæ, quæ nullibi productionem ſubſtantiæ angelis tribuit, tum SS. Patrum, Auguſtini qui lib. 3. de Trin. c. 7. & 8. ait harum rerum materiam non obedire malis angelis ad nutum, quia non poſſunt ex ea facere quod volunt, ſed tantum quod in virtute rerum à Deo factarum continetur ; & lib. 11. de civit. negat angelos formare aliquam creaturam ; D. Leonis epiſt. 93. ad Turibium, vbi damnat Priſcilianiſtas qui aſſerebant angelos malos figu-

tare & efficere corpora humana in vteris mulierum, quibus præivit Ariſtoteles 7. Metaphyſicæ cap. 6.

Probatur ratione triplici. Prima petitur ab inutili: non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; natura enim abhorret à ſuperfluo: nulla eſt neceſſitas admittendi in angelis vim formarum ſubſtantialium effectricem proximam & immediatam: ergo, &c. Minor probatur: ad ejuſmodi formas ſubſtantiales producendas dantur aliæ cauſæ naturales in natura, quæ per ſe ſufficiant: ergo nulla eſt neceſſitas admittendi in angelis vim formarum ſubſtantialium effectricem. Certè vt natura in neceſſariis non deficit, ita nec amat ſuperflua; præſertim plures cauſas ſecundas & particulares toto genere diverſas, nec à ſe dependentes. Reſponderi poteſt huic argumento, vim illam angelis conceſſam non eſſe ſuperfluam, quia poteſt contingere vt aliæ cauſæ deſint: deinde modò vires non ſunt vnivocæ, vis quæ vni cauſæ ineſt, non vana eſt in altera; nam cælum poteſt producere multos naturales effectus, etiam vt cauſa particularis quæ in virtute aliarum cauſarum particularium continentur.

Secunda ex indole cauſæ ſecundæ naturalis petitur, quæ cùm finita ſit, non agit niſi per ſequeſtras qualitates, tanquam per inſtrumenta: v. g. ignis producit ignem per calorem & ſiccitatem, quæ ſunt principia actuoſa: anima rationalis per intellectum cognoſcit & per voluntatem vult: in angelis nulla eſt qualitas, ſeu facultas effectrix per ſe immediatè ejuſmodi formarum ſubſtantialium; ineſt enim illis tantùm potentia loco-motrix, quæ ad extra operetur, & cujus effectus ad-

æquatus eſt motus localis cum impetu. Si quis tamen contendat qualitatem tranſeunter activam angelo à Deo conceſſam, per quam ſubſtantia angeli ejuſmodi compoſita ſubſtantialia producat, difficilè poterit ab hac ſententia abduci.

Tertiam ſufficit D. Thomas q. 110. Si angelus immediatè produceret ſubſtantias corporatas ex præjacente materia, deberet ens continere eminenter, vel habere ſimilitudinem cum effectu in modo eſſendi, ſeu compoſitionis ex materia & forma: angelus nec continet eminenter ſubſtantias corporatas, nec ex materia & forma componitur: ergo non poteſt immediatè producere ſubſtantias corporatas.

Hæc ratio non caret etiam ſuis nævis; quidni enim angeli effectus aliquos creatos in ſe eminenter contineant; deinde Deus, licèt ſimpliciſſimus omniſque compoſitionis expers, tamen compoſitas ſubſtantias producit: quare ſit

Quarta ratio ex ſubordinatione rerum petitur, quam ſic informo. Ratio concentûs vniverſi poſtulat, vt ſubſtantiæ ſpirituales creatæ ſuperioris ordinis, non aliter ſe immiſceant cauſarum inferiorum effectibus, quàm applicando potentias & facultates earumdem: ergo ſatis eſt ipſis ineſſe potentiam motricem quâ conferant ad inferiorum cauſarum applicationem pro exigentia ipſarum.

Objicies 1. Angeli ſunt excellentioris naturæ quàm formæ materiales: ergo continent eminenter formas materiales, quas proinde producere & è ſinu materiæ extrahere poſſunt. Probatur conſequentia: forma perfectior continet eminenter formam imperfectiorem: ergo angeli conti-

nent eminenter formas imperfectiores, cujuſmodi ſunt formæ materiales.

Reſp. dato primo antecedente, nego conſequentiam. Ad probationem, nego antecedens, ſi univerſim ſumitur; nam formæ vegetabilium non continent eminenter formas inferioris gradus: v. g. auri aut argenti; nec formæ ſentientes continent eminenter vim actuoſam formarum vegetantium, nec anima rationalis brutorum animas: ergo nec angeli, licèt ſuperioris gradûs ſint, continent formas inferiores.

Objicies 2. Ad eductionem formæ ex materia, non requiritur virtus infinita: ergo poteſt dari angelo

Reſp. 1. dato antecedente, nego conſequentiam. Poteſt enim illa repugnantia ex aliis principiis oriri, quod ſatis eſt ad aſſertionis veritatem. 2. Diſt. ant. Ad eductionem formæ ex materia non requiritur virtus infinita, ſi illa eductio fiat modo connaturali & corporibus accommodato, eſto: ſi fiat modo quodam ſuperiori & intellectuali, nego.

Inſtabis 1. Quamvis cælum ex ſubſtrata materia aliud cælum educere non poſſit, poteſt tamen alias formas inferiores ex ejuſdem materiæ ſinu producere: ergo & angelus.

Diſpar ratio eſt, quod cæli corporei cùm ſint, proportionem habeant cum formis ſubſtantialibus corporeis, adeóque per ſuas formas inferiores aliquas etiam materiales eminenter contineant. Non item angeli.

Inſtabis 2. Angelus eſt medius inter Deum & naturas corporatas: ergo debet vtriuſque extremi virtutem participare: at Deus poteſt producere

formas materiales, perinde ac ſubſtantiæ purè corporatæ: ergo & angelus. Deinde formas ſubſtantiales corporatas ex materia educere vel perfectionis eſt, vel imperfectionis. Si primum, cur poteſt natura corporea, non angelus? Si ſecundum, cur Deus habet virtutem illam, quæ imbecillis per ſe eſt?

Reſp. 1. Licèt angelus Deum inter & naturam corpoream medius ſit, non ideo tamen debere vim utrique extremo communem eodem modo participare, ſed ſatis eſſe ſi aliquatenus participet, poſſitque ſaltem mediatè applicando activa paſſivis ad eductionem formarum concurrere. Deinde vis producendæ cujuſlibet ſubſtantiæ Deo convenit ob ſummam & illimitatam perfectionem: naturæ autem corporatæ, quia defectibilis eſt & corruptioni obnoxia: at angelus deficit à perfectione divina, quia eſt ens creatum, adeóque limitatum & expers eſt imperfectionis corporeæ, quia ex natura ſua deficere non poteſt.

II. Assertio. Angelus non poteſt per ſe & immediatè producere in materia qualitates reales, nec alterare corpora.

Probatur iiſdem ferè argumentis, quibus jam confecimus non poſſe immediatè formas ſubſtantiales è ſinu materiæ educere. Nam 1 ejuſmodi qualitates diſponunt materiam ad formam ſubſtantialem, quarum ſunt inſtrumenta & quaſi rudimenta: ergo ſunt ejuſdem ordinis ac formæ ſubſtantiales, quibus materiæ ſinum adornant: ergo non eas in ſe angeli continent perinde ac formas ſubſtantiales: ergo nec immediatè producere valent.

2. Si angelus poſſet producere immediatè qualitates reales & materiales, poſſet per eas materiam diſponere & præparare ad receptionem formæ ſubſtantialis, etiam rationalis: ergo poſſet animam rationalem jam ſeparatam, iterata diſpoſitione ſubjecti, corpori vnire; & ita rueret miraculum reſurrectionis.

III. Assertio. Angelus non poteſt producere propria virtute qualitates materiales intentionales, cujuſmodi ſunt lumen & ſpecies.

Probatur 1. quia ejuſmodi qualitates non producuntur, niſi per eductionem è ſubjecto, adeóque eminenter aut formaliter contineri debent in cauſa principe, à qua per ſe proximè fiunt: qualitates intentionales nec eminenter, nec formaliter continentur in angelo: ergo non poteſt illas propria virtute producere.

Confirmatur: quia illæ qualitates ex peculiari quadam ratione certam cauſam efficientem depoſcunt, à qua emanare debeant. Certè ſpecies intentionales ſunt objecti repræſentativæ, à quo proinde exprimi eaſdem neceſſe ſit, & lumen è corpore luminoſo jugiter fluit, & ita pendet, vt eo ſublato, ſtatim deſinat.

Probatur 2. quia abſurdum eſt dicere, quòd angelus poſſit per ſe illuminare aërem citra influxum corporis luminoſi; ſpecies viſibiles & audibiles producere ſine objecto in aëre, ſpeculo & objecto, aut efficere ſonum ſine aëris percuſſione: at

Objicies contra vtramque aſſertionem. 1 Lumen nihil aliud eſt quàm motus. 2. Si ponantur elementa incorruptibilia, omnes formæ tum ſubſtantiales, tum accidentales nihil erunt præter

varias mixtiones primorum corporum, quæ ſunt quatuor elementa: at mixtio illa fieri poteſt ab angelis per motum localem: ergo, &c.

Reſp. ſi ſententia vtraque vera foret, nihil repugnare cur angelus non per ſe producat lumen, cùm ſit tantùm motus localis: aut alias formas inanimatas, cùm ex mixtione pura elementorum reſultent: at vtramque ſententiam jam evertimus in Phyſica tum vniverſali, tum particulari. Porrò boni angeli dicuntur ſpiritus lucis, quia vt plurimùm apparent lucidi, ſive quòd aſſumant corpus lucidum, ſive quòd ſpiritus animales qui lucidi ſunt, vt aliàs oſtendimus, ſenſibus ipſis inexiſtentes commoveant intus & agitent, qui ab humoribus craſſioribus expediti, lucere incipiunt in actu ſecundo, cùm antea eſſent tantùm lucidi in actu primo: vnde apparentia illa luminis ſæpius vel imaginaria, vel ſenſualis eſt.

IV. ASSERTIO. Angelus non poteſt producere ad extra per ſe & propria virtute vllum accidens præter vbi, motum localem & impetum.

Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperioribus: tum quia accidentia corporata & realia à cauſis materialibus, quarum in virtute continentur, próduci tantùm poſſunt: tum quia intentionalia nonniſi ab objectis, vel à cauſa quæ ipſa eminenter contineat, cujuſmodi eſt Deus, vel certè ab intellectu agente ſeu poſſibili, ſed immanenter efficiuntur. At

Dices: Quidni angelus corpora tanquam inſtrumenta per impreſſionem qualitatis intentionalis ad agendum ſupra vim nativam corporum elevent?

Reſp. 1. quia nullum datur principium in angelo productivum illius qualitatis; agit enim tantùm ad extra per potentiam motricem; cujus effectus adæquatus eſt motus localis, vbi & impetus. 2 quia angeli eſſent cauſæ principales ejuſmodi effectûs: corpora enim agerent per qualitatem inſtrumentariam ab angelo ſibi communicatam, quod tamen negant fautores illius qualitatis. 3. quia elevatio quæcumque illa ſit, fieri poteſt ab angelis, applicando activa paſſivis, vt mox oſtendam.

V. Assertio. Angeli poſſunt nativa virtute efficere, mediante motu locali, ſeu applicando activa paſſivis, quidquid per cauſas naturales fieri poteſt, modò non turbetur ordo vniverſi. Ita D Thomas quæſt. 100. a. 2. ad 2. & 3. & art. 4. ad 2. 3. & 4.

Probatur: quia angeli vtriuſque Philoſophiæ tum ſpeculativæ, quæ rerum naturalium indagatrix, tum practicæ, quæ tota eſt in condendis artificiosè operibus, peritiſſimi ſunt; & aliunde vi multa pollent ad movenda corpora: ergo ſingulari ſolertia & artificio cauſas ſecundas miſcere inter ſe ac temperare poſſunt, quia virium illarum ſcientiſſimi, & celerrimè applicare ad invicem, quia ad movendum potentiſſimi: ex qua deinde contemperatione & applicatione effectus præter morem conſuetudinemque communem oriantur. Sed de his mox fuſiùs.

Multa inferuntur ex dictis. 1. Non poſſunt angeli corpus humanum, ſeu hominem convertere in beſtias, viciſſimque beſtias in hominem; aliàs enim producerent phyſicè & immediatè tum formas ſubſtantiales, tum qualitates reales, quod

repugnat primæ & ſecundæ aſſertioni, hinc tranſmutationes ſtrigum in formas luporum, bufonum aliorumque id genus brutorum, non veræ converſiones ſunt, ſed apparentes duntaxat & fictitiæ.

2. Non poſſunt quoque movere ſenſus ſive internos, ſive externos, imprimendo immediatè ſpecies ſenſibiles iiſdem. Patet ex aſſertione tertia.

3. Non poſſunt vllam novam rei cujuſlibet ſpeciem effingere in imaginatione animalium, niſi quæ poſſit ex aliis ſpeciebus præexiſtentibus, & in ſenſu interno reſidibus variè inter ſe compoſitis, ſpirituum animalium commotione oriri. Patet quoque ex aſſertione tertia.

4. Natura corporea non obedit angelis ad nutum. Sequitur ex tribus primis aſſertionibus; nam obedire tum natura dicitur ad nutum alteri, cùm ita ei ſubjicitur, vt ex iis quorum recipiendorum eſt capax, poſſit accipere quidquid libuerit dominanti. Dixi quorum recipiendorum ſit capax; obedientia enim debet dirigi ſapienter à prudentia imperantis juxta capacitatem, ſeu poteſtatem obedientis: ſic manus obedit ad nutum voluntati, quia ei obſequitur ad nutum imperanti motum, cujus eſt capax: at angeli non poſſunt materiam reducere in actum formæ ſubſtantialis, aut etiam accidentalis, ſi motum, vbi & impetum excipias: itaque natura non obedit angelis ad nutum. Rationem reddit D. Thomas q. 100. a. 2. in corpore. *Manifeſtum, inquit, quòd quod factum eſt ſimile facienti, quia omne agens agit ſibi ſimile. Et ideo quod facit res naturales, habet ſimilitudinem cum compoſito, vel quia eſt com-*

*poſitum, ſicut ignis generat ignem: vel quia totum compoſitum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam, eſt in virtute ipſius quod eſt proprium Dei: ſic igitur omnis informatio materiæ vel eſt à Deo immediatè, vel ab aliquo agente corporali, non autem immediatè ab angelo.*

## §. III. *Quid poſſit angelus circa corpora per motum localem.*

TRIPLEX hujus quæſtionis ſenſus eſſe poteſt. Primus, an angelus poſſit movere localiter corpora. Secundus, quænam corpora movere queat, attenta præcisè virtute propria. Tertius, quænam poſſit movere, ſpectata ordinatione Dei mundum regentis.

I. ASSERTIO. Angeli poſſunt movere corpora. Probatur 1. ex Ariſtotele qui 12. Metaph. tex. 44. cælos moveri ab intelligentiis pugnat. 2. Probatur ex Scriptura, in qua angeli dicuntur apparuiſſe Abrahæ, Geneſ. 18. Loth Gen. 19 & Raphaël B. Virgini & quidem ſpecie viſibili: ergo angeli poſſunt movere corpora. Præterea angelus tulit Habacuc in Babylonem vſque ad lacum leonum: dæmon Chriſtum aſſumpſit & tranſtulit à deſerto vſque ad pinnaculum Templi, & inde in excelſum montem. Denique Luc. 8. Chriſto permittente, dæmones porcos ingreſſi, eos in ſtagnum egere præcipites, & arreptitii variè agitantur, & contorquentur à dæmonibus.

Probatur 3. ratione: 1. quia anima rationalis movet corpus quod informat: ergo & angelus poteſt movere corpus. 2. quia angelus eſt pars vniverſi: ergo debet vniri cum aliis mundi par-

tibus; quæ omnes inter ſe connexæ & rite diſpoſitæ ſunt, vtpote opus ſapientiſſimi artificis: ergo vel actione ſubſtantiali, vel alterativa, vel motu locali: non actione ſubſtantiali, aut alterativa, vt ſuperiori paragrapho oſtendimus: ergo ſolo motu locali quo cieat & agitet corpora. Certè par fuit mundum à Deo per angelos adminiſtrari: non poteſt alia ratione commodiùs adminiſtrari per angelos, quàm ſi moveant localiter corpora; præſertim cùm motus localis minus quàm cæteri motus, mobile tranſmutet, ex Ariſtotele, quippe qui non variet ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm qualitates, ſed ſecundùm modum qui ad ſenſum non apparet.

II Assertio. Difficillimum eſt certò definire quid angeli per potentiam abſolutam poſſint, & I. eo prohibente, non poſſint Probatur ex D. Aug. lib. 3. de Trinit *Quid autem poſſint per naturam, nec poſſint per prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur, homini explorare difficile eſt, imo verò impoſſibile, niſi per illud donum Dei, quod Apoſtolus commemorat dicens: Alii dijudicatio ſpirituum. Novimus enim hominem poſſe ambulare, & nequaquam hoc poſſe, ſi non permittatur: ſic & illi angeli quædam poſſunt facere ſi permittantur ab angelis potentioribus ex imperio Dei; quædam verò non poſſunt, etiamſi ab eis permittantur, quia illa non permittit à quo illis eſt talis naturæ modus, qui etiam per angelos ſuos & illa plerumque non permittit, quæ conceſſit vt poſſint.*

III. Assertio Probabiliùs angelus, ſi agat tota ſua virtute & abſoluta potentia, poteſt corpora inſanæ molis localiter movere. Pro-

batur, quia in angelo, cùm ſpiritus purus ſit, vis maxima reſidet, & aliunde ſuperioris eſt ordinis ad naturam corpoream, ac proinde inter vim illius motricem, & molem corporis movendi non eſt proportio æqualitatis, qualis eſt inter ſubſtantiarum corporearum vim motricem & corpora mobilia; hinc poteſt angelus, ſi naturæ ſuæ permittatur, graviſſimas corporum moles celerrimè movere, animalia occidere, arbores radicitus evellere, montes transferre, fluviorum & maris inundationes facere. Ne tamen eorum potentiam ideo infinitam putes, ſed ſuperioris tantùm ordinis.

IV. Assertio. Angelus, vt ſubeſt Deo gubernanti, multa non poteſt, quæ poſſet potentia abſoluta. Patet aſſertionis veritas ex D. Auguſtino jam citato, qui lib. 3. de Trinit. cap. 9. hanc rationem reddit cur ſciniphes magi Ægyptiaci ope dæmonis efficere non potuerint. *Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutiſſimas muſcas, qui ranas ſerpenteſque fecerunt, niſi quia major adera dominatio prohibendi per Spiritum ſanctum: quod etiam ipſi magi confeſſi ſunt, dicentes: Digitus Dei eſt hîc.* Probatur ratione, quia angelus, & creatura eſt & pars vniverſi: vt creatura, debet parere Deo: vt pars vniverſi, non poteſt plus ipſo toto, cujus bono ſervire debet: ergo angelus multa non poteſt efficere per potentiam motricem, vt ſubeſt Deo mundum gubernanti, quæ poſſet potentia abſoluta.

V. Assertio. Angelus non poteſt ſubſtantialem hujus vniverſi ſtatum deſtruere, aut eſſentialem rerum naturalium ſtatum immutare. Ita Philoſophi & Theologi, Suares Gran. in Me-

taph. diſp. 19. ſect. 1. c 27. num. 6. Guillelm. Pariſ. in 2. part. de vniverſo. Delrius lib. 1. & 2. diſquiſit. Mag. Probatur: quia angelis, vt mutarent ordinem vniverſi, aut ſtatum deſtruerent, quædam peragenda eſſent, quæ ſuperarent vires naturæ creatæ, aut certè conſtitutum à Deo ordinem eſſentialem & legem immutarent: neutrum fieri poteſt ab iis, quia & creaturæ ſunt & partes vniverſi: nec aliunde Deus ipſis, ſed ſibi vni & auctori naturæ vniverſalem mundi ordinem ſubjecit, cujus eſt duntaxat legem mundi vniverſalem figere ac refigere, vt obſervat Auguſtinus lib. 3. de Trinit. c. 9. *Aliud eſt*, inquit, *ex infimo ac ſummo cauſarum cardine condere atque adminiſtrare creaturam, quod qui facit, ſolus creator eſt Deus.*

Hinc 1. Angelus non poteſt vacuum inducere, quia perturbat ordinem vniverſi, nec penetrationem corporum efficere, nec ſiſtere cælum aut curſum ſolis vel aſtrorum perturbare, aut terram vniverſam ad cælum attollere, aut integrum deſtruere elementum: nec actionem agentis naturalis proximè & directè impedire, quod Deus præſtabat in martyribus, dum aderant omnia requiſita, ſed indirectè tantùm & mediante medicina, vel contrario: nec lumen præſentis ſolis ſine medio intercipere, nec cæleſtes influxus impedire: quare lunæ detractio ex ſuo loco apud veteres tantopere celebrata, inſtar fabulæ eſt. Poteſt tamen angelus terræ motus efficere, tempeſtates ciere, tonitrua & fulgura excitare: vnde à Paulo dæmones dicuntur principes aëris hujus: ſic Tartari tenebras & nebulas inducunt cùm lubet, teſte Paulo Veneto:

Lapitæ & Finni ventos vendunt, & rex Succiæ Henricus in eam partem vertebat ventum in quam pileum ſemel verterat. 2. Angelo natura corporata non obedit ad nutum, quia & motus multi ſuperant vires naturæ creatæ, & ordinem vniverſi eſſentialem perturbant qui Deo vni ſubeſt.

## ARTICULUS III.

## *Quid poſſit angelus in hominem.*

HOMO cùm mundi ipſius quoddam compendium ſit, quæ in aliis naturis diſperſa ſunt, in ſe mirabiliter colligit vniverſa, nempe corpus, animam, & quidem virtualiter triplicem, ſenſus tum externos, tum internos, & potentias ſpiritales, nempe intellectum & voluntatem. Quare examinandum hîc, quid poſſit angelus in hominis corpus, & quà vegetans, & quà ſentiens: deinde quid in ipſam animam, quà rationalis eſt, tum in ſtatu conjunctionis, tum in ſtatu ſeparationis: vnde pronum erit definire, quid poſſit in brutas animantes.

### §. I. *Quid poſſit angelus in corpus hominis, quatenus vegetans eſt.*

UNICA OBSERVATIO. VITÆ vegetantis triplex actus, nutritio, accretio & generatio. Affectio item triplex, nempe ſanitas, morbus & mors. Breviter hîc diſcutio, quæ ſit vis & poteſtas angeli circa ejuſmodi actus & affectiones.

I. ASSERTIO. Poteſt angelus corpus nutri-

re & augere, ſi nutritio & augmentatio materialiter & entitativè ſumuntur : ſecus ſi formaliter.

Probatur prima pars : Quidni enim poſſit angelus pabulum nutriendo corpori maximè idoneum viventi admovere, ipſamque vim nutrientem ſublatis impedimentis, aut applicatione alicujus extrinſeci vegetiorem reddere : vnde nutritio melior, & accretio major fiat & celerior.

Probatur ſecunda, quia ejuſmodi actus formaliter ſumpti ſunt actus vitales, qui vt tales, debent prodire à vivente vt à principio intrinſeco, & per potentiam internam operante.

II. Assertio. Angelus poteſt efficere, vt homo nullo cibo ad aliquod tempus ſumpto vivat. Probatur, quia poteſt vim caloris inhibère ac retundere, ita vt animal ad longum tempus omnis cibi expers vitam proroget : putà vel applicando frigida, vel humores viſcidos & tènaciores è toto corpore colligendo, qui deinde cedant calori in pabulum. Qua ratione glires mediam brumalem ſuperant, teſte Philoſopho lib. 8. hiſt. c. 14. & 17. vel cibos quoſdam ſubtilioris & excellentioris naturæ ſufficiendo, vt refert D. Proſper lib. de dimid. temp. c. 2. hinc & mortem animalis differre poteſt ; nam ſi arte medica humores noxii poſſunt educi, & activa inſignia admoveri, quod præſtat in pueris aridis, dum eos bonæ temperiei reſtituit ; quantò magis angelus qui vim activorum & paſſivorum apprimè novit, idem præſtabit ? Quin etiam non deſunt qui pugnent induſtria intelligentiæ, ſi Deus ſinat, vitam poſſe perpetuari. Et verò, ſi vis arboris vitæ fuit naturalis, vt cenſet Delr. 2.

mag. quæſt. 23. Quidni poſſit intelligentia ejuſmodi fructûs, aut alterius ſimilis operâ, ſenium adimere, & diſpendium ſarcire? quidni & conſervare jugiter temperiem retinendæ animæ in corpore idoneam? Non tamen id Deus permittit, quia ſtatutum hominibus ſemel mori; hinc Tertull. cap. 50. de anim. *Nec magia tantùm dabit quis quàm vt eximat mortem, aut repaſtinet vitis modo vitam, ætate renovata.*

III. Assertio. Angelus poteſt actiones vitæ vegetantis impedire. Probatur, quia impedimenta illa non ſuperant vim motricis potentiæ & applicationem activorum idoneorum: ergo poteſt angelus illa impedimenta inducere. Deinde poteſt diſturbare temperiem nutritioni opportunam, morboſque conciliare ſanè graves, quibus nutritio & accretio corporis præpeditur.

IV. Assertio. Angelus, præſertim malus, poteſt, aſſumpto ſemine idoneo, & in vterum tranſmiſſo, perfectum animal generare. Ita omnes fere Philoſophi & Theologi. Ita Thyræus lib. 1. de apparit. ſpirit. c. 10. Valeſ. c. 8. hierophyſicæ. Delr. 2. mag. q. 15. Auguſt. lib. 15. de civit. cap. 23. qui ait hoc ita conſtare apud omnes, vt hoc negare impudentiæ eſſe videatur, idque probat experimento Silvanorum & Faunorum, quos vulgo dici incubos refert. Probatur: poteſt enim dæmon ſemen verum ex vivente deciſum celerrimè transferre in locum naturalem, & inſitos eidem ſpiritus, quibus ineſt vis generandi, ita fovere ac retinere, vt nihil eorum effluat. quo in caſu cùm eædem cauſæ quæ ad naturalem generationem ſufficiunt, adhibeantur, ſi applicantem excipias, vtique effectum ſortiri

ſuum poterunt. Sed tunc fructus inde naſcens non aliter tribuitur dæmoni quàm fructus arboris olitori & meſſis agricolæ. Hinc dæmonibus incubis natales Hunnorum tribuit Jordanis in hiſtor. Gothica. Idemque de Faunis, Silvanis, Satyris aliiſque id genus, qui deorum filii falsò crediti ſunt, cenſet Picus 4. de prænot. cap. 4. Hac de re plura vide apud Theophilum Raynaudum diſt. 4. qu. 8. a. 3. de vi intell. quoad vitam vegetantem, & apud Thyræum loco citato: at

Quæres, an dæmon, licèt ſemen in locum naturalem non tranſmittat, poſſit ita fovere impedito ſpirituum effluxu, & calore eorum rite conſervato, vt ex eo animal procreetur. Reſp. id juxta Ferarii & Delrii mentem fieri non poſſe, quia ſpiritus à dæmone non poſſunt ita foveri extra locum naturalem & aſſervari, quin magna pars eorum diffluat. Alii hanc rationem reddunt, quòd ſpecialis virtus animæ & materni vteri ad perfecti viventis generationem requiratur. Prima ratio non probatur Theophilo Raynaudo: *Quidni enim*, inquit, *per motum localem ſpirituum diſſipationem inhibeat dæmon.* Secundam verò refutat ex eo quòd pulli in Ægypto ad Cairum ad Furni calorem, matre non incubante, excludantur. Negat tamen hanc vim, ſi dæmoni inſit, ad actum reducendam, quòd operoſiſſimum ſit tandiu fovere ſpiritus illos genitales extra naturalem ſeminis ſedem. Ego in partes Ferarii & Delrii vltro abeo, præſertim ſi ſermo ſit de generatione hominis, qui cùm ſit perfectiſſimum vivens, exquiſitiſſimum apparatum ad ſui generationem requirit: quare ſi quæ proles hac ratione viſa ſit procreari, dicendum eſt vel furto abreptam & ſup-

poſititiam fuiſſe, vel certè dæmonem ſe infantem ſimulaſſe; hinc

Inferes dæmoni deeſſe vim conficiendi ſeminis per applicationem idoneorum activorum ad paſſiva, ex quo poſtea fœtum progignat.

V. ASSERTIO. Angelus poteſt ſanitatem reſtituere & morbos conciliare. Patet prima pars: novit enim intelligentia vim & efficientiam cujuſlibet remedii naturalis, & per motum naturalem applicare poteſt: ergo poteſt ſanitatem reſtituere, quæ naturalibus medicinis procurari ſolet. Duo tamen obſervat S. Irenæus 2. contra hær. cap. 56. vnum quidem, quòd vbi agitur de confirmatione alicujus veritatis per prodigium, à Deo dæmones compeſcantur, ne populos in errorem inducant.: alterum, quòd ſanitas ope & induſtria malignorum ſpirituum obtenta, præter quam quòd non ſine gravi ſcelere patretur, rurſus cum magno auctuario amitti ſoleat. Ut meritò Auguſtinus de civit. Dei cap. 24. dixerit *dæmones beneficia præſtando, eſſe magis nocentes, quia magis decipientes.* Conſentit Auguſtino doctiſſimus Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſis c. 16. *Vt autem magicis artibus, dæmon non res ipſas, quippe quas generare non poſſit, ſed ſolas rerum ſpecies & ſpectra quædam exhibet, quibus hominum mentes quaſi præſtigiis illudat, & oculorum acies perſtringat, ita & in his quæ ad medendi vſum accommodantur, nec certa, nec tuta, ſed fallax, captioſa & periculoſa eſt ſanatio. Vidi ſcripta chartula collo ſubnexa, univerſi corporis icterum nocte detergeri. Vidi & febres verbis, cæremoniis quadantenus profligari, ſed quæ mox ſimiliter aut multò deteriùs recurrerent. Poteſt quidem dæmon quoſ-*

*dam integrè perſanare, at tantum beneficium in hominem, quem perpetua conſectatur invidia, conferre haud quaquam velit.* Hinc cùm Arnobius lib. 1. num. 34. poteſtatem dæmonibus reſtituendæ ſanitatis abjudicat, de iis potiſſimùm morbis intelligi debet, quæ naturalibus remediis abigi non poſſunt, cujuſmodi ſunt, ſurdis auditum, cæcis viſum, mortuis vitam reddere. *Permittunt*, inquit, *uni ex populo in officium ſermonis dandi, ora dearticulare mutorum, ſurdorum auriculas reſerare, ſine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas, & in frigentia olim membra ſenſus animaſque reducere. Quidquid malefici graminis nutricant terrarum ſinus, quidquid virium continet fremor ille verborum, atque adjuncta carminum neceſſitates, non invidemus, adjiciant; non interdicimus, colligant. Experiri libet & recognoſcere, an cùm ſuis efficere diis poſſint, quod ab ruſticis Chriſtianis, juſſionibus factitatum eſt nudis.* Certè Lactantius 2. Inſtit. c. 8. & Arnobius lib. 7. narrant Tiberio Attinio homini plebeio ablatam ſubitò & redditam ſanitatem; hinc

Exiſtimo ſæpe ope boni angeli morbos eos curari, qui vires naturæ non ſuperant; in iis præſertim qui erga bonos angelos piè affecti ſunt.

Probatur ſecunda pars: Poteſt angelus temperiem corporis, tum locali humorum tranſpoſitione invertere, tum adhibitis principiis corrumpentibus depravare, vnde intemperies exiſtat, & ex intemperie morbus. Primum præſtat per motum localem: ſecundum, per applicationem activorum idoneorum ad paſſiva.

Confirmatur: Omnis morbus vel ſimplex, vel compoſitus. Rurſus ſimplicis morbi genus triplex.

Primum

Primum ex intemperie & mala complexione; ſecundum ex mala conformatione partium; tertium ex vnitatis ſolutione: vis quippe actuoſa corporis pendet vel à debita temperie organi, vel à proportionata inſtrumenti quantitate, numero, formatione aut ſitu, vel ab vnitate naturali partium corporis inter ſe; adeóque tum morbus ſimplex corpus invadit, cùm nativa temperies à proportione actioni naturali debita deficit, vel partes quantitate, numero, figura aut ſitu errant, vel certè vnitas partium diſrumpitur: vnde conſequens illud eſt triplex genus morborum ſimplicium, primum ex intemperie, ſecundum ex mala conformatione partium, tertium ex ſolutione vnitatis exiſtere, ex quibus innumerabiles differentiæ & ſymptomata pendent. At angelus poteſt hæc omnia morborum genera inducere applicatione activorum ad paſſiva, & motu locali ſeu tranſlatione humorum.

Et verò morbum ex intemperie inductum à dæmone probat, Luc. cap. 9. vir ille qui à dæmonio pridem vexabatur, & maniâ laborabat, quæ ex calida cerebri intemperie oritur. Probat & Saül, 1. Reg à malo ſpiritu agitatus & melancholiâ affectus, quæ è ſicca cerebri intemperie oritur. Morbum autem ex compoſitione vitiata arte dæmonis ſibi illatum ſenſere tum puer, Marc. cap. 9. qui ſpumabat, ſtridebat & epilepſiâ laborabat; tum mulier quæ 18. annis convulſione ſpinæ, teſte Luca c. 13. cruciabatur, adeóque retractionem nervorum involuntariam patiebatur, quæ affectio eſt morbus malæ compoſitionis. Denique morbos in ſolutione vnitatis poſitos arte dæmonis ſibi illatos Jobus tot vlceribus ſcatens, ſurdi

& cæci quos Chriſti manus piiſſima ſanavit, experti ſunt.

Hinc fortè, vt obſervat Joannes Lazarus Gutierius, Doctor medicus, epilepſiam morbum ſacrum vocavit antiquitas, quòd eam à probroſo dæmone illatam crederet; ipſeque princeps Arabum medicorum refert ex veterum medicorum opinione, à procace diabolo ejuſmodi morbum induci ſolitum. *Et quibuſdam*, inquit, *medicorum viſum eſt quòd melancholia contingat à dæmonio*. Fen. 1. t. 4. c. 18.

Jam quòd morbos compoſitos inducere poſſint angeli, probant tot morbi contagioſi, peſtilentes & maligni ſæpius à dæmonibus in orbem invecti: at

Quæres, an morbos liceat opera dæmonum curare. Reſp. nullatenus licitum eſſe.

Ratio redditur à D. Thoma 2. 2. q. 96. a. 2. ad 3. *Ad tertium dicendum, quòd ad Dominum divinæ majeſtatis pertinet, cui dæmones ſubſunt, vt eis vtatur Deus ad quodcumque voluerit; ſed homini non eſt poteſtas ſuper dæmones commiſſa, vt eis licitè poſſit vti ad quodcunque voluerit, ſed eſt ei contra dæmones bellum indictum: vnde nullo modo licet homini dæmonum auxilio vti per pacta tacita vel expreſſa.*

VI. Assertio. Angelus non poteſt propriis viribus hominem mutare in beſtiam, & viciſſim, nec animal perfectum ſemel extinctum vitæ reſtituere.

Probatur prima pars, 1. ex D. Auguſtino qui lib. 18. de civit. Dei cap. 18. expreſſè negat, dæmonem poſſe homines in beſtias verè transformare; & ex Concilio Ancyrano cap. *Epiſcopi*. 27.

qu. 5. Ratio eſt, quòd corpus inſtrumentum animæ ſit. Ut enim artifex inſtrumentis eget ad opus idoneis, vt faber ſecuri & nauta remo; ſic animus aptum ſibi & accommodatum corpus requirit, in quo ſit & facilè operetur: ergo anima materiam prærequirit certis inſtructam organis, ne in corpore otietur: at corpus humanum non habet organa ad animæ leoninæ functiones accommodata, ac proinde non poteſt anima leonina vlla virtute creata corpus humanum ſubire, vt ipſum informet, & in eo operetur; hinc

Si magus aut ſaga ſub ſpecie leonina aut lupina apparet, id fit vel ob corpus ex aëre aſſumptum, vel quòd pellem leoninam ſibi ſagiſve injiciat, vel quòd illudat ſenſibus, ipſaque vis imaginatrix læſa ſit; hinc quæ à Poetis aut prophanis auctoribus de converſione lapidum in homines, aut hominum in lupos, aſinos, cervas referunt, pro fabulis haberi debent Poteſt tamen dæmon ſimulare converſionem hominis in lupum, perinde imaginationem illius commovendo, ac morbus melancholicus qui à Græcis λυκανθρωπία appellatur; ita vt lupi ſibi eſſe videantur, in homines juxtà & oves graſſentur lupi in morem, aut ſaltem ſe graſſari putent. Certè lycanthropia morbus eſt, qui vitiata bili atra, ingenerat mores lupinos, & odium in oves: vnde tali morbo correptus, lupi in modum eaſdem invadat ac diſcerpat. Quòd ſi homo lupina pelle circumtectus, aut aëreo corpore lupi formam referente, vulneretur, vulneris cicatrix in ipſo perſeverat, cùm lupinam figuram depoſuit. Quin etiam interdum ipſe dæmon, ſopito alicubi ly-

canthropo, in morem lupi ſævit interdum, ſi vulnere appetitur, tunc infligit lycanthropo vulnus quod accepiſſet ipſe, ſi affuiſſet, vt teſtatur Guill. Pariſ. 3. 2. de Univerſ. c. 13.

Probatur ſecunda pars: 1. de perfectis animalibus brutis, in quibus perit anima, nec vnquam eadem quibuſcunque poſitis diſpoſitionibus reviviſcit. Multò minùs quoque in homine, quia perfecta organizatio & temperies ad corpus humanum formandum requiſita, vim actuoſam angeli ſuperat, nec per agens vllum naturale abſque ſeminali virtute in qua vis eſt ſtupenda, induci poteſt. At

Dices: Dæmon abſque ope ſeminis poteſt arte mirabili quâ pollet, formam argillaceam ſpecie hominis ita aptè & concinnè configurare, vt in eam anima induci neceſſariò debeat; nam illa conformatio non ſuperat artem & induſtriam angeli, quia motum localem tantùm requirit. Deinde novit apprimè dæmon illam qualitatum temperiem, quæ ad animationem illius maſſæ exigitur, poteſtque applicando activa paſſivis eandem inducere. Jam verò illa temperie inducta, forma præexiſtens deſtruitur, adeóque ne materia vacua omni forma maneat, anima rationalis ad quam illa temperies proximè diſponit, à Deo ad exigentiam ſubjecti creabitur, aut certè aliqua ex jam productis ſubibit & animabit illam maſſam.

Reſp. 1. cum Thephilo Raynaudo, licèt angelus applicando activa paſſivis, poſſit quodcunque vivens materiale producere; tamen ex quo nexus animæ cum corpore ſolutus eſt, ſive anima perierit, ſive periſtet, non poſſe angelum

ita materiam diſponere, vt hæc potiùs numero anima, quàm illa materiam illam ſubeat. Sed Deus qui amat fœcunditatem ſuam prodere, ideóque decrevit nullum individuum, quod ſemel extinctum ſit, ad vitam revocare, ad aliam ejuſdem planè ſpeciei formam numero diſtinctam producendam determinabit; & ita animal inde enatum, non erit illud ipſum quod priùs vixerat; ſed aliud, ſpecie quidem ſimile, at numero planè diſtinctum.

Reſp. 2. ad hominem quod attinet, non id poſſe fieri, tum quia illa conformatio partium & qualitatum temperies ad vnionem animæ requiſita non eſt in poteſtate angeli ob rationem modò allatam: tum quia poſſet dæmon cadaver recèns mortuum & extinctum rurſus animare, & quidem faciliùs quàm maſſam ex argilla in formam hominis effictam vita donare; item & viſum cæco ab ortu reſtituere, inducta temperie quam proximè organum viſus requirit, quod eſt contra communem SS. Patrum ſenſum, qui hos effectus ſuperare vim naturæ cujuſlibet creatæ contendunt, & inter miracula annumerant.

Dixi, perfectum animal vitæ non poſſe reſtitui ab angelis, vt ab imperfectis animalibus diſtinguerem, quæ reviviſcunt interdum: ſic apes & muſcæ ſemel mortuæ, ſi rutæ ſucco perfundantur, à mortuis excitantur: anguilla defectu aquæ extincta, integra aceto injecta, ac ſanguine vulturis adjecto, ſi ſub fimo recondatur, intra paucos dies vitam recipiet: at animam hominis extincti poteſtati intelligentiarum non reliquit. Et cùm hæretici mortuos homines excitare à vivis tentarunt, eos non ſemel Deus puniit: ſic

mendicum aliàs arte Epiſcopi Ariani cæcitatem fingentem, vera cæcitate, & alterum Cracoviæ ſpeciem mortis oſtentantem, vera morte Deus punivit. Tales olim riſit Tertullianus de præſcript. c. 30. *Apoſtolorum*, inquit, *in perverſum æmulatores Apoſtoli de mortuis faciebant vivos; iſti de vivis faciunt mortuos.*

## §. II. *Quid poſſit angelus circa vitam ſentientem & ejus adjuncta.*

I. OBSERVATIO. Vita ſentiens duplex, externa & interna: illa ſenſuum externorum functionibus continetur; hæc ſenſuum internorum operationibus. Adjuncta ſeu annexa vitæ ſenſitivæ, ſomnus & ſexus. Hîc breviter diſcutio, quæ vis & poteſtas angeli circa vtramque vitam & adjuncta.

I. ASSERTIO. Angelus poteſt deludere ſenſus externos, & immutare tum directè, tum indirectè. Directè quidem triplici modo, 1. mutando objectum per celerem agitationem, vel ejus occultationem, & alterius ſuppoſitionem: quo ſenſu Diomedis ſociorum prodigium explicat Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei c. 8. ſociis enim aliò celerrimè deportatis aves intelligentia ſuppoſuit. Hac item arte circulatores ſpectatoribus admirationem faciunt, dum gladios vorant & acus evomunt, & bibendo aquam, per vulnus frontis vinum reddunt.

2. Mutato medio. Sic pallorem dirum velut defunctorum convivis affundunt interdum magi, ſulphure inflammato aërem inficiendo, & olim Coloniæ convivium inſtituit Guillelmo Impera-

tori Albertus, vt refert Bzovius anno 1248. in quo convivæ membris mutilati conſpiciebantur. Porrò angelus non poteſt effluxum ſpecierum ab objecto præſente cohibere, quia nec poteſt ſubtrahere illi concurſum, nec ſpecies per contrarium, quod nullum habent, à medio excludi, nec aliorſum avertere; aliàs accidens à proprio ſubjecto moveret. Poteſt ad ſummum movere ac ciere medium cui ſpecies ineſt, & ita confuſiorem vel expreſſiorem ac dilutiorem eandem reddere.

3. Variatâ potentiâ, ſive id fiat per mutationem localem partium, ex quibus organum compingitur, ſive affuſione alicujus humoris, ſive obſtructis ſpirituum animalium meatibus: ſic luteus color oculo affuſus, facit vt omnia colorata videantur, & lingua amarore imbuta, amaros cibos ſentit.

Indirectè verò, turbando ipſam phantaſiam: vnde homo ſibi perſuadet ea præ oculis aut alio ſenſu verſari quæ ſolam imaginandi vim fatigant: tali ludibrio ſæpe febri laborantes, amentes & ebrii exercentur. Sed tunc temporis ſenſus non ſunt omni ex parte vigiles, ſed in quadam velut ecſtaſi & ſopore, vt obſervat D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 104. Porrò illa ſenſus externi immutatio fit ab interiori, commotis ſpiritibus & humoribus, quibus turbatis ipſa vis imaginandi turbatur, interdum cum alienatione ſenſuum, interdum ſine alienatione: hac ratione angeli qui apud Lothum divertebant, tanta cæcitate Sodomitas percuſſere, vt oſtium per quod fugerent, invenire non poſſent. Nonnunquam illa immutatio adjunctam habet illuminationem intellectûs, cùm angelus

efficit vt is cui apparet, ſimilitudinem rerum quam imaginationi ope phantaſmatum rite diſpoſitorum impreſſit, intellectu percipiat. Talis fuit apparitio facta D. Joſepho, Matth: 1. immutata enim imaginatione, illuminatus eſt intellectus. Hæc immutationis ſpecies cum interni, tum externi ſenſus, communis eſt bonis & malis angelis.

Confirmatur aſſertio, inductione facta per ſenſus ſingulos externos; nam 1. intelligentiæ objectum non ſemel inviſibile reddiderunt, vel oculis ſubducendo, & alium in locum transferendo. Eo modo Apollonius, teſte Lactantio lib. 5. c. 3. inviſibilem ſe reddidit, & Domitianùm, à quo invitus detinebatur, effugit, ſeque ſociis qui ipſum puteolis expectabant, ſubitò videndum præbuit, ſive interponendo aliquod corpus, quo corpus præſens aſpectui ſubducatur: ſive circumponendo ipſi corpori novam formam externam, denſato aëre ſeu medio: ſive lucem ſubtrahendo, ſaltem ex parte; nam ſi tenuior dilutiorque lux fiat, objectum aut non bene, aut nullatenus percipitur. Quòd ſi corpus, dum ſol allucet, interpoſito aut circumpoſito corpore redditur inviſibile, duo tum evenient, ſi Abulenſem audimus. 1. videbitur vmbra ejus perinde ac ſi videretur, 2. intercipiet effluxum ſpecierum à corporibus retro poſitis, illaque proinde corpora oculis intuentium ſubducet.

2. Non ſemel deluſit odoratum; hinc quidam in ſentina pernoctans, videbatur ſibi in cella aromatum noctem non ſine voluptate peragere, teſte Guillelmo Pariſ. 3. 2. de Univerſ. c. 23. ſive quòd aliunde aromata aut odorata olea allata

ſint, ſive quòd organum olfactus alteratum ſit, ſive quòd applicatione activorum ad paſſiva odores ſint producti. Probabilius tamen eſt, odores illos aliunde cum ſubſtantia cui inſunt, ad odoratum ab intelligentiis transferri ſolitos.

De guſtu liquet, tum quia imaginationi illudere angelo pronum eſt, tum quia organum guſtus ſapore aliquo delinire eidem perfacile. Talia olim Numa factitabat convivia ex Plutarcho, à quibus majorem convivæ famem referebant quàm attuliſſent, quia in modum ſomniantium comederant.

Tactum denique ſæpe circa vehemens ſenſibile impediunt intelligentiæ: ſic viſi ſunt magi ſuper carbones incedere, ſive quòd dæmon pedem magi inter & carbones corpus interpoſuiſſet, ſive quòd ſuccum pedibus illiviſſet; ſuccos quippe invenias, quibus illita manus aut pes impunè poſſit flammis colludere. Vidit Bubſboquius Turcam qui ſucco quodam palatum imbuit, per quod deinde ferrum candens ad libitum ſexies deduxerit illæſus. Ratio eſt, quòd illi ſucci vel caloris vim retundant, vel certè membra ſtupefaciant. Tali ſucco refert Anaſtaſius qu. 23. Simonem magum adjutum, ſe inter flammas volutaſſe. Et Epiphanius hæreſ. 30. ait magos quoſdam Judæos ignem ligaſſe, ejúſque actionem impediiſſe. Tertius modus excogitari poteſt, nempe ſi magus deluſis oculis per loca vicina periculi vacua deambulet.

II. Assertio. Angeli poſſunt agere in ſenſus internos, hoc eſt, in imaginationem & appetitum ſentientem tum mediatè, tum immediatè.

Mediatè, nempe per ſenſus externos quos variè afficere & immutare poſſunt, vt mox oſtendimus.

Immediatè verò, commovendo ſpiritus animales & humores, ipsáſque adeo ſpecies in memoria ſuperſtites & ſpiritibus inſidentes excitando; hinc primo modo novas ſpecies imprimere poteſt angelus, ſi nova repræſentet objecta. At ſecundo modo non poteſt, ſed tantùm acquiſitas antea & in memoria reſides ita dividere vel conjungere poteſt, vt videantur nova quædam ſimulacra, quibus memoria voluptatum vel dolorum ſuſcitetur; illæ quippe ſpecies interdum vnà cum ſpiritibus nimia humorum affluentia obruuntur, & quaſi ſepeliuntur: vnde radiare nullatenus poſſunt, aut certè tenacioribus craſſioribuſque humoribus tenentur implicitæ, aut volatico humore celeriùs agitantur, quàm vt ſenſationem facere poſſint, niſi fortè confuſam vel levem: at angelus poteſt humorum illorum copiam diſſipare, craſſiores diluere, motûs celeritatem temperare & retardare, ſpecies dividere, ſi confuſæ ſint, conjungere, ſi nimis diſſitæ; ita porrò componere & ordinare inter ſe, vt facilè illam quam intendunt, cognitionem & repræſentationem excitent, & ita homines ex parte phantaſiæ illuminent.

Nec refert, quòd in eadem parte cerebri plura phantaſmata ſint, quia poteſt angelus ſpiritus eos ordinare & applicare phantaſiæ, in quibus ſpecies inſident, rebus quas homines docere pervelit, clarè ac dilucidè repræſentandis opportunæ, abactis aliò ſpeciebus juxtà & ſpiritibus, quibus cognitio obſcurari poſſet & impediri.

aut certè humorum craſſitie offuſis. Finge typographum qui characteres ita ordinet, vt alios deprimat, attollat alios, itaque inter ſe bellè aptéque componat, vt omnia in charta ſibi appreſſa, clarè & nitidè repræſentent : angelum ſpecies ſeu idola in cerebro ope ſpirituum, in quibus ſpecies inſculpuntur, per motum locale ordinantem vtcunque expreſſiſti. Ad hæc, organum etiam diſponit, juſtámque temperiem inducit, vt jam obſervavi ; hinc

Multa facilè intelliges : 1. quomodo memoriam angelus juvare poſſit, nempe ita aptando & temperando organum, vt faciliùs ſpecies rerum & imagines recipiat & diutiùs retineat, vel motu locali noxia expellendo, vel imagines componendo & ordinando, vel quæ memoriam corroborare queunt, ſolerter applicando.

2. Quomodo ingenii vim acuere valeat ; putà vel craſſitie humorum diſcuſſa, vel medicamentis agentium naturalium adhibitis, vel ſpiritibus ſenſitivis expurgatis, & ad organum copioſiùs attractis, vel defæcato ſanguine & ſpiritibus auctis. Certè quò purgatiores frequentioréſque ſunt ſpiritus, eò vis intelligendi acutior. Obſervat tamen Delrius id muneris ſpectare potiſſimùm ad bonos angelos ; malorum autem eſſe, humores ſtipare, ſpiritus ſubducere, ſi vis eorum acrior ſit, obducere ac retundere, & ſic vim intelligendi debilitare, itáque ſeducere, ſuadendo licitum eſſe quod illicitum eſt.

3. Quomodo & diſciplinas etiam reconditiores docere queat, nempe 1. interiùs per phantaſmata mentem illuſtrando, 2. ſenſibiliter apparendo. Sic teſtatur Socrates apud Platonem in Theagene

multa ſe à genio ſuo didiciſſe. *Adeſt mihi*, inquit, *divina quadam ſorte dæmonium, quod me à pueritia eſt ſecutum, quæ vox quædam eſt diſſuadens quod ſum facturus, ad faciendum verò provocat nunquam. Quòd ſi quis interdum amicorum ſua conſilia mecum communicet, defertur illa vox diſſuadens, & me exequi non permittens.* Sed hanc intelligentiam cenſet Tertullianus fuiſſe damnatam in Apolog. cap. 22. Obſervant hîc Theologi ſcientiam quam tradit dæmon, duobus potiſſimùm nævis laborare, 1 quòd non ſit diuturna, ſed brevì obliteretur: 2. quòd ea ad libitum non vtatur homo, ſed tantùm per modum afflati & extatici, certis locis, temporibus & cauſis; quæ autem à Deo immittitur, his nævis carere: talis fuit in Salomone & Apoſtolis. Quin etiam dæmon interdum fallere tentat eos qui ſcientiæ dant operam; præſertim ſi quid inde ſibi detrimenti obventurum conjiciat: ſic conatus eſt S. Ignatio Loyolæ imponere, vt refert Ribadeneira lib. 1. c. 14. Dum enim rudimenta Grammaticæ addiſceret, tanta divinarum rerum intelligentia animum imbuebat, vt novi nihil addiſcere poſſet, & ſi quid memoriæ mandatum, illico efflueret. At

Objicies: Si verum eſt ſpiritibus ſpecies relictas inſidere, poterit angelus ſpecies ab vno intellectu ad alterum ope ſpirituum bajulorum tranſmittere; & ita cæcus à nativitate poterit judicare de coloribus, ſicut ſurdus de ſonis: at hoc dici non poteſt: ergo ſpecies ſpiritibus non inſident.

Reſp. 1. ob hanc rationem multos Philoſophos ac Theologos ſpecies non ſpiritibus, ſed

ipſi organo, quod eſt cerebrum, inhærere velle; cerebrum autem, licè poſſit ab angelo intra idem caput, vtpote fluidæ ſubſtantiæ, agitari commoverique, non poſſe tamen tranſmitti ab vnius hominis capite in aliud, quod ab alia anima informetur.

Reſp. 2. nego ſpiritum cum ſpecie ſibi inſculpta poſſe à cerebro vno transferri in aliud operâ angeli, ſaltem naturaliter, quia, inquit Suares Granat. talem in ſe requirit diſpoſitionem phantaſmatis vector ſpiritus, vt quamvis non vivat, à corpore extractus illam ſtatim amittat, ideóque imaginem ſibi impreſſam conſervare non poſſit. Deinde licèt ſpiritus ſervaretur, tamen non ſervaretur in eo phantaſma, quia non ſervaret eandem proportionem ad cauſam, nempe ad ſenſus externos ejuſdem corporis, à quibus impreſſum fuit. Denique licèt ſervaretur ipſum phantaſma, tamen eo non vteretur ille in quem tranſlatum foret, quia illud per ejus ſenſus productum non fuiſſet: ſed vtraque reſponſio poſtrema imbecilla eſt, quia ſicut phantaſma ſemel cuſum non pendet in eſſe à ſenſibus externis, ita nec in operari: vnde aptum eſſe videtur ad movendam quamlibet phantaſiam hominis.

III. Assertio. Angelus poteſt agere in appetitum ſentientem tum mediatè, tum immediatè. Probatur: mediatè quidem, quia poteſt agere mediantibus ſenſibus externis, & ipſa phantaſia quæ eſt ſenſus internus; immediatè autem, commovendo ſpiritus & humores quì inſunt organis & membris appetitui ſenſitivo ſervientibus, quibus cupiditates ſubinde excitantur: ſic bile commota ad iram provocare po-

teſt, ſanguine excitato ad amorem: ſic ſæpe mali angeli motus carnis excitant, & boni reprimunt.

IV. Assertio. Angelus poteſt conciliare homini ſomnum longiſſimum perinde ac prolixam vigiliam. Probatur, quia poteſt magna vaporum & humorum copia vincire primum ſenſorium, eóſque humores reſolvere ac diſſipare, quibus meatus obſtruebantur: ergo poteſt ſomnum peræquè ac vigiliam longiſſimam procurare. Confirmatur exemplo glirium, qui tota hieme dormiunt, & inſani illius, quem Fernelius 5. Pathol. c. 2. ait quatuordecim menſes inſomnes duxiſſe. Ergo multò magis id præſtare poſſunt intelligentiæ, etiam ſtante judicii ac mentis ſanitate, ſive quòd ſpirituum effluxum impediant, ſive quòd eoſdem reparent per immiſſionem ſubſtantiæ alicujus efficaciſſimæ, inquit Theophil. Raynaudus.

V. Assertio. Angelus poteſt fœtui, cùm primùm effingitur, ſexum quem voluerit, imprimere. Probatur: tria ad ſexuum diverſitatem concurrunt ex Ariſtotele, nempe potentia ſeu ſemen, imaginatio parentum, & principium externum, putà venti: at naturam rerum illarum norunt apprimè angeli: ergo poſſunt hæc tria ita variare, & inter ſe temperare, vt inde temperies maſculino vel femineo ſexui progignendo idonea exiſtat; præſertim cùm differentia ſexus ſe teneat ex parte materiæ, quam adhuc teneram & ductilem facillimum eſt angelis idonei activi applicatione ſic fingere, vt inde ſexus vel maſculus, vel femineus ad nutum angelorum exiſtat: imò & in animalibus prove-

ctioris ætatis etſi operoſiùs id fiat quàm in tenero fœtu, hanc tamen vim angelis non pauci tribuunt. Quidni enim, ſi permittantur vi ſua vti, partes quaſdam ita emolliant, quaſdam ita effingant ex materia rite præparata, vt mas mutetur in feminam, viciſſimque femina in marem? At diſcurſum brutis angelum poſſe conferre fabula eſt, cùm diſcurſus vnius naturæ ſpiritalis partus ſit: poteſt quidem eorum ita organa diſponere, vt alicujus diſciplinæ capaciora reddantur. At rationis vſum & ſermonem qui mentis frater eſt, tribuere non valent; hinc ſi viſa ſunt loqui bruta magorum operâ, non rationis vſum in illis aut diſcurſum, ſed intelligentiam moventem intus & agitantem formantémque voces locutio illa arguebat.

VI. Assertio. Angelus poteſt ita perfectè imitari voces brutorum & hominis, vt vix diſcerni poſſit. Ratio eſt, quòd vocum illarum varietas ex certa aëris fractione oriatur, quæ intelligentiæ facultatem non ſuperat; hinc ſæpe mugit vt bos, barrit vt elephantus, balat vt ovis, vlulat vt lupus, loquitur vt homo, & interdum vocem vnius æmulatur in organis alterius animalis: ſic in ſerpente vocem hominis imitatus, ſermonem habuit cum Eva, juxta mentem S. Cyrilli, dum refellit Julianum lib. 3. ad t. 2. Quin etiam ſæpe ore energumeni loquitur, & quidem multò perfectiùs quàm ore cujuſque alterius animalis: vocem tamen dæmonis à voce propria arreptitii in hoc diſtingui & internoſci putat Guillelmus Pariſ. 2. 2. de vniverſ. c. 151 quòd voces dæmonis in dæmoniaco loquentis ſubraucæ ſint, voces verò ipſius arreptitii clariores, quòd in-

ſtrumentis vocalibus aptiùs homo vtatur quàm dæmon; imò & quòd amet dæmon voces obſcuras & exiles edere, ne tam facilè ejus mendacia detegantur, vteſtatur Pſellus lib.de dæmonibus, ſub finem.

## §. III. *Quid poſſit angelus in animam rationalem.*

UNICA OBSERVATIO. ANIMA rationalis ſpectari poteſt vel in ſtatu conjunctionis, vel in ſtatu ſeparationis. Quæritur hîc quid poſſit angelus in animam rationalem in vtroque ſtatu ſpectatam.

I. ASSERTIO. Angelus poteſt in animam rationalem corpori vnitam ea omnia, quæ ex corporis affectione & ſenſibus tum externis, tum internis pendent. Probatur: poteſt enim ſenſu externo & interno vti tanquam inſtrumento, vt agat in potentias animæ, non immediatè quidem, quia id Dei proprium eſt, qui ſolus in animam illabitur, ſed moto ſenſu interno, quem intellectus quoad ſimplicem apprehenſionem conſequitur; hinc

II. ASSERTIO. Angelus intellectum hominis poteſt mediatè movere ſua virtute naturali. Probatur, quia poteſt ex dictis per objecta agere in ſenſus tum externos, tum internos, ipſamque phantaſiam & appetitum agitatione humorum ac ſpirituum commovere: at phantaſiâ motâ, movetur intellectus, & in eo prima apprehenſio excitatur; atque hac ratione fiunt illuſtrationes in entitate naturales. Huc ſpectat illud D. Auguſtini, dum ait, angelum dare intelle-

ctum homini, quemadmodum quiſpiam dicitur dare lumen domui, vel illuminare domum, cui feneſtram facit, cùm eam non ſua luce penetret & illuſtret, ſed tantummodo aditum quo penetretur atque illuſtretur, aperiat. Vide concion. 18. in Pſalm. 118. ad illud v. 65. *Da mihi intellectum tuum, vt diſcam mandatum tuum*; atque hic quidem modus ab angelo exercetur per motum localem. Quin etiam non deſunt qui velint moveri immediatè intellectum ab angelo ſupernaturaliter, quatenus imprimit ſpeciem ſui conceptus, ſeu eſſentiæ ſuæ intellectui hominis, quo modo volunt fieri illuſtrationes in entitate ſupernaturales. Angelus quippe, ſpirituale ſpeculum cùm ſit ex D. Dionyſio lib. de divin. nom. cap. 4. objicit ſe animæ quæ aliud eſt quaſi ſpirituale ſpeculum; & ſic ſpecies ipſas quas à Deo recipit, eidem pro modo ſuo infundit, vel ſimiles & maximè geminas ei imprimit.

Porrò de quatuor potiſſimùm rebus boni angeli illuminant. 1. De cogitandis, quatenus bonas vel malas cogitationes immittunt, cum hoc quidem diſcrimine, quòd bonæ cogitationes à Deo principaliter, ab angelis inſtrumentaliter oriantur, quatenus diſponunt & excitant intellectum ad eas formandas, vel impreſſione phantaſmatum bonorum, quæ ſunt honeſtæ cogitationis ſemina, vel impedimentis extrinſecùs remotis. Cogitationes autem malæ nec à Deo, nec ab angelo, nec à dæmone principaliter, ſed à mala hominis voluntate inordinatè agente ortum habent. Non à Deo, nec ab angelo bono, quia malæ ſunt; non à dæmone, quia cùm vſus cogitativæ virtutis in homine ſubſit voluntati, in quam

nihil per ſe dæmon poteſt, vtique non poteſt eas in anima producere, ſed ſola anima. Earum tamen incenſor dicitur, quatenus incitat ad mala cogitandum, vel ad appetendum cogitata, ſive ſuadendo & ſuggerendo, ſive commovendo & agitando paſſiones. Hinc *diabolus adjutor cogitationum malarum & incenſor, non auctor eſſe poteſt*, inquit Beda lib. 3. in Matth. 15. ad illud: *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt.*

Et quoniam duobus modis impeditur anima, ne quid piè & ſanctè cogitet, vel ratione labis originalis quâ mens veluti aggravatur, proniorque redditur ad formandas cogitationes minùs ordinatas; vel ratione tenebrarum quas menti dæmon immittit, vt ipſam decipiat. Non enim per ſe nos decipit Deus, quia ſpiritus veritatis, nec per angelum bonum, qui agit vt miniſter ipſius, ac proinde fallax non eſt; ſed per angelum malum, quem ſinit pro ſua perverſa indole nobis imponere. Bonus angelus duplicem hunc bonarum cogitationum obicem tollit ſaltem mediatè; primum quidem, intuitu rerum honeſtarum nos ad bonas ſanctaſque cogitationes excitando: ſecundum verò, arcendo dæmones, ne tale impedimentum inferant.

2. De cognoſcendis, tum ex parte objecti, illud diſtinctiùs proponendo; tum ex parte potentiæ, ipſam corroborando, vt pleniùs id quod proponit, mens ipſa hominis intelligat, penitiuſque intret: ſic mentem humanam juvat, vt ex creaturarum cognitione ad divini earum opificis cognitionem pleniorem faciliùs citiúſque aſſiliat, non infundendo lumen per ſe ſe, ſed infuſum à Deo corroborando ac perficiendo apta

phantaſmatum ordinatione & applicatione, à quibus juvatur intellectus ad rem meliùs apprehendendam ſaniúſque dijudicandam, vt explicat D Thomas. Quanquam D. Auguſt lib 12. de Geneſ. ad litt. videtur mixturam quandam angeli cum anima agnoſcere, ſed dubitanter, præſertim in cap. 30 vbi de viſionibus quas ſpirituales appellamus, ſic loquitur: *Sunt quadam excellentia & meritò divina, qua demonſtrant angeli miris modis, vtrum viſa ſua facili quadam & prapotenti conjunctione vel commixtione etiam noſtra eſſe facientes; an ſcientes, neſcio, quomodo noſtram in ſpiritu noſtro informare viſionem, difficilis perceptu, & difficilior dictu res eſt.* Hanc porrò commixtionem & informationem D. Thomas non de commixtione per eſſentiam, ſed per effectum interpretatur, quatenus ordinat & quaſi informat phantaſmata angelus: illam tamen commixtionem Suares non negat ſic accipi poſſe, vt angelus à Deo tanquam inſtrumentum elevatus, altiori modo illuminet, lumen & ſpecies efficiendo in intellectu, quem modum Theologis examinandum relinquimus.

3. De credendis. Ratio eſt, quòd duo requirantur ad actum fidei, 1. imperium voluntatis, 2. propoſitio credibilium. Primum quidem à ſolo Deo eſt, cujus vnius eſt movere voluntatem per ſe & immediatè, & quò ipſi lubet, inclinare; ſecundum verò ab angelo ſæpius fit, per quem divina hominibus revelantur, ex D. Dionyſ. vbi ait revelationes divinorum ad homines mediantibus angelis pervenire.

4. De agendis, quatenus & ſuggerunt quæ conſentanea ſunt credentium ſtatui, vel ad ea facien-

da dirigunt, vt miniſtri & coadjutores, triplicis Dei providentiæ, naturalis, politicæ & ſupernaturalis, vt fuſiùs explicaturi ſumus, vbi agemus de cuſtodia bonorum angelorum.

Hîc obſervabis 1. cum D. Thoma, quòd licèt dæmones illuminare mentem hominis poſſint naturaliter ope phantaſmatum, lumen intellectûs corroborando, perinde ac boni angeli, cùm æqualis ſit virtus naturalis boni & mali ſpiritus: tamen cùm hominem acerrimè oderint, avent potiùs intellectum illius tenebris offundere, vt in errorem faciliùs inducant ac decipiant, quàm intelligibili lumine corroborare, ne eorum malæ artes & doli lumine illuſtriori detegantur; hinc ſi quas doceant ſcientias, & ſacra dogmata quaſi momento addiſcere faciant, vt fertur de Anabaptiſtis, qui ſumpto poculo in ſacræ Scripturæ lectione periti evadunt; eo id fine potiſſimùm agunt, vt decipiant eos, erroreſque ipſorum foveant, vnde intellectum hominis propriè non confortant, quia confortatio ſeu corroboratio intellectûs habet pro fine judicium ſanius de rebus apprehenſis, quo omnis error curetur. Itaque ſive humores denſiores expellat dæmon, ſive agentium naturalium medicamenta adhibeat, ſive ſpiritus ſenſitivos expurget augeatque, quod rarò fit, ſemper intendit decipere, & in malum inducere. Sed quidquid porrò agat, vt intellectum fallat, non agit in ipſum niſi mediantibus phantaſmatibus, quorum compoſitione & diviſione varias fallacias obtendit.

Obſervabis 2. angelos aliter agere in ſenſus tum internos, tum externos, aliter in intellectum; nam 1. movent immediatè ſenſus, & ita

eos illuminant & decipiunt immediatè; intellectum autem tantùm mediatè, quandiu agunt virtute naturali. 2. Neceſſitare poſſunt phantaſiam, vt ſpecies verſet & agitet, componat & dividat, ac proinde de iis de quibus voluerint, imaginetur. At verò licèt ope phantaſmatum ſpecies intelligibiles in mente & primas apprehenſiones excitent, non tamen poſſunt adigere, vt iiſdem ſpeciebus vtatur ad judicandum intelligendumque, quandiu ratio viget, quia præter ſpecies in intellectu exiſtentes & objectum cognoſcibile, requiritur actualis intentio cognoſcentis, vt cognoſcere intendat: at hæc intentio eſt actus voluntatis quæ non poteſt à dæmone immutari. Vide D. Thomam quæſt. 16. de malo, art 11. ad 3. 4. & 5. De intellectu ſatis, jam de voluntate ſit

Unica Observatio. Voluntas poteſt immutari duobus modis, vel ab interiori, vel ab exteriori. Tunc ab interiori immutatur, cùm à ſupremo naturæ domino abſque ſenſuum miniſterio inclinatur ad volendum id quod voluerit. Ab exteriori autem, cùm à bono per intellectum apprehenſo, vel ex paſſione ſenſitiva appetitûs excitata, ad agendum quidpiam vel non agendum, ſollicitatur. His obſervatis, ſit

III. Assertio. Solus Deus voluntatem hominis ab interiori immutare poteſt. Probatur: immutare voluntatem ab interiori, eſt ipſam inclinare in rem volitam, etiam ſine ſenſuum tum internorum, tum externorum adminiculo: ſolus Deus ſic poteſt illam ita inclinare. Ut enim inclinatio naturalis non eſt, niſi à Deo qui naturæ largitor eſt; ita inclinatio voluntatis

abſque ſenſuum adminiculo non eſt, niſi ab eo qui voluntatis eſt auctor, juxta illud Proverb. 21. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* 2. Ejus eſt duntaxat movere voluntatem abſque ſenſuum miniſterio, cujus eſt propriè illabi in animam: ſolius eſt Dei propriè illabi in animam, vt jam confecimus: ergo ſolius eſt Dei voluntatem movere ſine ſenſuum miniſterio. Hîc obſerva, primam rationem quæ D. Thomæ eſt, hoc tantùm ſenſu valere, quòd ſicut motus naturalis, vt naturalis eſt, activè ſolùm ab intrinſeco naturæ impetu, vel ab eo qui dedit naturam, oritur: ita motus voluntatis activè & ex parte cauſæ efficientis, ſolùm eſt ab ipſa voluntate, & ab ejus auctore in ſuo genere, inquit Suares Granatenſis. Rupertus lib. 2. de glorificat. Trinit. & proceſſ. Spiritus ſancti, diſcrimen illapsûs divini ab angeli præſentia rite explicat. *Nullus*, ait, *ſpiritus præter hunc Spiritum qui Deus eſt, vbi vult ſpirat. Creatus quilibet ſpiritus ſive bonus ſive malus, ſpirat quò ſpirare mittitur, vel permittitur. Nec ita ſpirat vt ipſam ſpiritus noſtri ſubſtantiam ingrediatur, niſi ſolus creator Spiritus.*

IV. Assertio. Angelus poteſt agere in voluntatem hominis, ſaltem remotè, ipsámque adeo movere ad agendum.

Probatur: Voluntas moveri poteſt ab objecto amabili vel odibili exteriùs propoſito, vel excitatis imaginariis viſionibus & cogitationibus, vel paſſionibus in parte ſentiente commotis: hæc omnia præſtat angelus. Poteſt enim 1. objectum amabile vel odibile ſenſibus externis proponere: 2. imaginarias viſiones & cogitatio-

nes excitare : 3. cupiditates in vtroque appetitu commovere, quibus voluntatem alliciat & inclinet in objectum : ergo poteſt movere voluntatem, ſaltem remotè ; hinc voluntatem hominis non aliter movet angelus, quàm manifeſtatione & propoſitione objecti, ac morali perſuaſione. Porrò hic modus voluntatis movendæ proprius eſt tum boni, tum mali angeli, cum hoc tamen diſcrimine, quòd malus angelus ad vitia vt incentor malorum, bonus verò ad virtutes moveat & incitet, ipsáque vitia vrat & vrendo conſumat, ideóque *flamma ignis*, ſeu *ignis vrens* appellatur.

V. Assertio. Licèt dæmon non poſſit voluntatem hominis ad peccandum neceſſitare, poteſt tamen vehementiſſimè inclinare. Probatur 1. ex connexione inter potentias animæ, poſitis his principiis.

Primum ſit. Ut ſua phantaſiam inter & intellectum, ita intet vtrumque appetitum, ſentientem nempe & rationalem, eſt affinitas & cognatio, quia ab eadem anima prodeunt, & in eadem radicantur ; hinc

Secundum. Vis imaginandi, dum bono ſenſibili adhæret, ſeque totam eidem cognoſcendo applicat, intellectum ad idem cognoſcendum trahit : vnde fit vt nonniſi leviter & quaſi raptim cogitationem boni honeſti delibet & momenta rationum, quibus ad illius amorem excitari voluntas deberet, vix expendat.

Tertium. Ex ſympathia vtriuſque appetitus nunquam in appetitu ſentiente motus oritur, quin ſimilem à voluntate circa idem objectum impetrare conetur.

Quartum. Voluntas appetitui ſentienti, dum ipſam ſollicitat & prolicit, difficulter reſiſtit, tum ob vnitatem principii, quod cùm in duabus facultatibus idem ſit, ægrè admodum circa idem objectum actus oppoſitos, nempe odium per voluntatem, & amorem per appetitum, exercere poteſt: tum ob voluptatis vim illecebroſam quæ ex motu appetitus ſentientis oritur, ſeque in ipſam voluntatem blandè inſinuans, ad ſimiles actus, quorum ſuavitate perfunditur, potentiùs ſollicitat: vnde carnem noſtram Evæ, & voluntatem Adamo comparat Auguſtinus in Pſalm. 48. vt enim Eva blanditiis ſuis Adamum pellexit ad eſum pomi vetiti, ita concupiſcentia voluntatem prolicit rapitque ſuo pondere ad bonum rationi contrarium.

Quintum. Ut excitata ex conſenſu imaginatricis facultatis operantis in intellectu prima cogitatio materia eſt idonea ad formandum de re amabili judicium: ita motus indeliberatus per conſenſum appetitus ſentientis in voluntate productus, peccato concipiendo fomes eſt maximè opportunus. Tædam jure dixeris recèns extinctam & adhuc fumantem, quæ vix igni admota, illicò inflammatur.

Sextum. In concupiſcentia ingens fœcunditas ſummaque propenſio in malum rationis ex peccato originali orta, & par in agendo facilitas ex illa pronitate dimanans; proni enim ſenſus hominis in malum.

Septimum. Hanc fœcunditatem propenſionémque in malum alit, augétque vehemens commotio ſpirituum & humorum, qui cupiditatibus concitandis idonei ſunt. Hæc principia patent

patent ex iis quæ diximus in Ethica part. 5 de princip. mater. morum diſput. vnica de paſſionibus in communi, art. 4. §. 2.

Octavum. Dæmon multùm valet in phantaſiam per commotionem phantaſmatum, & in appetitum ſentientem per humorum & ſpirituum concitationem; nam phantaſmata ad vim imaginatricem deducta, partem concupiſcentem alliciunt & iraſcentem excitant; & ita dæmon intellectum ad judicandum, & voluntatem ad volendum id quod ad peccatum inducit, indirectè impellit. Ad hæc humorum & ſpirituum concitatorum operâ appetitum ſentientem commovet vehementiùs & inflammat, qui in bonum ſenſitivum fertur incitatiùs, ſecumque voluntatem tandem abripit, præſertim ſi diutiùs pertinaciúſque inſtet; nemo enim diu fortis eſt. Denique exteriora objecta ſenſibus admovet, quibus animum intuentis emolliat & ad malum provocet. Ut autem ſcias, quò progredi dæmon tentando valeat, diſce exemplo Angelæ de Fulgino; nam 1. ipſa ſibi videbatur eſſe inſtar hominis in pergula ſuſpenſi, cui nullum auxilium ſupereſſet: ipſius quippe animam ita ſuſpendebant dæmones, vt quaſi ſine ſuſtentamento eſſe videretur; hinc ſubverti in ſe virtutes omnes rata, dilaniabat ſuum corpus & pugnis contundebat. 2. Vitia omnia in ſe quaſi excitari ac reviviſcere putabat, extinctis virtutibus, à quibus multùm patiebatur. 3. Horrendis adeo tenebris interdum involvebatur, vt ſpem omnem ſalutis abeſſe putaret. Denique in tribus potiſſimùm locis atrociùs cruciabatur, 1. in partibus verendis tantum patiebatur ignis incendium, vt ignem concupi-

ſcentiæ, igni materiali admoto, extinguere cogeretur; hinc ſibi pœnas inferni apprecabatur. Deinde in voluntate tædio incredibili afficiebatur. 3. Vitio turpi, Deo ita permittente, vexabatur; ſed illico virtus aderat ipſi ad præſidium per quam liberabatur : in his tamen tentationum procellis voluntas ſibi ſemper conſtabat, vtpote ſui juris, nec conſentiebat vſquam. Sed cùm motus indeliberati ob conſenſum partium in voluntate neceſſariò excitarentur, quaſi pro liberis habebat; hinc anxietas animi. Dæmon quippe voluntati imprimit motus neceſſarios, vt obtineat liberos, à quibus voluntas abſtinere poteſt, ſi velit, juxta D. Cyrilli mentem catech. 4. *Liberum arbitrium habet anima, & poteſt diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem non poteſt. Subjicit tibi cogitationes fornicationis; ſi vis, probas; ſi nolis, improbas.* Rationem reddit Auguſtinus ſerm. 197. *Non enim*, inquit, *cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet conſenſum, ſed petit.*

Ultima Assertio. Angelus non aliter agit in animam à corpore ſejunctam, quàm in alterum angelum, hoc eſt, proponendo objecta & ſuadendo.

Poteſt quoque dæmon plura in cadavera, præſertim ſi extra ſacra loca ſepulta ſint; nam poteſt quædam quaſi viventium corporum & animæ vegetantis munera exhibere; putà efficere, vt fluat ſanguis ex vulnere ad præſentiam interfectoris, ſervare diu corpora incorrupta, impedire ne corpora ſtatim comburantur, denique facere vt vngues & pili excreſcant.

## §. IV. *An angelus poſſit ecſtaſim ſeu raptum efficere.*

UT hæc quæſtio ſolvatur, pauca de natura ecſtaſis & raptûs, eorúmque cauſis & effectis, præmittere neceſſe eſt.

I. Ecſtaſis vox ambigui ſignificatûs: aliquando idem ſonat ac timor & ſtupor, aliquando exceſſum ſignificat; ſi vis & notio attenditur, eſt quædam quaſi extra ſe poſitio: à quibuſdam vocatur *dormitio quadam vigilans*, ſeu *vigilia dormiens*, quia anima à ſenſibus abſtracta & divinis intenta, dormire videtur mundo & vigilare Deo. Quanquam

II. Triplex ecſtaſis ſpecies; naturalis, angelica & divina. Naturalis ex cauſa naturali oritur, putà ex aliqua infirmitate corporis, vt ex ſpaſmo, ebrietate & medicamentis ſoporiferis, aut nimia contentione in ſtudendo, de qua viderint medici. Angelica fit opera angelorum ſive bonorum, ſive malorum, ſed præſertim malorum, ideóque dicitur ab auctoribus dæmoniaca. Divina Deum auctorem habet.

III. Raptus ecſtaſi maximè affinis, à qua probabiliùs differt tantùm ſecundùm magis & minùs. Raptus quippe violentiam & celeritatem majorem includit quàm ecſtaſis, quæ eſt ſimplex exceſſus à ſe ipſo; animus enim per ecſtaſim quaſi ſuaviter ad ſeceſſum tendit, & intra ſe colligitur abſtractus à ſenſuum officiis; per raptum autem vi quadam potentiſſima à ſenſibus celerrimè avellitur. Finge hominem qui paulatim per gradus ſcalæ in altiſſimam turrim conſcendat,

& alterum qui ſubitò per aërem rapiatur, ecſtaſim in primo, raptum verò in altero vtcunque expreſſum habes; hinc raptus, cùm violentiam habeat annexam, eſt ab extrinſeco agente, vt rectè probat D. Thomas, quia omne violentum eſt ab extrinſeco, nihil conferente paſſo: vnde qui rapitur, vtique ab aliquo exteriori rapitur ad aliquid diverſum ab eo in quod ſuapte natura tendit; diverſum, inquam, ſive quoad terminum, ſive quoad modum tendendi, vt cùm lapis deorſum fertur ab impetu impreſſo: raptus itaque violentiam addit ſupra ecſtaſim, ideóque Theologi raptum diſtinguunt ab ecſtaſi vt ſpeciem à genere.

IV. Ecſtaſis divina deſcribitur ab Alvare, elevatio mentis in Deum, cum abſtractione à ſenſibus exterioribus, ex magnitudine elevationis procedens; à D. Auguſtino quæſt. ad Simplic. quæſt. 1. alienatio à ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis divino Spiritu aſſumptus, capiendis atque intuendis imaginibus vacet. Univerſim definiri poteſt, alienatio à ſenſibus in aliquod intelligibile ſupra ſenſum & rationem, vel extra cognitionem ſibi propriam. Raptus eſt celerrima quædam elevatio potentiæ ſupra inferiores potentias, & ex actuatione ejus in ſua operatione ceſſantibus, vel certè debilitatis actibus inferiorum potentiarum. Ita Gerſon de theol. myſt. conſid. 36. qui raptum in hoc diſtinguit ab ecſtaſi, quòd raptus poſſit eſſe in omni potentia ſuperiore, nec ſuſpendat ſemper potentiarum inferiorum actus; ecſtaſis autem in ſola mente fiat, tollátque penitus omnes actus facultatum inferiorum.

v. Raptus ſive ecſtaſis, (nam poſtea promiſcuè vſurpabimus) fit variis modis. 1. Ligatis vel ſolutis ſenſibus externis, nempe vel obſtructis meatibus, quibus ſpiritus ſenſitivi à cerebro ad externos ſenſus tranſmittuntur; vel ſpiritibus à ſenſibus externis ad ſenſus interni organa attractis, ibique ne ad ſenſus externos refluant, retentis. 2. Cùm citra concurſum phantaſmatum, Deus, vt naturæ dominus, inſinuat ſe in animam & illabitur, & vtendo intellectu poſſibili, ſpeciem ſui illecebroſam cudit, mentique imprimit, qua deinde animam ad ſe rapiat.

vi. Ecſtaſis ſeu raptus primo modo acceptus, poteſt fieri ab angelo ſive bono, ſive malo; ſecundo autem modo à ſolo Deo.

Probatur prima pars, quia angelus poteſt virtute naturali ligare ſenſus exteriores vel ſolvere; canales obſtruere per quos à cerebro ſpiritus animales ad externos ſenſus defluunt, vel eoſdem ſpiritus à ſenſibus externis ad interni ſenſus organa evocare, ibique detinere, ne refluant: at vtroque modo functiones ſenſuum externorum ceſſant. Hæc porrò ecſtaſis dicitur naturalis & dæmoniaca, ſi à malo angelo fiat, vt ſæpe fit in magis, qui licèt in eodem loco ſint, tamen multa ſe alibi miranda vidiſſe putant. Vide Delrium 2. Mag. diſp. 9. c. 24. vbi duarum mulierum meminit, quarum vna Auguſtæ, altera Cordubæ, non ſemel à dæmone ecſtaſim paſſæ, ideóque in magno pretio habitæ, donec fraus dæmonis detecta eſt.

Probatur ſecunda pars, quia ſolius eſt Dei illabi in animam hominis, vtpote qui ſolus ſit ſupremus naturæ dominus: vnde in ejuſmodi ecſtaſi

intellectus patiens hominis eſt cauſa inſtrumentalis; Deus autem cauſa principalis, quo plenus demum animus tantùm in Deum erigitur, quantùm divino lumine colluſtratus eum cognoſcit: tantùm effervescit & exilit in ſuperiora, inquit Delrius, quantùm divino calore effervescit. Sed tunc Deus ecſtaſim illam ſeu raptum non tam generali quàm ſpeciali concurſu procurat: ideóque in ejuſmodi ecſtaſi intellectus non tam ſe activè habet quàm paſſivè, vt obſervat D. Thomas quæſt. 175. a. 2. vbi ait etiam invitis raptum obvenire. Delrius ait virginem Deo devotam Burgis in Caſtella ſe noviſſe, quæ ſumptâ Euchariſtiâ, ſtatim rapiebatur extra ſe, licèt Deum non ſemel precata eſſet, ne quid ſibi tale, aliis aſtantibus, contingeret. De hac ecſtaſi ſupernaturali hoc pronuntiatum eſt: *Sicut ſol ſine ſole, & oculus ſine lumine non videt, ſic nec Deus ſine Deo cognoſci poteſt.* Quare falſum eſt totam hujus ecſtaſis ſeu raptûs efficientiam vni intellectui agenti tribuendam, qui cum Dei concurſu generali ſpeciem Dei effingat, & intellectui poſſibili imprimat. Deus enim ſæpius ſine concurſu intellectûs agentis & phantaſmatum adminiculo, infundit ſpecies intelligibiles in intellectum patientem, quæ divinam pulcritudinem detegunt, ita porrò voluntatem detinent, vt extra ſe rapiant. Sed vt clariùs raptus ſeu ecſtaſis ſupernaturalis natura pateat, juvat illam ex cauſis & effectis eruere.

## APPENDIX ad §. 4.

### *De cauſis & effectis ecſtaſis ſeu raptûs ſupernaturalis.*

I. CAUSA ecſtaſis ſupernaturalis quadruplex; materialis, formalis, efficiens & finalis.

II. Materialis eſt ipſa anima, non ratione intellectûs agentis, qui plerumque feriatur, ſed intellectus poſſibilis, cui Deus ſpecies ſupernaturales imprimit, vt cum eo ſpecies ſui formales exprimat. Formalis, eſt ipſa actio, quâ elevatur anima, & rebus cæleſtibus quaſi vnitur. Illa autem elevatio fit aliquando celerrimè, & dicitur animæ volatus: aliquando cum impetu, & raptus appellatur: aliquando cum progreſſu luminis auroræ non abſimilis, quæ ſenſim ſine ſenſu creſcit in perfectum diem. Ut ergo lux matutina creſcendo deſinit non quidem eſſe lux, ſed eſſe lux matutina, vt meridiana fiat: ita mens hominis copia divinæ lucis perfuſa, non deſinit quidem eſſe mens, ſed deſinit quaſi eſſe humana, vt plus quàm humana fiat, dum gloriam Dei contemplando, in Dei imaginem transformatur à claritate in claritatem.

III. Cauſa efficiens ecſtaſis proxima duplex à D. Bernardo affertur, nempe lux & amor; lux mentem illuminat, amor voluntatem afficit. *Cùm*, inquit, *duo ſint beatæ contemplationis exceſſus; in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, alter in fervore; vnus in agnitione, alter in devotione: pius ſanè effectus, & pectus amore calens, & ſanctæ devotionis infuſio, etiam & vehementi ſpiri-*

*tus repletus zelo , non planè aliunde quàm à cella vinaria reportantur.* Richardus à S. Victore tres cauſas ſeu fontes aperit , nempe magnitudinem admirationis , magnitudinem devotionis ſeu amoris, & magnitudinem delectationis ſeu exultationis.

Magnitudo admirationis cauſa eſt ecſtaſis, quia radius ſupernaturalis luminis mentem implet, divinas perfectiones detegit, & quaſi ſuo in lumine collocat, animam quaſi ſuſpendit , itáque tanto ſtupore ex reì novitate concutit, vt ad ſumma & divina ſubitò enitatur, & in eorum imaginibus tractandis hæreat. Novitas quippe rerum quas Deus aperit, admirationem parit, admiratio attentionem , attentio pleniorem cognitionem, cognitio amorem ingentem, vnde alienatio à ſenſibus externis, adhuc imaginatione cum intellectu cooperante, vel ceſſante imaginationis qualibet functione , vnus intellectus poſſibilis à Deo corroboratus contemplationi incumbit. Hæc ſpecies ecſtaſis deſcribitur cant. 6. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens ?*

Magnitudo amoris ſeu devotionis animam ita accendit , vt inſtar ceræ liqueſiat, paulatimque reſoluta, & inſtar fumi attenuata , ad ſuperna attollatur ; amor autem ecſtaſim præſertim parit, vel quia efficit vt tota intentio feratur in Deum, ſenſibus tum internis , tum externis adhuc integris ac ſui compotibus, & dicitur à D. Thoma ecſtaſis ſecundùm intentionem : quæ ecſtaſis familiaris eſt viris apoſtolicis, qui Deo ita vacant, vt ab officiis ex caritate non avocentur : vel quia vſum ſenſuum impedit, vt anima divinæ contemplationi attentiùs incumbat , juxta illud D. Gre-

gorii lib. 5. Moral. c. 21. *Ad contemplanda interna nemo perducitur, niſi ab his quæ exteriùs implicant, ſtudioſè ſubtrahatur.* Hæc autem ecſtaſis annexam habet contemplationem abſque vſu phantaſmatum, quam deſcriptam habes 3. Cant. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, ſicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ & thuris?* &c. & apud D. Bern. tract. 26. in Joan. *Amando trahitur, ſine læſione trahitur corporis, cordis vinculo trahitur.*

Magnitudo delectationis ſeu exultationis, quæ jubilus à myſticis appellatur, ecſtaſim parit, cùm ex perfecta perfectionum divinarum notitia & admiratione earum, tanta voluptatis & ſuavitatis copia animam implet & quaſi immergit, vt quid ſit, quidve agat, prorſus oblita, præ magnitudine lætitiæ extrà ſe rapiatur. Hæc ſpecies innititur Cant. 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* & à D. Bernardo deſcribitur, mentis in Deum ſuſpenſæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtantis.

Confert etiam ad ecſtaſim debilitas potentiæ; hinc qui Deo ſe primùm adjungunt, cùm divina guſtare incipiunt, eorum ſuavitate allecti, à ſe ipſis abſtrahuntur, ſicut qui vino non aſſueveie, vno aut altero vini hauſtu ſtatim inebriantur. Quin etiam feminæ frequentiùs quàm viri ecſtaſim patiuntur, præſertim ſi de ecſtaſi naturali ſermo ſit, quia viris major vis & copia ſpirituum quàm feminis ineſt.

Cauſa principalis ſemper Deus eſt raptus ſupernaturalis, vt jam monui, juxta illud Eſech. 8. *Spiritus elevavit me inter cælum & terram, & eduxit me in Hieruſalem in viſione Dei.* Porrò ſe ſolò Deus poteſt efficere ecſtaſim, vel etiam per inſtru-

mentum, putà vtendo intellectu agente ad rerum divinarum ſpecies fabricandas.

Hîc obſervabis mentem & voluntatem ita ſibi in raptu adjumento eſſe, vt raptum mutuò promoveant. Ut enim mens in admirationem rapitur ex intuitu amoris vehementis juxtà & voluptatis, quâ voluntas perfunditur: ſic voluntas ex admiratione ipſius mentis, ſuavitate mirabili afficitur; vt enim ſolis radiis illuſtramur, dum ab iiſdem incaleſcimus, & vice verſa incaleſcimus, dum illuminamur: ita divinæ pulcritudinis intuitus, dum mentem illuminat, voluntatem accendit, & amor bonitatis, dum voluntatem accendit, mentem illuminat. Non tamen par eſt ſemper exceſſus mentis exceſſui voluntatis, quia ex levi cognitione ingens ſæpe in voluntate incendium excitatur: vnde voluntatis raptus ſequitur, non mentis; ſic aliàs ad vnius paradiſi nomen Frater Ægidius ſocius D. Franciſci à ſe exibat planè totus.

IV. Cauſa finalis ecſtaſis ſupernaturalis, eſt perfectiſſima cum Deo vnio: cùm enim animus hominis finitæ ſit virtutis, ac proinde vis ejus in plura diſperſa, minor fiat; & aliunde pulcritudinem & excellentiam rerum divinarum, quibus per contemplationem animus incumbit, ſibi applicet, vt iis arctiùs vniatur, ſpiritus animales quaſi auxiliares copias evocat ad ſubſidium: vnde ſenſus externi & interni paulatim deficiunt; hinc ecſtaſis duo includit, arctiſſimam animæ adhæſionem & vehementiſſimam applicationem, quippe quæ tota ſit in Deo contemplando & amando, & deliciis ex contemplatione & amore quaſi ex ſuo fonte manantibus percipiendis; 2. alienatio-

nem à ſenſibus, quorum functiones, dum viget ecſtaſis, omnino aut ex parte ceſſant. Nobilitas tamen ecſtaſis non tam ex alienatione à ſenſibus quàm ex ſumma adhæſione animæ & attentione ad res divinas æſtimanda eſt, quia hæc ex luminis interni plenitudine à Deo infuſa, & præſtantia ſpecierum intelligibilium, quæ à Deo auctore imprimuntur; illa verò vel ex debilitate corporis, vel ex imbecillitate animi, vel ex imaginatricis facultatis vi, vel ex calidiori temperie quæ ſtatim exardeſcit, plerumque oritur.

v. Effectus ecſtaſis ſive raptûs varii ſunt; alii enim pertinent ad ſenſus & potentias, alii ad corpus, alii ad animam.

1. Senſuum functio intercipitur, & quidem omnium tum internorum, tum externorum: quanquam aliquando vnius ſenſus vſus non intercipitur, putà auditus. Quin etiam omnes ſenſus tum interni, tum externi functiones ſuas rite nonnunquam obeunt, ſolis facultatibus ſpiritalibus extra ſe raptis, quæ ſpecies raptus omnium præſtantiſſima, quia beatorum ecſtaſi ſimillima, qui ita licèt potentiſſimè ad Deum trahantur, divino tamen munere ita corroborantur, vt ſimul viribus inferioribus vti poſſint, nec ab vllis officiis ſibi à Deo injunctis vſquam ferientur. Duplex cauſa feliciſſimi illius ſtatûs ex Theologis; lumen gloriæ, quo ita anima corroboratur, vt viſio quaſi connaturalis beatis videatur eſſe. 2. Virtus quædam peculiaris quâ facultates tum internæ, tum externæ ita confirmantur, vt vnius functio alterius functionem non impediat. Hæc ſpecies ecſtaſis Chriſto, dum degebat in terris, & beatiſſimæ Virgini familiariſſima, ſoletque interdum iis qui

animarum ſaluti vacant, à Deo concedi; connaturaliter tamen contemplationem perfectiſſimi gradus ſequitur in viatoribus ſuſpenſio externorum ſenſuum, quia, vt jam dixi, vis humana finita cùm ſit, facilè exhauritur ac deficit: quare ſi tota circa rem aliquam occupetur, aliis vacare non poteſt: at anima in contemplatione perfectiſſimi gradus rebus divinis incumbit tota tum mente, tum affectu, adeóque externis vacare non poteſt: vnde à ſenſibus alienatio ſequitur.

2. Dum fit contemplatio per pura intelligibilia, non tantùm fit ſuſpenſio ſenſuum externorum, ſed etiam interiorum.

3. In appetitu ſentiente devotio ex perfectiſſima & altiſſima contemplatione orta, viris ſpiritalibus non contemnenda, quippe quæ facilitatem in contemplando juxtà & conſtantiam afferat.

4. Honeſta quædam divinaque lætitia ex parte rationali in partem ſentientem, & ipſam carnem interdum derivatur, juxta illud Prophetæ Pſal. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum meum.* vbi nomine cordis partem ſuperiorem; nomine verò carnis, partem ſentientem interpretes plerique ſignificari volunt. Connaturale quippe eſt appetitui rationali, dum in Deum rapitur, inflammatur & effervescit, partem quoque inferiorem per conſenſum rapere, quam lætitiam etiam interdum per ſigna externa produnt aliquando myſtici, dum vultu ſereno, læto & hilari ſunt, in voces interdum erumpunt gaudii & lætitiæ indices, item in ſaltus, ſed moderatos & ordinatos; aliquando lacrymis, vocibus & ſuſpiriis ſpiritus intus habitantis dulcedinem indicant. Diſcedente enim ſponſo, anima dum ad ſe redit,

ſe ingenti perfuſam gaudio, & genas lacrymarum quaſi rore rigatas reperit. De quibus vide D. Bernardum in Scala: ibi enim lacrymas ejuſmodi vocat roris deſuper infuſi ſupereffluentem abundantiam, & ad interioris ablutionis indicium, exterioris hominis purgamentum, miranda munuſcula & ſolatia quæ dat ſponſus, panes confirmantes cor hominis & dulciores ſuper mel & favum, ac deinde concludit: *O Domine Ieſu! ſi adeo dulces ſunt iſtæ lacrymæ, quæ ex memoria & deſiderio tui excitantur, quàm dulce erit gaudium, quod ex manifeſta tui viſione capietur! ſi adeo eſt dulce flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te!* Hinc ecſtaſis myſtica orta ex contemplatione pura, quæ eſt abſque vſu phantaſmatum, non impedit operationem appetitus ſenſitivi per ſe; per accidens tamen impedit, quia ligat interdum operationem phantaſiæ, quâ ſublatâ, objectum non movet appetitum ſentientem. Porrò pars ſuperior ſpiritu Dei acta, ita ſibi ſubjicit ſenſum & carnem aliquando, vt caro ſpiritui deſideriis conſentiat, eóque exultante in Deo exultet: vnde jubilus completur. Qui poſt ecſtaſim tripudiant, manibus plaudunt & ſaltant, jubilatorii dicuntur.

5. Corpus nonnunquam lumine reſplendet, in terram dejicitur, manetque ſine ſenſu motuque cadaveris inſtar; interdum in aërem tollitur. Anima quippe rei amatæ ita adhæret, ita illius ideam retractat, vt evocatis ſpiritibus ad illius contemplationis amoriſque ſubſidium, ſenſus externi ab operatione ferientur, ſic vt homo nec audiat, nec videat, nec ſentiat quidquam, ſed prorſus immotus maneat, vixque diſcerni poſſit an vivat. In-

terdum expalleſcit ſubitò, rubore interdum ſuffunditur, dum interim anima Deo tranquilliſſimè fruitur, & in eo ſuaviſſimè conquieſcit. Denique languor, debilitas, macies, faſtidium alimenti. quæ omnia pluribus proſequitur Dionyſius Carthuſianus opuſculo de fonte lucis rapt. art. 18.

6. In anima effectus quoque plures. 1. Lux quædam inſolita, qua mens plurimùm illuſtratur. 2. Illuſtrationem ſequitur amor eximius, quo ita penetratur homo, vt divinum planè affectum induiſſe videatur. 3. Senſibilium & terrenorum contemptus, & cæleſtium deſiderium. 4. Abjectio ac ſui demiſſio; nam quò quis altiùs à Deo attollitur, eò fit humilior. 5. Etiam juxta aliquos privatio libertatis vſus. Sed quia multi effectus in controverſiam vocantur, de iis poſtea agemus.

7. Ecſtaſis & raptûs partitio non vna. Prima eſt in perfectam & imperfectam, ex D. Thoma q. 13. de verit. art. 2. Imperfecta illa eſt, in qua animæ ipſius intentio tota divinis inſpiciendis & diligendis vacat, integro ſenſuum exteriorum vſu. Dicitur ecſtaſis ſecundùm intentionem. Perfecta autem, in qua actu ab vſu ſenſuum rerumque ſenſibilium ad quædam ſupernaturaliter videnda attollitur, ſive id fiat per abſtractionem à ſenſibus externis ad viſionem imaginariam, ſive ab imaginatione ad intellectualem, quæ fit vel per ſpecies immiſſas à Deo, vel per claram divinæ eſſentiæ viſionem. Primæ ecſtaſis exemplum habes in D. Petro Act. 10. qui paſſus ecſtaſim cum abſtractione à ſenſibus externis, ſed cum imaginaria viſione; ſecundæ verò in D. Paulo, quem interpretes putant ad eſſentiæ divinæ contuitum fuiſſe ſublatum.

Raptus item ratione cauſæ, alius eſt devotionis,

alius admirationis, alius exultationis, de quibus ante egimus.

Denique ratione potentiarum, alius imaginationis, alius rationis & mentis. Primus fit ſuper vires ſenſitivas inferiores per affectionem amoris, qui familiaris eſt melancholicis, iratis & zelantibus. Secundus fit ſuper potentias inferiores per voluntatis amorem, cùm ſenſus externi ipsáque phantaſia ligantur. Tertius qui dicitur raptus mentis, ſupra potentias ſe inferiores fit per ſcintillam menti cognitam vel appropriatam, quæ amor ecſtaticus, vel exceſſus mentis nominatur. Ita Gerſon, qui & quartam ſpeciem addit, cùm vires ſuperiores ad ſenſus exteriores rapiuntur, & anima ſic detinetur circa objecta exteriora per tactum, guſtum, aſpectumque, vt operationes potentiarum ſuperiorum planè ceſſent, aut multùm impediantur, & hic familiaris eſt eroticis.

## *Variæ quæſtiones de natura raptûs ſolvuntur.*

1. Quæſtio. AN in ecſtaſi ſeu raptu anima realiter à corpore ſeparetur.

Reſp. in ecſtaſi ſive magica ſit, ſive divina & ſupernaturalis, animam à corpore non ſeparari realiter nec aliò commigrare, 1. quia per ecſtaſim non moritur homo, vt patet; moreretur autem, ſi anima à corpore ſejungeretur; quid eſt enim mors, niſi ſeparatio animæ à corpore? Deinde ſi in ecſtaſi magica à corpore divelleretur anima, non poſſet ampliùs ad idem corpus vlla virtute naturali redire; aliàs reſurrectio naturalis foret, quod fidei divinæ repugnat, nec dici poteſt ad

nutum magorum, Deum vi ſupernaturali mortuum excitare. Meritò itaque Tertullianus lib. de reſurrect. carnis: *Nuſquam anima ſine carne eſt, quandiu in carne eſt.* & lib. de anim. 45. *Omnia magis conjectes, quàm iſtam licentiam animæ ſine morte fugitivæ.* Hinc cùm myſtici ecſtaſim mortem vocant, figuratè tantùm & metaphoricè loquuntur. Vide D. Bernardum ſerm. 52. in Cantica, vbi ecſtaſim ſoporem & mortem appellat, ac deinde ſic loquitur: *Proinde & ego non abſurdè ſponſæ ecſtaſim vocaverim mortem, quæ tamen non vita, ſed vitæ eripiat laqueis, vt poſſit dicere: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* quare commenta ſunt quæcunque à Bodino lib. 2. de dæmon. cap. 5. ex Platonis & Cabaliſtarum errore proferuntur, vt probet in raptu animam à corpore ſejungi, nec raptus D. Pauli aut ipſius Ezechielis Prophetæ contra nos facit, cùm ipſe D. Paulus dubitet, an in corpore, an extra corpus anima fuerit; raptus autem Ezechielis fuerit tantùm in ſpiritu, & vt loquitur textus, *in viſione Dei*; non nego tamen divina virtute animam à corpore ſejungi, & in ipſum redire poſſe.

11. Quæſtio. An in ecſtaſi functiones partis vegetantis & moventis ceſſent?

Ad 1. reſp. cum Suare, functiones vegetantis animæ, cujuſmodi ſunt nutritio, digeſtio, &c. ſpectari poſſe, vel quatenus exercentur per qualitates prorſus materiales quæ neceſſariò agunt, vel quatenus pendent ab influxu ſpirituum, & juvantur per actiones vitales attrahendi, expellendi & diſtribuendi. Primo reſpectu conſideratæ illæ functiones non impediuntur per contemplationem ecſtaticam, quia non pendent ex atten-

tione ipſius animæ, ſuntque actiones maximè naturales. Secundo reſpectu conſideratæ multùm impediuntur ex nimia attentione, quam anima in contemplando adhibet. Et verò in multis nutritionem & digeſtionem impedit nimia in ſtudendo contentio : ergo multò magis maxima animæ attentio ad divina impediet, multi certè in ecſtaſi dies non paucos ſine cibo potuque traduxere.

Ad 2. Quandiu durat operatio phantaſiæ, tandiu non ceſſat potentiæ motricis officium, quia ad functionem illius ſufficit phantaſiam à ſua functione non impediri, ipſumque appetitum ſenſitivum operari : ceſſante autem operatione phantaſiæ, motricis facultatis functio ſæpius ceſſat, quia ab ipſa phantaſia & appetitu in operando pendet.

III. Quæſtio. An ecſtaſis ſucceſſiva ſit. Reſp. ecſtaſim ſpectari poſſe, vel ratione præviarum diſpoſitionum, vel ratione ſui. Ratione diſpoſitionum, ſucceſſionem non reſpuit ; diſponitur enim quiſquis contemplationi vacat impenſiùs, ad raptum deſiderii vehementia, aliiſque functionibus piis, quæ non ſine tempore fiunt. Quanquam monet Jacobus Alvarez lib. 5. c. 10. myſticis temperandum ab ardentiori deſiderio raptuum. Adde quòd attentio animæ non ita ſubjicitur applicationi voluntatis, vt poſſit eam pro nutu ſuo ad vnum actum vnius facultatis colligere & quaſi affigere : at raptus ratione ſui ſpectatus, poteſt quaſi momento fieri, Deo animam ad ſe ſubitò illecebroſa ſua bonitate potentiùs attrahente ; ſemel autem incœptus, per multos dies durat interdum : ſic S. Ignatius ſun-

dator noſtræ Societatis per octo dies in altiſſimo quodam exceſſu perſtitit.

IV. Quæſtio. An in raptu actus amoris liber ſit & meritorius. Reſp cùm raptus mentis oritur ex contemplatione purè intellectuali, hoc eſt, à phantaſmatum concurſu non dependente, tunc liberum eſſe amorem voluntatis. Ratio eſt, quòd in intellectu judicium perfectum ſit circa rem de qua ſit contemplatio, & quidem practicè practicum, adeóque liberum: ergò & actus voluntatis liber eſt: ſic Chriſtus & B. Virgo, dum per ſcientiam infuſam contemplationi puræ vacarunt, liberrimos voluntatis actus habuere.

Quin etiam licèt in raptu cognitio intellectûs ſit neceſſaria, ſæpe actus voluntatis non deſinunt eſſe liberi. Probatur; quia nihil eſt in illo raptu quod libertatem voluntatis adimat, aut imminuat. Non Deus rapiens; cur enim voluntatem neceſſitet, privetque merito, dum ipſi arctiùs vnitur? Non Deus, vt objectum cognitum, quia ſola cognitio Dei intuitiva voluntatem neceſſitat, non autem abſtractiva, quamvis perfectiſſima ſit. Non actus intellectûs neceſſarius, quia voluntas manet ſui actûs domina, vt patet exemplo angeli, qui primo momento creationis ſuæ, habuit actum neceſſarium in intellectu cum indifferentia voluntatis conjunctum. Non abſtractio à ſenſibus, quæ nec mentis cognitioni, nec voluntatis indifferentiæ officit, ſed potiùs illius attentionem, hujus verò affectum juvat: ſic Salomonem in ſomno liberè ſapientiam elegiſſe, Adamum in ſopore eſtatico actum fidei liberè exercuiſſe, multi è Patribus & Interpretibus autumant.

Quoniam autem ad contemplationem, ex qua raptus ſequitur, multa concurrunt, nempe ſpecies à Deo infuſæ, apprehenſio mentis & judicium, vt ſcias quænam ex his libera ſint, quinque pronuntiata accipe.

1. Pronuntiatum. Specierum infuſio, quibus intellectus inter contemplandum vtitur, non eſt libera, quia Deus illas imprimit, nihil agente paſſo, ſed purè recipiente, licèt vſus illarum poſſit eſſe liber aliquando, etiam in raptu. Poteſt enim Deus non neceſſitare intellectum, qui proinde manebit liber quoad exercitium.

2. Pronuntiatum. Prima apprehenſio rerum quæ repræſentantur, ſæpius eſt ſine libero vſu contemplantis, Deo ad illam operationem mirabiliter cooperante. Ratio eſt, quòd tunc non ſit in homine principium internum quo ſe liberè ad illam apprehenſionem accingat, nec prævium aliquod judicium practicum, ſine quo non ſtat libertas.

3. Pronuntiatum. Judicium quod ex illa apprehenſione ſequitur, ſi revelatio ſit evidens & ſcientifica, non eſt liberum quoad ſpecificationem, quia libertatem ſpecificationis tollit evidentia: nec quoad exercitium, quia intellectus, vtpote ad apprehendendum motione Dei applicatus citra libertatis vſum, non poteſt judicium ſuſpendere, agit enim tunc vt potentia neceſſaria; ſin autem revelatio ſit obſcura, qualis fuit in Adamo ſopito, judicium poteſt eſſe liberum, adeóque aſſenſus fidei meritorius.

4. Pronuntiatum. Cùm contemplatio ſit in raptu per converſionem ad phantaſmata, non repugnat vſum rationis eſſe liberum, tum quoad appre-

henſionem rerum, tum quoad judicium de veritate rerum, quæ contemplanti objiciuntur, etiam in ſomnis; ſi mens divinitus illuſtretur. Ratio eſt, quòd nec converſio ad phantaſmata, nec raptus vſum rationis impediat: ſic PP. docent Salomonem oraſſe in ſomno, & orando ſapientiam liberè impetraſſe.

5. Pronuntiatum. Ut plurimùm tamen opus intellectûs & imaginationis in ſomno & ecſtaſi ſeu raptu, non eſt meritorium, quia deeſt libertas; trahitur quippe tunc anima à Deo, nec ſinitur aliud cogitare. Poteſt nonnunquam Deus ita intellectum corroborare, vt duci potiùs videatur quàm trahi, atque adeo aliis rebus intendere, itáque mereri. Obſervat tamen Alvarez raptum ex natura ſua ita divinis animum affigere, vt alia cogitare non poſſit, ideóque notitias quæ ſunt in raptu, non eſſe ſimpliciter meritorias, licèt ſint initia quædam conſequentium meritorum; hinc contemplatio quæ eſt in raptu, non videtur proximè libera, quia fit Deo per influxum extraordinarium tam efficaciter intellectum movente, vt neceſſitatem ad operandum imponat: remotè tamen eſſe liberam nihil vetat, ſi voluntas intellectum applicet ad conſideranda divina, & ita paulatim ad contemplationem juxtà & raptum, Deo potentiùs adjuvante, perveniat.

v. Quæſtio. An divinatio & revelatio in raptu licita ſit? Reſp. ſi ecſtaſis divina ſit, rebus in raptu enuntiatis, ſive ad ſpeculationem, ſive ad praxim ſpectent, fidem prudenter poſſe adhiberi: ſic multa Deus in raptu de majeſtatis ſuæ amplitudine, de ſecretis cordis alieni, aut de rebus futuris vel præſentibus, quæ procul abſunt, re-

velare ſolet : at ſi raptus fiat operâ dæmonum, tunc non licet ab ecſtaticis oracula accipere. Ratio eſt, quia id non poteſt fieri ſine ſocietate occulta cum dæmone. Nihilo magis fidendum epilepticorum oraculis monet Dominicus Gravina : quia ex inordinata phantaſmatum compoſitione nonniſi confuſa & malè conſuta intellectio exiſtere poteſt.

VI. Quæſtio. Quibus ſignis ecſtaſis divina à dæmoniaca, aut ab ea quæ ex infirmitate oritur, dignoſci poſſit.

Reſp. plura ſigna à myſticis afferri. Præcipua ſubjicio. 1. Si ecſtaſis ad humilitatem incitet, mens interiùs illuſtretur, & voluntas ad amandum Deum ardentiùs impellatur, id argumento eſt ipſam à Deo oriri. 2. Si ecſtaticus habeat diſcretionem cogitationum cordis. 3. Si in alienatione & raptu nihil inordinatum, ac minùs decens contingat : quia, vt ait Cajetanus, Spiritus ſanctus qui eſt auctor alienationis requiſitæ ad Prophetiam, & Prophetiæ ipſius, non eſt auctor deordinationis naturæ vel motûs. 4. Si cum dono contemplationis & raptus conjuncta ſit obedientia. 5. Si poſt alienationem quæ viderunt ecſtatici, meminerint, ac denuncient quæ de revelatione percepere ; hinc

Si in ecſtaſi poſitus nihil cogitet de Deo, & affectum ad Deum non habeat, probabile eſt ecſtaſim à dæmone eſſe, quia finis ejuſmodi doni eſt elevatio mentis ad Deum magis cognoſcendum amandumque : vnde vides otium illud paſſivum, quo multi hac ætate gaudent, debere eſſe ſuſpectum. 2. Si ecſtaticus obedire renuat, aut ad actum ecſtaticum ſe pro libito componat, vulgò

à dæmone oritur ecſtaſis, quia non pro hominis arbitrio, ſed Dei donum ejuſmodi concedi ſolet. 3. Si quis ita abſorptus videatur, vt nihil de revelatione percipiat aut intelligat, ſignum eſt ecſtaſim illam aut à morbo, vt ſæpe evenit, aut à dæmone oriri. Porrò ſi ecſtaſis ab imbecillitate ſeu morbo, putà à melancholia, furore aut letargo ortum habeat, tunc conſulendi medici. Denique ſi quid *indecens ſecundùm motus intrinſecos, vt eſt cordis ſaltus ſenſibiliter vehemens, & ejuſmodi vel extrinſecus, ſive ſit indecentia naturæ, ſive indecentia moris, tunc non eſt alienatio prophetica, ſed infirmitatis, & diabolicæ illuſionis, aut naturaliter animalis ex nimia meditatione alicujus rei,* inquit Cajetanus.

## Appendix altera

## *De operatione maligna malorum angelorum.*

VIDENDUM breviter 1. quid & quotuplex ſit operatio maligna dæmonis; 2. quæ & quot illius ſpecies; 3. ſingulæ ſeorſim ſpecies paulò diligentiùs examinandæ.

I. Operatio maligna dæmonis ea eſt, quâ dæmon hominem invadit, & gratiæ Dei officit. Porrò dæmon ita invadit hominem, vt aliquando occultè, & quaſi per cuniculos, aliquando manifeſtè, & quaſi ad ſenſum infeſtet, aliquando corpus ingrediatur, ipſique dominetur; hinc

II. Triplex operatio maligna dæmonis, nempe tentatio, obſeſſio & poſſeſſio; per tentationem occultè, per obſeſſionem manifeſtiùs invadit; per

poſſeſſionem ingreditur in ipſum hominem, ſibique cum imperio aſſerit. De ſingulis ſpeciebus breviter ago.

## *De tentatione.*

### *Quid ſit & quotuplex.*

I. TENTARE vt ſic, eſt propriè experimentum facere de aliquo. Experimentum autem ſumitur de aliquo, vt ſciatur aliquid circa ipſum; & ideo proximus finis cujuſlibet tentantis eſt ſcientia. Sed quandoque alterius ex ſcientia quæritur aliquis alius finis vel bonus, vel malus; bonus quidem, cùm ſcire volumus quantùm aliquis ſcientiæ & virtutis habeat, vt eum promoveamus: malus verò, cùm ſcire volumus vt decipiamus & ſubvertamus, quod eſt proprium dæmonis, vt obſervat D. Thomas quæſt. 114. art. 2. hinc.

II. Tentatio eſt conatus dæmonis occultus in animam, quâ ipſam ſollicitat impellitque ad malum. Dixi occultum conatum, quia tentatio occulta eſt, ratione ſaltem principii.

III. Tentationis partitio non vna; alia nempe ratione modi, alia ratione principii; alia ratione finis extrinſeci, alia ratione objecti ſeu finis interni.

IV. Ratione modi, partitio fit in violentam & illuſoriam; illa fit cum impetu & vehementia quadam, & tentationis nomen retinet: hæc cum arte & aſtutia, & illuſio nuncupatur. Dæmon enim interdum cum impetu, & quaſi aperto marte invadit: aliquando ex arte & ex inſidiis nos

adoritur : vbique metuendus, tum ob fortitudinem ; eſt enim purus ſpiritus, in quo vis maxima : tum ob inſtantiam, dies noctéſque excubat in noſtram perniciem, nec malitiæ ſuæ otium facit : tum ob pertinaciam in tentando ; ſævit enim tum maximè, cùm ſe homo ab eo putat liberatum. tunc plurimum accenditur, cùm exſtinguitur, differtque ſæpe tentationem, cùm receſſit, non auffert: tum propter artem & methodum ; vt enim ei mille nomina, ita mille nocendi artes. Blanditur vt ſiren, vt ericius pungit & lancinat, deglutit vt cetus, vt draco ferociſſimè invadit, vt ſerpens veneno inficit & tortuoſis orbibus implicat. Illuſio definiri poteſt fallacia, quâ animus ſub ſpecie boni ſubtiliùs in malum inducitur trahitúrque, ideóque tentatione occultior.

V. Ratione principii, fit in eam quæ ex concupiſcentia ; in eam quæ ex vana gloria, & in eam quæ ex odio proximi oritur : quæ varias ſub ſe ſpecies ſubalternas continent.

VI. Ratione objecti & finis interni, alia ex objecto mala eſt, cujus finis proximus eſt in peccatum inducere : alia ex objecto bona, aut ſaltem non mala. Prima ſemper mala eſt ex parte tentantis, ideoque nunquam eſt à Deo, niſi permittente ; ſecunda poteſt eſſe à Deo : ſic tentavit Abrahamum Deus, dum ſacrificium filii præcepit, quod ſacrificium, vt à Deo præceptum, bonum erat. Sed nunquam eſt à dæmone, qui ſemper hominis perniciem & ruinam habet pro fine tentationis ſibi propoſitam.

VII. Ratione finis extrinſeci, alia eſt tentatio probationis, alia deceptionis ſeu ſubverſionis : illa

illa ſit ad experiendum quid in homine ſit vel lateat; hæc ad inducendum hominem in peccatum. Interdum tamen vna eademque tentatio, reſpectu diverſorum probationis & ſeductionis rationem habet : ſic tentatio Jobi, reſpectu Dei, probatio fuit; reſpectu dæmonis, ſeductio ſeu deceptio. Quin etiam aliquando, reſpectu ejuſdem, ſimul & probatio & ſeductio eſt : ita dæmon Chriſtum tentavit, tum vt probaret, tum vt deciperet ſubverteretque. Mitto partitionem illam quæ fit in tentationem humanam, angelicam & diabolicam, de quibus poſtea. Ut autem tentationis natura clariùs pateat ex cauſis, ſit

## *Variæ quæſtiones ſolvuntur de natura tentationis.*

1. Quæſtio. AD quam partem divinæ providentiæ miniſteria malorum angelorum pertineant.

Ut reſpondeam, obſerva 1. omnia miniſteria tum bonorum, tum malorum angelorum divinæ providentiæ ſubeſſe, cujus ductu permiſſuve omnia in hoc mundo fiunt.

Obſerva 2. duplicem eſſe providentiæ divinæ partem; vna eſt circa bonum vniverſi tum phyſicum, tum morale conſervandum & augendum, ejúſque regimen occupatur : altera circa mala, ſive illa permittat vt peccata, ſive efficiat aut procuret vt mala pœnæ. His obſervatis,

Reſp. miniſteria malorum angelorum pertinere ad ſecundam partem providentiæ, non ad primam; quia non conſentaneum erat divinæ ſapientiæ, primam regiminis mundi partem pra-

vis angelis tribuere, qui hoſtes ipſius ſunt infenſiſſimi; & aliunde cùm hæc pars prima divinæ providentiæ hominis bono potiſſimùm invigilet, dæmonibus ejuſdem felicitatis invidis & æmulis executionem hujus providentiæ partis non debuit Deus committere, ſed bonis duntaxat angelis. Hinc Tertull. in Apol. c. 22. *Auctores quidem ſunt planè malorum nonnunquam*, nempe mali angeli, *bonorum tamen nunquam.*

II. Quæſtio. An proprium munus dæmonis & miniſterium ſit hominem tentare. Reſp. affirmando, tum quia ſtatim ab initio mundi cœpit in hominem graſſari, vnde Joannis 8. dicitur fuiſſe *homicida ab initio*: tum quia per antonomaſiam Matth. 4. *tentator* appellatur: tum quia maxima pars tentationum dicitur ab ipſo eſſe. Conſentiunt Scripturæ Patres. Tertull. in Apolog. c. 22. *Operatio dæmonum eſt hominum everſio.* Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro. *Diabolus circumcurſat cupiens obſiſtere noſtræ ſaluti, non ſolùm ipſe nihil lucri hinc reportans, verùm etiam ſuo ſtudio graviſſima detrimenta ſibi concilians.*

III. Quæſtio. An poteſtatem habeat dæmon tentandi hominis, & à quo habeat. Reſp. 1. habere poteſtatem, quia valet conſequentia ab actu ad potentiam: at ſæpe tentat homines: igitur poteſtatem habet tentandi hominis.

Reſp. ad 2. partem, duplicem tentandi poteſtatem in dæmone diſtinguendam eſſe: alteram phyſicam, quâ ad actiones materiales peccati impellit; alteram moralem, eámque duplicem, poſitivam & negativam. Poſitiva eſt, quâ vel conſilium, vel facultas moralis datur, vel obligatio imponitur, vt dæmon ad vſum poteſtatis phyſicæ

excitetur : negativa , quâ voluntas relinquitur ſibi, & ſinitur agere id quod abſolutè poteſt, licèt non poſſit licitè. Porrò poteſtas phyſica eſt naturalis dæmoni quam habet à Deo, vt auctore naturæ , quia non tentat niſi immittendo pravas cogitationes , vel interiùs phantaſmata immutando ordinandoque , vel objecta exteriùs proponendo , vel ad ſenſum ſub diverſis figuris apparendo ; hinc dicitur intentator malarum cogitationum , quia excitat & inſtigat ad illas ex parte phantaſiæ. Poteſtas moralis poſitiva non eſt à Deo , quia repugnat ſanctitati ejus infinitæ eſſe auctorem peccati : at poteſtas moralis negativa eſt à Deo qui permittit dæmonem vti poteſtate phyſica , nec prohibet vti , cùm poſſet. Impugnatio itaque dæmonis eſt à Deo tantùm permittente : cuſtodia verò bonorum angelorum eſt à Deo ordinante, & procurante eandem.

Ex dictis , explicabis D. Gregorium lib. 4. Moral vbi ait voluntatem Satanæ ſemper iniquam eſſe , ſed nunquam poteſtatem injuſtam , quia voluntatem habet ex ſe , ſed à domino poteſtatem. Rationem reddit deinde : *Quod enim ipſe facere iniquè appetit , hoc Deus fieri nonniſi juſtè permittit.*

IV. Quæſtio. An poteſtas tentandi homines ſemper æqualis in dæmone fuerit.

Reſp. negando : quia in ſtatu innocentiæ tentare dumtaxat poterat exteriùs ſuadendo : at poſt lapſum Adami ex conceſſu permiſſuque Dei valentior fuit in tentando, quia dæmon hominem ſuperavit & ſibi ſubjecit ; nam *à quo quis ſuperatus eſt, ejus & ſervus eſt.* Cœpit enim tum extrinſecùs, tum intrinſecùs graſſari ; vim deinde

tamen & poteſtatem illius remiſit Chriſtus adventu ſuo, paſſimque idola tacuerunt. Denique tentatio minùs valet in hominem ſacris vndis ablutum, quàm in infidelem & paganum. Non tamen ſemper potentia dæmonis à Deo limitatur pro ſtatu perſonæ, ſed interdum Deus pro ſuo nutu hunc graviùs, illum leviùs; hunc frequentiùs, illum rariùs tentari permittit: ita porrò electorum tentationes moderatur, vt in bonum eorum cedant. Adde quòd ſæpe dæmonem cohibet ne tentet, aut ne tam graviter tentet, aut certè vberius auxilium præbet, inquit Suares Granat.

v. Quæſtio. Cur Deus hominem tentari Deus permiſerit.

Reſp. poſſe non vnam rationem afferri, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum ex parte dæmonis. Ex parte quidem Dei, 1. quia major vis illius gratiæ & efficientia elucet, quâ homo corroboratus, infirmus licèt ex ſe ſe, potentiſſimum tamen hoſtem ſuperat. 2. Quia oſtendit Deus, quàm gratìs ſuam gratiam conferat; dat enim gratiam efficacem cui vult, & quidem copioſiorem interdum homini lapſo quàm integro. 3. Quia gratia & æquitas Dei in hoc apparent; gratia, quia prævenit interdum ne tentemur: æquitas, quia *nonniſi ad menſuram diabolum tentare permittit*, inquit Auguſtinus, *vnde dando tentandi poteſtatem, ſervat æquitatem.* 4. Quia ſapientia illius & bonitas vel inde major exiſtit, quòd ex majoribus malis maxima bona eliciat; hinc Auguſt. in Enchir. c. 100. *Magis ad potentiſſimam bonitatem ſuam pertinere judicavit, ex malis majora bona facere, quàm nulla mala eſſe permittere.*

Ex parte hominis, major gloria, quæ ex victoria oritur: *Quomodo autem certabimus*, inquit Bernardus, *ſi deſit qui impugnet?* deinde demiſſio animi Major denique neceſſitas gratiæ divinæ meliùs cognoſcitur, & ardentius ſtudium orationis in nobis excitatur. Porrò tentatio in ſtatu naturæ integræ permiſſa eſt tantùm à Deo, tanquam exercitium virtutis ad victoriam & coronam: in ſtatu verò naturæ lapſæ non tantùm virtutis exercitatio quædam eſt, ſed etiam pœna peccati: vnde in nos dæmon atrociùs ſævit.

Ex parte dæmonis, quia data eſt occaſio Deo de dæmone glorioſiùs triumphandi per humanam naturam in peccatum lapſam & in Chriſto reparatam.

VI. Quæſtio. An omnis tentatio à dæmone ſit. Reſp. 1. omnem tentationem ortum ducere à dæmone, vt cauſa remotiſſima: quia dæmon fuit in cauſa, cur primus homo laberetur, & ex illo lapſu omnia peccata orta ſunt omnéſque tentationes, quæ pœna illius peccati dici poſſunt. Confirmatur ex Patribus, D. Dionyſ. cap. 4. de div. nomin. *Dæmonum*, inquit, *turba malorum omnium cauſa & ſibi ipſi & aliis qui malitiæ dederunt manus, eſſe dicitur.* Damaſceno lib. 2. c. 4. *Nullum vitium, nullum impurorum affectuum genus eſt, quod non ab ipſis excogitatum ſit*

Reſp. 2. dæmonem non eſſe proximam cauſam omnium tentationum, plurium tamen eſſe. Patet prima pars: quia aliquis poteſt tentari à ſua concupiſcentia, licèt dæmon proximè non moveat ipſam. Deinde homo eſt ſuæ ſpontis: ergo poteſt malè agere, ſi velit, licèt à dæmone non ſollicitetur. 3. Poteſt pravis hominum conſiliis in-

duci in peccatum, etiam dæmone proximè non inſtigante. Demum primus angelus ſine ſuggeſtione peccavit: ergo à pari homo ſine ſuggeſtione peccare poteſt. Accedit auctoritas Patrum, Baſilii in reg. brevior. n. 75. Chryſoſtomi hom. 45. in Acta: *Multi*, inquit, *abſque diabolo pereunt. Profectò non omnia ipſe fecit, ſed multa etiam fiunt à ſola noſtra ignavia.*

Probatur ſecunda. 1. Dæmon Evam proximè, imò & Chriſtum ipſum tentavit. 2. Tentare proximè, eſt immediatè applicare objectum à quo tentatio incipit, quatenus phantaſiam commovet. Deinde phantaſia in intellectu per ſpeciem cogitationem excitat, à qua tentatio incipit, inquit Suares: at dæmon id ſæpius præſtat, vel applicando per ſe ipſum objectum ſenſibile, vel excitando phantaſiam commotis humoribus & phantaſmatis ordinatis, vel apparendo ſenſibus, & ſuadendo conſenſum ſub ratione boni apparentis.

Reſp. 3. eſſe ſimul & cauſam proximam tentationis, & remotam peccati ſeu per accidens, quia remotè concurrit ad peccatum, mediante nempe tentatione; nam, inter actionem dæmonis propriam & peccatum, interjicitur cogitatio in qua ratio tentationis poſita eſt; hinc dæmon poteſt eſſe efficax cauſa tentationis, non tamen peccati, inquit Suares, quia poteſt hominem neceſſitare ad tentationem ſentiendam, non autem ad conſentiendum eidem; non enim impedit vſum rationis, dum tentat. Quin etiam reſpectu ejuſdem tentationis poteſt dici cauſa remota ſeu mediata, ſimul & proxima ſeu immediata, phyſicè loquendo; remota quidem ſeu mediata, quatenus

applicat motiva; proxima, prout eſt cauſa moralis.

Dices: Dæmon ex dictis cauſa proxima tentationis eſſe poteſt: ergo & peccati. Reſp: nego conſequentiam; repugnat enim tum ex parte libertatis, tum ex parte vitalitatis, dæmonem eſſe cauſam efficientem proximam, aut totalem, aut partialem conſenſus libertatis humanæ, licèt poſſit eſſe cauſa proxima tentationis. Et verò peccatum incipit à conſenſu, tentatio verò prior eſt ipſo conſenſu: quare ex eo quòd dæmon ſit cauſa proxima tentationis, non ſequitur quòd ſit cauſa proxima conſensûs.

VII. Quæſtio. An tentationes, quarum cauſa eſt dæmon, ſint à ſolo dæmone.

Reſp. in ſtatu naturæ lapſæ dæmonem ſemper juvari ab aliquo hoſte animæ, quia vel per hominem vnum alium ſollicitat aut decipit: vel ſi immediatè aggreditur, concupiſcentiam ſibi comitem adjungit, eámque excitat, vt in animam blandiùs ſe cautiúſque inſinuet; hinc explorat diligentiùs quò ſua quemque ducat rapiátque indoles, vt per debiliorem partem aggrediatur. In ſtatu autem innocentiæ immediatè ſolus Evam tentavit, quia non potuit extrinſecùs adjuvari, nec intrinſecùs ab aliqua paſſione Evæ, nec immediatè operari in ipſa Eva ob donum juſtitiæ originalis. Non putem tamen in levioribus tentationibus aut repentinis, quæ ſtatim tranſeunt, dæmonem ſubſidium ſibi à mundo aliiſque cauſis adjuvantibus petere, viciſſimque concupiſcentiam à dæmone adjuvari: quamvis in gravioribus juxtà & diuturnioribus, & dæmon & mundus & concupiſcentia jungant vires.

S iiij

VIII. Quæſtio. An dæmon inchoet omnem tentationem hominis.

Reſp. non omnem tentationem inchoari ab actione dæmonis; ſed ſatis eſſe, ſi inchoatam à concupiſcentia aliave cauſa promoveat: licèt enim perſpicaciſſimus ſit, non tamen futura prænovit omnia, nec etiam omnia præſentia ſtatim atque fiunt, conſiderat. Quidni ergo antequàm ad tentandum ſe accingat, aliqua paſſio excitetur, & tentationem inchoet, & aliquandiu foveat, dæmone adhuc ceſſante? ſæpe tamen inchoat tentationem dæmon: ſic in Eva & Chriſto tentationem inchoavit. In tentationibus quæ fiunt per ſuggeſtionem ſolam ſive ſuaſionem, incipit quoque vel loquendo exteriùs, vel interiùs phantaſmata concitando & componendo. Denique in tentatione quæ per delectationem fit, poteſt incipere, applicando objecta, & humores commovendo. Ita Suares.

IX. Quæſtio. An methodum ſervet dæmon in tentando, & qualis illa ſit.

Utrique quæſtioni vt fiat ſatis, quatuor pronuntiata ſubjicio.

1. Pronuntiatum. Dæmon methodum ſervat in tentando, 1. quia cùm ſit natura intelligens, & quidem naturaliter perfectiſſima, vtique agit ex fine ad quem media adhibet idonea, adeóque ordinata: at hoc eſt agere ex methodo. 2. Verſutus eſt ex D. Ignatio, varius, vafer & implicatus ex Macario, ſerpentique comparatur, qui callidior cæteris animantibus: igitur artem adhibet vt fallat decipiátque; hinc

2. Pronuntiatum. Methodus plura redigit in pauca, & ordinat inter ſe: quare ſi dæmon arte

& methodo hominem adoritur: neceſſe eſt vt ordinet redigatque in pauca machinas & inſtrumenta, quibus ipſum invadit.

3. Pronunciatum. Dæmon omnia tentationum objecta ad tria ſolet capita reducere, nempe ad gulam, vanam gloriam & avaritiam. Ratio eſt, quòd triplex ſit deordinatio in homine; prima circa Deum per ſuperbiam, ſecunda circa ſe per voluptatem, tertia circa proximum, ſive per injuſtitiam, ſive per avaritiam, ſive per ambitionem fiat.

Et aliunde ex D. Thoma, materiæ tentationum ſunt incentiva cupiditatum, nempe carnis oblectatio, ſpes gloriæ & cupiditas potentiæ; voluptatum quippe, opum & gloriæ homo appetentiſſimus.

Quare dum dæmon voluptate, opum juxtà & honorum cupiditate hominem aggreditur, vtique machinas adhibet omnes, quibus ipſum in partes ſuas pertrahere poſſit: vnde D. Thomas cenſet hac triplici tentatione omnem materiam tentationum contineri; hinc dum Chriſtum invaſit in deſerto, voluptatis illecebram propoſuit in pane; gloriam, poſtquam in pinnaculum templi ſuſtulit; opes in monte, cùm omnia mundi regna eidem oſtendit.

4. Pronuntiatum. Ut vaferrimus eſt dæmon, ita non vnam artem adhibet vt tentationem promoveat; nam 1. adoritur ſub ſpecie neceſſitatis, quæ multùm valet ad tentandum, præſertim cùm de neceſſariis ad vitam agitur. 2. Sub ſpecie boni, qua arte ſolet viros etiam vitæ ſanctioris & in rebus ſpiritalibus multùm verſatos decipere. Pravis quippe mala quæ deſiderant, apertè objicit;

bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit, inquit D. Greg. lib. 33. in Job c. 22. 3. Apertè malum proponit, & ingenti mercede ad gravia quæque ſcelera impellit. Prima tentatio dicitur humana; ſecunda pſeudo-angelica; tertia diabolica, quia apertè dæmonem oſtendit. Partitur itaque objecta in tentando, & ita modum ſervat, vt non de omnibus ſimul tentet, ſed cum ſucceſſione quadam; & vbi vna tentatio non ſucceſſit, alteram ſubſtituit: ſolet enim 1. voluptatibus, deinde ſuperbia & vana gloria, demum opibus & ambitione aggredi; à minoribus vtplurimùm orſus, vt ſenſim ad majora progrediatur. 4. Quamlibet tentationem ad extremum, quantùm fieri poteſt, perducit: ita tamen vt ſæpius quod intendit, occultet; ſerpenti in hoc ſimilis, qui nuſquam totus apparet. Modum quoque tentandi ita habet implicatum, vt ſi fugias vnum peccatum, in alterum incidas. 5. Temporis & loci opportunitatem aucupatur. Denique nunc agit blanditiis, nunc viribus & tormentis, nunc otio & lentè, nunc aſſultibus aggreditur, nunc ſubitis & repentinis tentationibus occupat incautos & imparatos, nunc lentis & mollibus delinimentis effeminat. Denique nonnunquam ad tempus deſerit, & vt ait Auguſtinus, facit hoſtes ſecuros, quos cupit eſſe captivos: quippe qui non opinantes & ſecuros potentiùs deinde invadat; hinc pronuntiatum in vita ſpiritali: *Nuſquam tentatio magis timenda, quàm cùm deſinit.*

Porrò vt dignoſcas, an cogitatio aliqua à malo angelo, an à bono immiſſa ſit, accuratè illa cogitatio excutienda in toto progreſſu, nempe

circa principium, medium & finem; ſi enim hæc tria bene ſe habeant, id argumento eſt, à bono angelo immiſſam: ſin autem occurrit quidpiam, quod ex ſe malum ſit, aut à bono avocet, aut ad minus bonum impellat, quàm anima priùs ſequi conſtituerat, aut ſi pacem animi interturbet & quietem, aut denique boni initio & virtutis ſpeciem prætexuerit, ac deinde mala aut certè ſuſpecta inſinuet, dæmonem vtique illius cogitationis auctorem agnoſces.

x. Quæſtio. Quos potiſſimùm dæmon tentando invadat.

Reſp. duo præſertim hominum genera, nempe eos qui ſe virtuti primùm dedunt, vt eos à ſuſcepto boni operis abducat; eos deinde qui in virtutis exercitatione multùm profecere: parvi quippe ducit imperfectioris vitæ homines ſibi ſubjicere, niſi etiam eos qui robuſtioris ſunt virtutis, ſibi mancipet, nam *cibus ejus electus.*

xi. Quæſtio. Quis finis tentationis.

Reſp. alium à Deo, alium à dæmone intendi; à Deo intenditur virtutis exercitatio, progreſſus in cultu pietatis, aliáque multa de quibus jam egi quæſt. 5. à dæmone autem, peccatum ipſius hominis & ſalùtis excidium, juxta illud Ambroſii lib. 1. de Abraham cap. 8. *Aliter Deus tentat, aliter diabolus; diabolus tentat vt ſubruat, Deus tentat vt coronet.*

xii. Quæſtio. An alia ratione quàm tentando dæmon noceat hominibus.

Reſp. affirmativè, quia cùm duplex malum ſit, aliud culpæ, aliud pœnæ; non tantùm dæmones tentant, vt in malum culpæ impellant, ſed etiam vt miniſtri divinæ juſtitiæ, malum pœnæ homi-

nibus ſæpe infligunt. Quod vt faciliùs intelligas, ſit

1. Pronunciatum. Dæmon nocet hominibus, variiſque pœnis affligit, duabus potiſſimùm ex cauſis. 1. Ut per hæc mala inducat homines ad peccandum: exemplum habes in Jobo cap. 1. & 2. Cùm enim hominum ſaluti perpetuò inſidietur, eos variis pœnis affligit, vt ad impatientiam, deſperationem & blaſphemiam impellat. 2. Ut eos plectat qui jam peccaverunt; Deus enim graviſſimis interdum pœnis homines plectit ob patrata flagitia, non modò in medicinam, ſed etiam in vindictam: ſic orbem eluvione aquarum obruit, & Sodomam ignibus conſumpſit. Utitur autem miniſterio malorum angelorum ſæpius quàm bonorum ad ejuſmodi pœnas infligendas, ex Pſalm. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, immiſſiones per angelos malos.* & ipſe Paulus vſus eſt dæmonum operâ, cùm *hominem Satanæ tradidit in interitum carnis*, 1. Corinth. 5. & D. Hieronymus ideo malos angelos vocat *quæſtionarios atque tortores*, aitque ſpiritum qui vexabat Saülem, ex malorum numero fuiſſe, *qui miniſtrant domino ad puniendos eos qui puniri propter peccata meruerunt.* Ratio hæc afferri ſolet, quòd dæmon hominem impellendo in peccatum vicerit, adeòque jus quoddam victoriæ in ipſum acquiſierit; nam à quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. Cenſet tamen Suares miniſterium infligendæ pœnæ homini, ex recto potiùs ordine divinæ providentiæ, quàm ex jure ipſius dæmonis oriri: nec enim Deum decet per ſe ipſum peccata hominum vlciſci, aut per angelos bonos, ſaltem juxta legem ordinariam, præſertim in pœnis duntaxat

vltricibus, quæ per viliſſimas perſonas ſolent inferri, ac proinde per dæmones executioni mandari debent, vel immediatè, cùm hominum corpora invadunt, vel alterant humores & agitant, vt mortem inferant, mentem decipiant, & voluntatem obdurent : vel mediatè, cùm per homines malos, ventos, & tempeſtates hominibus nocent. Certè cùm dæmones contaminatiſſimi ſint in ſe ſe, iiſdem criminibus homines inquinare ſtudent : & cùm graviſſimis ſuppliciis afficiuntur, homines ſuppliciis atterere maximè cupiunt, & in id incumbunt, vt homini noceant, nec vlli beneficium offerunt, niſi vt graviùs noceant.

2. Pronuntiatum. Quoties dæmon pœnam inferendo homini, alterum in peccatum inducit, aut pœna intrinſecè includit inductionem in peccatum, tunc illam infert, Deo tantùm permittente, non jubente ; quoties autem malum purè pœnale infert, Deo jubente, inferre nihil vetat. Ratio primæ partis eſt, quia Deus non poteſt eſſe auctor peccati : eſſet autem, quia juberet tentationem & ſuggeſtionem mali culpæ. Ratio veró ſecundæ partis eſt ex Suare, quia id de ſe non involvit malum culpæ, nec ejus cauſalitatem, ſed ſolius tantùm pœnæ. Et quamvis dæmon, dum mandatum Dei exequitur, pœnas homini inferendo, ex odio in eum faciat, adeóque peccet, per accidens illa malitia, non per ſe juncta eſt illi actioni, nempe ex perverſa dæmonis voluntate, quam Deus impedire non tenetur : quare dum Deus dæmonem jubet pœnam executioni mandare, permittit tantùm illius culpam. Quanquam

Ex pœnis quas infert dæmon, quædam ſunt

vindicativæ, quòd ſupponant proprium eorum reatum, quibus infliguntur, ac proinde debitum quoddam: quædam duntaxat ad probationem exercitationémque virtutis, quæ non proprium reatum, ſed ſtatum naturæ lapſæ tantùm ſupponunt. Primi generis pœnas Deus jubet, vt Sodomæ incendium: quia per ſe includunt intrinſecam juſtitiam, quas proinde Deus, vt ſupremus judex, poteſt juſtiſſimè præcipere, ſive licitè, ſive illicitè miniſter pro ſua malitia eas inferat; ſecundi verò generis permittit tantùm, vt Jobi afflictiones. Tunc enim Deus agit vt dominus, qui ſine culpa poteſt inferre malum ſuæ creaturæ; non autem vt judex, quia pœnæ ad probationem illatæ non habent æquitatem juſtæ punitionis. Ita Suares Granat. Poſſet tamen Deus, ſi vellet, pœnas ſecundi generis præcipere, ſicut præcepit Abrahæ interfectionem filii, quia illatio illarum per ſe loquendo, nullam culpam includit: & aliunde ex imperio Dei jus habet nocendi miniſter, ſive præcipiat vt judex, ſive vt dominus.

3. Pronuntiatum. Probabiliùs juxta legem ordinariam providentiæ ſuæ Deus per malos angelos pœnas temporales quæ ab extrinſecis cauſis oriuntur, hominibus infert, quia Deus per ſecundas cauſas ſolet ſingulos effectus producere, & aliunde dæmon ex ſe nocendi cupidiſſimus. Huic ſententiæ ſuffragantur Patres, præſertim D. Chryſoſtomus hom. 3. de patientia Job: *Sicut inter homines, inquit, ſunt milites qui honoribus miniſtrando inſiſtunt, & alii qui ad pœnas exigendas ſegregantur: ſic ad miniſteria & hominum diſpenſationes ſancti angeli, ad malorum*

*verò hominum pœnas poſtulandas dæmones tranſmittuntur.* Iſidorus lib. 2. Sent. c. 10. Cyprianus in lib. de idolor. vanit. Aug. l. 3. contra Jul. Dixi pœnas temporales, quæ à cauſis extrinſecis oriuntur, per malos angelos procurari; nam ſpirituales, vt privatio gratiæ ſanctificantis & actualis auxilii vlterioris, immediatè à Deo inferuntur.

## *De obſeſſione.*

I. OBSESSIO eſt operatio manifeſta dæmonis ad nocendum homini. Dicitur manifeſta, vt à tentatione diſtinguatur, quæ occulta eſt ſaltem in principio ſuo.

II. Effectus obſeſſionis triplex præcipuus. Primus, impedimentum quoddam facultatum tum internarum, tum externarum animæ, quæ in agendo minùs expeditæ ſunt. Imprimis ipſa imaginatio ligari videtur, & cor quaſi opprimi, & quidem à principio externo, nempe à dæmone qui id vnum agit maximè, vt hominem fatiget, ejúſque naturales functiones obturbet. Secundus, vexatio quædam poſitiva; ſentiunt enim dolores interdum graves obſeſſi facultatibus internis & externis à dæmonibus infeſtantibus impreſſos, qui identidem extrinſecùs obſtrepunt, verberant, partes extimas tangunt, viſcera torquent & dilaniant, nervos obſtruunt, morbóſque interdum ſanè graves procreant, quod Jobo contigit. Tertius, vehemens quædam impulſio ad malum, præſertim ad luxuriam; dæmon quippe partem ventris infimam vt plurimùm invadit, & in ea motus impuros excitat, interdum adeo vehementes, vt vim quaſi inferre videatur. In obſeſſione

tamen Deus ita potentiam dæmonis moderatur, vt libertatis vſum non adimat, quod ſecus interdum in poſſeſſione accidit. Quin etiam dæmon in obſeſſione aliquando ſub ſpecie canis aut lupi aut felis, alteriuſve animalis apparet extrinſecùs, inſidiatur, invadit, &c. Viſus eſt non ſemel ſerpentis inſtar, corpus obſeſſi hominis modò variis orbibus implicare, modò erratico lapſu ſeipere, aliàs morſibus depaſcere, nunc blandioris auræ in morem, carnem demulcere ſuaviùs, nunc concitatis ſpiritibus titillare, & ad fœdam libidinem potentiùs ſollicitare, &c.

## *De poſſeſſione.*

### *Quid ſit & an ſit.*

DE poſſeſſione dæmonis; quæ eſt omnium operationum malignarum maxima, videndum 1. quid ſit, 2. an ſit, 3. quæ illius origo & cauſæ, 4. quæ partitio illius, 5 quæ ejuſdem effecta, 6. quomodo ſe habeat ad alias operationes malignas, 7. quæ ſint indicia dæmonis inhabitantis, 8. quæ cautio adjuratori adhibenda, 9. quæ ſigna ſint expulſi dæmonis.

1. Poſſeſſio ſumitur vel in actu primo, vel in actu ſecundo. In actu primo ſumpta ſeu habitualis, eſt præſentia extranei ſpiritûs, ſeu reſidentia in corpore arreptitii, cum poteſtate agendi & immutandi corporis; ſeu inhabitatio dæmonis in corpore per modum principii dominantis, cum jure alterandi corporis & agendi in illo & per illud, & efficiendi quidpiam, prout dæmon majorem aut minorem poteſtatem à Deo accepit.

Poſſeſſio in actu ſecundo eſt impreſſio violenta, ſeu motus à dæmone productus, ſive alteratio ſit, ſive impedimentum alicujus potentiæ, etiam liberæ, ſeu operatio maligna dæmonis inhabitantis, quâ ita facultates hominis ſibi aſſerit, vt aliquando rationem & libertatem impediat, & ore arreptitii & loqui & reſpondere videatur.

Ex vtraque definitione vel potiùs deſcriptione, patet 1. dæmonem debere eſſe in homine, tanquam in proprio domicilio, quem vexet per ſe ipſum; nam vexatio mediata non facit arreptitium: v.g. cùm dæmon apparet homini in corpore aſſumpto, aut per ſpectrum loquitur, aut morbos ingenerat per cibos veneno infectos; hinc diſtinguitur ab obſeſſione ſeu infeſtatione, in qua dæmon extrinſecùs aſtat vexatque hominem; nam obſeſſio incipit ab extrinſeco, poſſeſſio autem eſt intrinſeca homini. 2. Requiritur vis & poteſtas vtendi corpore & facultatibus hominis, quæ modò major, modò minor eſt pro conceſſu permiſſuque Dei, aut certè efficiendi quidpiam in homine, ſive ſit alteratio, ſive morbus, ſive potentiarum ligatio; nam dæmones arreptitiis ingentia damna & maximos cruciatus inferre probat Scriptura, Marci cap. 9. vbi arreptitius à dæmone in aquam & ignem præceps agitur, terræ alliditur, fœdè ſpumat, dentibus ſtridet & areſcit; Luc. 11. dæmoniacus efficitur ſurdus & mutus. 3. Id quod efficitur, non ab anima naturaliter, ſed à ſpiritu extrinſecùs adveniente, & corpus arripiente & occupante oriri debet. Denique ſpiritus ille adventitius poteſt & debet ore energumeni & loqui & reſpondere, quòd in obſeſſione non accidit.

Dixi poſſeſſionem fieri à dæmone, non ab animabus ſeparatis, tum quia multa detegunt arreptitii quæ nullus hominum novit: tum quia de rebus altiſſimis diſſerunt, quæ defunctum latuerunt in vita: tum quia ſæpe catenas & compedes frangunt, quibus frangendis impar eſt anima ſeparata: tum quia vehementiùs ſolito agitant & commovent corpora, invita & reluctante anima, à qua informantur: ergo dæmones arripiunt corpora, non animæ ſeparatæ. Nec probabile eſt, tantùm poſſe animam ſeparatam in animam corpore incluſam, cùm ſint ejuſdem ſpeciei, imò & perfectionis individualis, vt docui in libris de anima. Nec refert quòd interdum dæmones ſe eſſe animas defunctorum mentiantur; id enim comminiſcuntur, vt horrorem colloquii hominibus adimant, qui dæmonum, vtpote falſitatis & mendacii ſuſpectorum, congreſſum & colloquium reformidant.

Dixi præterea, poteſtatem vexandi hominis in dæmone modò majorem eſſe, modò minorem pro Dei conceſſu. Quod vt concipias,

Adverte 1. jus illud quod dæmon in corpus energumeni habet, per vnionem ejuſdem cum anima ejúſque facultatibus perfici & quaſi compleri; ex qua vnione operationes tum naturæ, tum gratiæ interdum ceſſant; dæmone intus facultates corporeas & organa occupante, quibus ad varia munia juxta poteſtatem ſibi à Deo datam vtitur.

Adverte 2. quamvis dæmon facultates corporis organáque ad ea patranda adhibeat quæ nativam illorum vim ſuperare videantur, limitari tamen & reſtringi tum à Dei providentia, tum ab

ipſius arreptitii indole ejuſdem potentiam intra ipſius humanæ naturæ limites : vnde fit vt multa quæ propriis viribus extra corpus energumeni agere poſſet, quandiu illius corpus occupat, eadem agere non poſſit; vis quippe illius maligna ex commercio corporis remittitur, & furor aliquatenus reprimitur. Ut ergo radius ſolis ad cryſtalli aut alterius medii occurſum frangitur, nec integer ad terminum ad quem rectâ lineâ diffundebatur, pervenit: ita nec ipſius dæmonis actio integra ad nos, ſed fracta vtcunque remiſſaque pervenit. Et quamvis partem maligni inſtinctus in energumenum dæmon transfundat, non omnem tamen penitus effundit, ſed pro illius indole temperat; hinc non ſemel conqueſti dæmones vim ſuam benigniori ac manſuetiori indole obſeſſi hominis impediri ac retundi; agit enim dæmon pro diſpoſitione ſubjecti : at ſæpe arreptitius ingreſſum dæmonis deprehendit, quid ipſe agat moliatúrque detegit, illiuſque atrocitati & ſævitiæ, vtpote adhuc rationis compos ſuique juris, obſiſtit. Quin etiam licèt interdum rationis vſum dæmon omnem adimat; ferocitas tamen illius naturalis cùm manſuetiori energumeni, tum benigniori gratiæ indole quaſi hebeſcit retunditúrque: itaque ſi quem hominem energumenus colat & revereatur, modò rationis vſu omni non privetur, difficiliùs ad ei nocendum à dæmone impellitur.

11. Verè à dæmonibus arripiuntur homines, ac proinde poſſeſſio, quam deſcripſimus, vera eſt, non fictitia. Hæc propoſitio eſt ex fide, quam paſſim innuit Scriptura; nam Luc. 11. dæmon expulſus è corpore arreptitii, *aſſumit ſeptem alios ſpiritus*

*ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant.* Item Marci cap. vlt. Lucæ 10. & Actor. 16. poteſtas Apoſtolis conceditur ad ejiciendos dæmones. Item legio integra, Luc. 8. & Marc. 5. dæmoniorum ejicitur, quæ vnum hominem poſſederat; & Matth. 17. dicitur genus quoddam dæmoniorum non ejici, niſi oratione & jejunio. Ex quibus locis ſic arguo: non ejicitur ex corporibus, niſi quod intravit eadem: dæmones ex corporibus tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis ejiciuntur: ergo verè dæmones intrant corpora, eáque ſibi aſſerunt & occupant.

Nec dicas ideo dici dæmones intrare corpora, quòd illis poteſtas detur ad nocendum; ejici verò ab iiſdem, cùm eadem poteſtas illis adimitur; nam hæc interpretatio vim infert verbis Chriſti, dum dæmonem qui energumenum invaſerat, ſic alloquitur: ***Exi, ſpiritus immunde, ab homine iſto***; aliiſque id genus Scripturæ locis. Deinde ſæpe dæmones loquuntur ore energumeni: at locutio non poteſt fieri niſi à dæmone intra corpus exiſtente, qui immediatè pulmonem aliáque inſtrumenta voci inſervientia moveat & agitet ex arte.

Probatur ratione: Dantur effectus in arreptitiis, qui non poſſunt niſi dæmonibus tribui: ſæpe enim loquuntur peregrinis linguis, quas nec didicerunt vſquam, nec audierunt; futura prænuntiant; abſentia, quaſi præſentia viderent, ipſi aſſeverant; demum ad cogitata reſpondent: at hæc effecta non poſſunt eſſe ab homine, quia ſuperant illius vires; non à Deo aut bonis angelis, quia ſæpe multa impia & blaſphema proferunt; non ab aſtrorum vi & efficientia aut morbis, vt jam oſten-

dimus: ergo à dæmone inhabitante & dominante oriuntur. At

Dices: Si qua ex re poſſeſſio hominis per dæmonem probari poſſet, maximè ex iis quæ vi exorciſmorum adactus, de myſteriis noſtris enuntiat: at hæc ratio nulla eſt, quia mendaciſſimus cùm ſit, fides ejus verbis non debet prudenter adhiberi: ergo, &c. Reſp. 1. ſive vera, ſive falſa enuntient dæmones, & ore energumeni proferant, inde aſtrui poſſeſſionem & præſentiam dæmonis; quiſquis enim loquitur, verè eſt; nec loqui, eſt rei non exiſtentis. Reſp. 2. licèt dæmones ad mendacium ſuapte indole propendeant, cogi ſæpius vt vel inviti verum & fateri & loqui teneantur, ſive Eccleſiæ auctoritas, cui, velint nolint, obedire coguntur, ſive miniſtri adjurantis ſanctimonia ad id eos adigat: Chriſtus quippe Eccleſiam ſponſam ſuam tuetur & protegit, itaque dæmones eidem ac miniſtris illius etiam reluctantes ſubjicit, à quibus interrogati juſſique ea ſæpius reſpondent & agunt, quæ tacere aut non agere vellent; hinc ad imperium adjuratoris, auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumma demiſſione adorant, Chriſtum etiam poplite flexo honorant, & verum enuntiant vel inviti: ægrè tamen dignoſci poteſt, quando verè aut falsò reſpondeant. Ex his tamen ſignis poteris cognoſcere, nempe, ſi adjurator ſuo rite munere functus, de iis tantùm quæ ad bonum Eccleſiæ, & ſalutem arreptitii ſpectent, interroget: deinde ſi ad ea dumtaxat præſtanda adigat quæ Eccleſia jubet: denique ſi dæmonum reſponſa placitis ejuſdem Eccleſiæ conſentiant, tunc verum eloqui ne dubites. Ratio quippe divinæ providentiæ non permittit Eccleſiæ miniſtros tunc à dæmonibus falli.

## *Quæ origo & cauſa efficiens poſſeſſionis.*

MULTIPLEX eſt origo poſſeſſionis illius. 1. Odium & invidia dæmonis in Deum & hominem, inde orta, & quòd homo imago Dei ſit, & quòd filius Dei, neglecta natura angelica, naturam humanam aſſumpſerit; & quòd ad eam gloriam, qua dæmon ſuperbiâ ſuâ excidit, à Deo homo deſtinetur. Itaque Deo obeſſe cùm non poſſit, rabiem omnem ſuam transfert in hominem vt vivam ejus & ſpirantem imaginem.

2. Dominium quod in hominem per peccatum acquiſivit. In ſtatu quidem innocentiæ nihil dæmoni erat dominii in hunc mundum & in ipſum hominem, qui tum erat Filius Dei & dominus mundi: vnde nihil poterat in ipſum, nihil in ejus corpus, animam & bona, ideóque fraude & aſtutia in illo felici ſtatu exteriùs dumtaxat auſus eſt primùm aggredi: at vbi eum in peccatum impulit, ſibique jure victoriæ ſubjecit; tum enimverò graſſari in ejus bona, mundo dominari, ipſum denique hominem invadere cœpit. Itaque partem ejus inferiorem aggreſſus, corpus arripiendo ita ſuum facit, vt ejus membris vtatur quaſi ſuis, ejus incedat pedibus, manibus operetur, linguâ loquatur: ita demum in eo dominatur, vt non modò liberam inferiorum potentiarum diſpoſitionem & vſum ſibi adſciſcat; ſed ipſam quoque libertatem ita implicet & irretiat, vt energumenus vix diſcernere queat, an aliquid liberè, an coactè fecerit.

3. Dæmonis indoles inquieta: cùm enim actuoſiſſimæ ſit naturæ, hominémque acerrimè oderit,

ſemper aliquid in ejus perniciem molitur. Ex hac cupiditate nocendi affectat hominum commercium, relictis locis ſolitariis, fremens circumit, quærens quem devoret, vt in peccatum pertrahat. Et quoniam per poſſeſſionem hominem ſuo planè ſubjicit dominio, hanc appetit vnam & ambit quàm maximè. Excellentiæ quippe appetentiſſimus, nullibi dominatum ſuum perfectiùs oſtendit, quàm in arreptitiis vexandis, volutandis & torquendis, quos vbi ſemel invaſit occupavitque totos, ægerrimè ab iiſdem expellitur, vt patet Matth. 8. *Veniſti enim ante tempus torquere nos;* & Luc. 8. *Obſecro te, ne me torqueas.* vbi vides tormenti quoddam genus eſſe dæmoni, à corpore humano expelli.

Sed cur nullibi lubentiùs quàm in homine habitat? Reſp. triplici potiſſimùm ex cauſa, 1. quia ejus corpus ſemel ingreſſus, immediatiùs eidem nocere poteſt: 2. quia in illo ſtatu poteſt plura agere naturæ ſuæ genióque maximè accommodata, loquendo, reſpondendo, docendo, aliáque id genus munia obeundo, quæ ſunt propria naturæ intelligentis: 3. quia commercium quod Deus habet cum homine, ſæpe impedit, aut prævenit, aut imitatur, ſe ſe in hominem quantùm poteſt, ita inſinuando, vt in vnam quaſi perſonam coaleſcere videatur. Huc adde cultum vni Deo debitum, hac arte ambire, olimque apud paganos non ſemel obtinuiſſe, qui vt à dira illius tyrannide ſe vindicarent, divinos, vt refert Abulenſis, ei honores obtulerunt.

Hinc ingreſſum in corpora brutorum non appetunt dæmones, aut ſi quando id contingit, vt in ſerpente qui Evam decepit, & in grege porcorum,

Matth. 8. non tam ad vexanda bruta, quàm ad nocendum ipſis hominibus, aut eoſdem in fraudem inducendos, ejuſmodi ingreſſum optavere.

111. Cauſa poſſeſſionis, alia moralis, alia phyſica. Moralis triplex; 1. peccatum ſæpius grave, & interdum leve: grave quidem, tum proprium, tum alienum. Proprium, ſic Nabuchodonoſorem ob ſuperbiam à dæmonibus arreptum, peræquè ac Saülem ob invidiam in Davidem, Patres nonnulli aiunt ob gravia ſcelera, Magdalenam à ſeptem dæmoniis occupatam ob fœdas libidines, interpretes non pauci affirmant. Paulus 5. ad Corint. quemdam Corinthium ſatanæ traditum propter inceſtum commiſſum, & 1. ad Tim. 4. Hymenæum & Alexandrum ob blaſphemias in Deum & Sanctos refert. Denique Tertull. lib. de ſpect. c. 26. fæminam theatrum adiiſſe, & inde cum dæmonio rediiſſe; & in Apol. c. 37. multos à dæmone, dum paganiſmus viguit, ob infidelitatis peccatum correptos teſtatur. Alienum quoque peccatum, præſertim parentum, in cauſa eſt, cur filii arripiantur à dæmone, vt videre eſt apud Metaphraſtem in vita S. Partenii apud Surium 25. Maii tom. 3. in vita D. Zenobii Florentini.

Ob leves verò culpas, non ſemel viri ſancti dæmoni dirè vexandi traditi ſunt, vt probat Caſſianus coll. 7. c. 25. *Corporaliter*, inquit, *traditos ſatanæ etiam viros ſanctos novimus pro levibus quibuſque delictis*. Quod confirmat exemplo Moyſis Abbatis coll. 27. Et D. Gregor. lib. 1. dial. cap. 4. refert quandam monialem ob levem intemperantiæ culpam à dæmone occupatam. 2. Defectus baptiſmi, ideóque exorciſmi inter baptizandum vſurpantur. 3. Naturæ noſtræ conditio, quæ cùm fuerit

fuerit dæmoni ſubdita, non ſtatim in integrum liberatur: vnde Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei cap. 14. queritur pueros etiam luſtralibus aquis tinctos à dæmone invadi; hinc interdum etiam ſine culpa tum propria, tum aliena, à dæmone homines corripiuntur, vt obſervant idem Auguſt. eodem lib. c. 28. & D. Hieronymus in epiſt. ad Paulam in dormitione Bleſilæ. *Quæ cauſa eſt*, inquit, *vt ſæpe bimuli trimulive, & vbera materna lactantes à dæmonio corripiantur?* Tum ſubdit: *Inviſibilia hæc inſcrutabili Altiſſimi judicio ſunt relinquenda.* Ratio hæc tamen reddi poteſt, quòd illa vexàtio malum pœnæ ſit: at mala pœnæ infert interdum Deus ſine culpa propria, aut alterius cujuſquam: ſic multa & gravia mala Job perpeſſus à dæmone ſine vlla culpa. Confirmatur exemplo illius cæci, de quo D. Joannes cap. 9. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus.* Rationes tamen non deſunt, ob quas Dei providentia permittit viros etiam innocentes à dæmonibus invadi, quas mox proferemus, dum de fine poſſeſſionis agemus.

Cauſa phyſica triplex. Prima ordinaria eſt Deus, qui dæmone vtitur tanquam juſtitiæ ſuæ adminiſtro. Secunda, viri ſancti: ſic Paulus inceſtuoſum tradidit ſatanæ in interitum, ſeu in afflictionem carnis, 1. Cor. 5. Tertia, magi & ſagæ, qui ex pacto inito dæmones immittunt in corpora: vt enim Dei ipſius conceſſu ſæpe nocent bonis hominum, ita ipſorum corporibus.

## *Quæ cauſa finalis poſſeſſionis.*

V. FINIS in vexatione corporum, alius à Deo intenditur, alius à dæmone.

A Deo intenditur 1. bonum & emendatio energumeni, ſi peccaverit, nempe vt æternam vexationem dæmonis temporanea vexatione redimat: quare pœna poſſeſſionis non deletrix, ſed purgatrix eſt, vt à Deo infligitur, juxta illud 1. Cor. *Iam judicavi eum, qui ſic operatus eſt, &c. tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Sin autem innocens ſit, infligit hanc pœnam Deus, vt exerceat ipſum probétque, & ita aliis patientiæ & humilitatis exemplum præbeat; hinc monet Caſſianus coll. 28. non deſpiciendos eſſe qui ejuſmodi ſpiritibus traduntur, tum quia ſine Dei permiſſu nullus ab his ſpiritibus corripitur, tum quia Deus, tanquam clementiſſimus pater, juxtà & medicus, illas pœnas immittit, vt purgatiores ab hac vita diſcedant, vel certè pœna leviori plectantur. 3. Inſtructio hominum in myſteriis fidei. Probatur enim exiſtentia ſpirituum incorporeorum, & quidem ad ſenſum, quod Saducæi negabant. Item Euchariſtiæ & aliorum ſacramentorum. Poteſtas quoque Eccleſiæ in ipſos dæmones aſtruitur, cui etiam inviti & reluctantes parent. Quantùm oderint homines, quid patiantur in inferis, vnde peccato ceciderint, quò demum prolapſi ſint, indidem liquet.

A dæmone intenditur, 1. ruina ſalutis hominum, nam *dæmonum operatio noſtra everſio eſt.* 2. Nobiliſſimum in terris locum affectat, cujuſmo-

di eſt corpus & animus hominis. 3. Odium quo ardet in Deum, in hominem, tanquam in ipſius imaginem, gaudet effundere. 4. Odium quo fertur in hominem, tentat exſatiare, nocendo ei quantùm poteſt, tum internè, tum externè facultates omnes occupando. Denique cùm non poſſit dæmon naturæ ſuæ congruenter vivere, conatur ſaltem ſtatui ſuo convenienter, miſeriarum ſuarum ſocios habere.

## *Quotuplex ſit poſſeſſio.*

VI. POSSESSIONIS partitio triplex. Prima fit ratione ſubjecti in totalem & partialem. Totalis eſt, quâ dæmon totum corpus hominis invadit & occupat: partialis, cùm vnam dumtaxat partem; reſidet enim aliquando in humoribus, aliquando in nervis. Greg. Turonenſis cap. 9. de glor. Confeſſ. ſcribit, dæmonem in ſola vngula cujuſdam arreptitii ſedem poſuiſſe. Sanctus item Theodorus, cùm alterum dæmonem in brachio cujuſdam Eutychii reſidere animadvertiſſet, cruce humerum ſignavit, & ingreſſu reliqui corporis prohibuit, vt legere eſt in ejus vita; ſæpius tamen cor invadit, & in eo lubentiùs habitat, vt affectus potentiùs concitet, & totum corpus indidem faciliùs exagitet.

Secunda ratione temporis, in continuam & interpolatam. Continua eſt, quâ corpus ſibi ſemel aſſertum diu poſſidet dæmon: talis fuit vexatio mulieris incurvæ apud Lucam c. 13. Interpolata, cùm variis vicibus invadit: ſic Saülem identidem invadebat dæmon, 1. Reg. c. 16. ſic lunaticum S. Matthæus narrat ſingulis lunis vexatum.

Tertia ratione modi, in violentam & mitiorem. Violentæ exemplum habes in filia Cananeæ, quæ atrociùs à dæmone divexabatur, & in lunatico, qui, vt refert S. Marcus cap. 9. alliſus à dæmone ad ſaxa, & in aquas atque ignem conjectus, ſpumabat ſtridebátque dentibus; mitioris verò in Magdalene. Porrò vis major aut minor vexationis, diuturnitas & brevitas pendent potiſſimùm ex majori & minori poteſtate, quam Deus dæmoni in energumenum concedit, & ex humorum copia & pertinacia, quibus vtitur dæmon ad ſuas operationes: nullibi autem lubentiùs inhabitat, quàm in corpore atra bile infecto; hinc à Caſſiano melancholia dicitur nidus diaboli.

## *Quæ effecta poſſeſſionis.*

VII. VARIÆ ſunt operationes & effectus dæmonis energumenum vexantis, tum in corpus, tum in animam.

In corpus quidem. 1 Dæmon ſenſus affligit, ſpiritus inflammat, humores præter morem conciet, occupat organa, omnéſque facultates corporatas, imaginationis ſedem invadit, ſpecies rerum & imagines permiſcet, & modò confundit, modò ordinat, vt ad malum impellat, in vtroque appetitu cupiditates excitat, corpus concutit & exagitat, modò viſcera contrahit & in anguſtum adducit, modò diſtrahit vehementiúſque dilatat, guttur inflat, membra fœdè contorquet, vultum deformat, modò ſuſpendit in aëre, modò figuram mutat, &c.

In animam, etiam quà rationalis eſt, agit. 1. Intellectum ob naturalem ſpecierum tum ſenſibi-

lium, tum intellectualium connexionem, adeò ſæpe immutat, vt de ſtatu mentis deturbet. 2. Voluntatem ita aliquando afficit, vt libertatem energumenus amiſiſſe videatur, imò interdum illius vſu privetur. Quod vt faciliùs concipias,

Adverte 1. voluntatem arreptitii in quadruplici quaſi ſtatu conſtitui. In primo, voluntas eſt ſui juris & ſine perturbatione. In ſecundo, turbari incipit, ſtante adhuc libertatis indifferentia, homini non abſimilis, qui pluſculum vini hauſit. In tertio, turbata eſt voluntas, & ſine vſu libertatis, ebrio quaſi ſimilis. In quarto, dæmon ita energumenum poſſidet, ita porrò totum occupat, vt integrum advertentiæ vſum prorſus adimat. In primo ſtatu, arreptitius eſt planè ſui compos; in ſecundo, inquietus, ſed adhuc liber; in tertio, libertatis vſu privari incipit; in quarto, ſine omni advertentia & reflexione ſupra ſe ſuaſque operationes, adeóque cùm ad ſe rediit, eorum quæ in ipſo dæmon operatus eſt, nullatenus meminit. Porrò adjuratoris cura & induſtria in dignoſcendis illis effectibus ſtatibuſque tota eſſe debet; alioqui in quolibet commotionis ſtatu perinde aget cum arreptitio, ac ſi ipſe dæmon eſſet.

Adverte 2. ſæpius à dæmone non omnem vſum rationis eripi, ſed tantùm advertentiæ relinqui, quantùm ſufficit ad dignoſcendum malum ad quod arreptitius inſtinctu impulſuque dæmonis potentiùs incitatur, & à quo ſibi temperare non poteſt: ſic enim atrociùs vexatur, præſertim ſi moribus integerrimis ſit. Quin etiam certis tantùm gradibus libertatis privat, eóque adigit, vt ea ſe puret peccata commiſiſſe, quæ tamen non commiſit; hinc angores conſcientiæ & cruciatus, qui-

bus vexatur, quaſi peccato conſenſiſſet. Denique ſpontaneas ſæpe averſiones earum rerum ingenerat, ad quas energumenus ſive ex naturæ, ſive ex gratiæ inductione multùm propendet. Non ſemel viſæ ſunt piiſſimæ virgines, Deum, quem vnicè diligebant, odio ſummo proſequi, à ſacræ Euchariſtiæ vſu abhorrere, ad quam, dum rationis erant compotes, maxima animi propenſione ferebantur: vnde mœror quo conficiebantur, angor quo exedebantur, & quædam quaſi animæ vaſtitas & deſperatio in arreptitiis, niſi adjurator emeritæ prudentiæ vitæque ſanctioris, & in dignoſcendis dæmonis fraudibus diu multùmque verſatus laborantem adjuvet, dolos dæmonis detegat, quid & quantum ex illius operatione cum humana permixtum ſit, diſtinguere valeat; in hanc quippe rem vnam adjuratoris induſtria incumbere debet, ſecus à dæmone ipſi egregiè imponetur.

VIII. Dæmon in energumenum non tantùm per ſuggeſtionem & impulſionem, ſed etiam per impreſſionem agit, quatenus ſe ſuoſque actus ita ei interdum imprimit, vt perinde eos ſentiat, ac ſi re ipsâ eliceret: vnde quæ à Deo patitur ipſe, quaſi ſigillum ceræ imprimit, ſuique odii exuperantia ferè idem in eo agit quod Deus amore ſuo in viris ſanctioris vitæ præſtat, contrarietatem quam habet cum Deo, & ſuæ malignitatis virus in ipſum transfundit; hinc videtur interdum arreptitius ſalutis ſpem omnem abjicere, Deum ſibi infenſiſſimum exhorreſcere, in eum blaſphemas voces emittere. Hic porrò effectus poſſeſſionis eſt omnium maximus; ſed quomodo id fiat à dæmone per impreſſionem in animam arreptitii, difficile,

eſt explicatu; aliter enim Deus agit in animam, vtpote illius dominus, aliter angelus, ſive bonus ſit, ſive malus: quare mallem id explicare per commotionem & excitationem phantaſmatum, per quæ ſolet in intellectum & voluntatem agere, vt jam explicui. Quod autem Deus in animabus imaginem ſuæ majeſtatis, ſeveritatis & iracundiæ imprimat, probat exemplo ſuo Jobus, dum in has voces erumpit: *Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ*, cap. 13.

IX. Quamvis vnio dæmonis cum arreptitio ex odio ortum ducat, in ea tamen quoddam veſtigium amicitiæ aliquando apparet; nonnunquam enim dæmon affectum in ſe reſque ſuas arreptitio ingenerat, qui proinde ipſi compatitur, cauſam agit illius, nec vult eum pro mendace haberi, viciſſimque dæmon ſive ſuo inſtinctu, ſive Dei providentia permittente, energumeno quaſi cuſtos invigilat, curam illius gerit, ſanitati ita ſtudet, vt quandiu ipſum ſibi aſſerit, multò melius habeat, quàm nativa ejuſdem complexio ferat. Id ab adjuratoribus non ſemel obſervatum.

Quærunt hîc Theologi, 1. an operationes omnes quæ fiunt in arreptitio, ſint à ſolo dæmone, an à ſolo energumeno, an ab vtroque: 2. quænam ſint malæ, & vitio vertantur energumeno; vtrique quæſtioni ſex pronuntiata ſatisfacient.

1. Pronuntiatum. Quædam operationes ſolis dæmonibus tribuuntur, quædam ſolis arreptitiis, quædam vtriſque.

2. Pronuntiatum. Operationes quæ dæmoni tribuuntur, quædam ſunt immanentes, quædam tranſeuntes: immanentes ſunt, v.g intelligere &

velle: tranſeuntes, vulneratio corporum, virium debilitatio, & organorum ſenſibilium corruptio, ad quas arreptitii ſe paſſivè habent. Quædam quoque ſunt arreptitii actiones immanentes, quædam tranſeuntes: immanentes ſunt, intelligere & velle, imaginari, appetere: tranſeuntes habent terminum extra ſuppoſitum.

3. Pronuntiatum. Ut ſua intellectio & volitio eſt dæmoni, ita & ſua energumeno, in quibus non communicant: videre, imaginari, audire, cùm ſint actiones vitales quæ ab organo corporeo vitali pendent, arreptitiis tribuuntur, quia actio vitalis, quà talis, neceſſariò exit à principio vitali. De locutione paulò difficilior eſt quæſtio, quia certa quædam inſtrumenta requirit, putà os, dentes, linguam, laryngem & pulmonem, quibus cùm dæmones careant, non facilè voces formare poſſint, niſi inſtrumentis ejuſmodi dependenter à corporibus vtantur: quare ſit

4. Pronuntiatum. Multa loquuntur arreptitii, dæmonibus nihil operantibus: multa quoque dæmones per ora dæmonum loquuntur. Probatur prima pars, quia arreptitii ſæpe à dæmonibus ſinuntur ſuas functiones obire. Probatur ſecunda: nam plura loquuntur quæ vires naturæ humanæ ſuperant. Porrò quinque notæ ſunt, quibus dignoſcere queas, an dæmon loquatur, non autem energumenus: nempe ſi dum voce conſueta loquitur, de rebus altiſſimis & captum energumeni ſuperantibus loquatur: 2. ſi lingua prorſus ignota, v. g. Hebraïca: 3. ſi poſtquam vexari deſtitit, eorum quæ locutus eſt, non recordetur: 4. ſi de rebus ſecretis: 5. ſi non penes ipſum ſit, vt taceat vel loquatur, etiam flagellis atrociùs diverberatus.

5. Pronuntiatum. Articulatiùs multò loquuntur dæmones, ſi vtantur corpore humano, eoque vivente, tum quia homo habet inſtrumenta formandæ voci maximè idonea, tum quia temperies & teneritudo nativa complexionis hominis viventis ad vocis articulationem haud parum confert; hinc vix formant voces in corporibus aſſumptis, ſi pridem mortua ſint, quia deeſt illa organorum temperies requiſita.

6. Pronuntiatum. In operationibus quæ ſoli dæmoni tribuuntur, licèt malæ ſint ex objecto, non peccat energumenus: peccat autem in iis quæ ipſi vni tribuũtur: in operationibus vtrique communibus ſæpius non peccat. Probatur prima pars: nullum eſt peccatum niſi voluntarium ac liberum: actiones quæ vni dæmoni tribuuntur, licèt malæ ſint ex objecto, non ſunt voluntariæ & liberæ arreptitio, qui non tam agit, quàm à dæmone agitur, qui membris ipſius vtitur. Probatur ſecunda: quia ejuſmodi operationes ſunt propriæ obſeſſorum, vt ſuppono, & fiunt ex advertentia rationis. Non nego à dæmone intus reſidente vrgeri vehementiùs potentiuſque ſollicitari energumenum, quàm quemlibet alium non obſeſſum, quia dæmon plus habet poteſtatis in ipſum; reſiſtere tamen poteſt, ſi velit, licèt ægriùs. Probatur tertia: quia in illis operationibus, in quibus communicant, ipſa vis imaginatrix vtplurimùm deluſa & perturbata, rem aliter apprehendit quàm reipsâ ſit, nec tamen cauſa eſt arreptitius falſæ illius apprehenſionis, v. g. dæmon viro energumeno proponit vxõrem ſub ſpecie lupi aut ſerpentis, quam deinde occidit, perturbatio judicii ex imaginatione læſa eſt opus dæmonis, occiſio vxoris viro tribuitur, ſed

T v

citra culpam ob perturbatum judicium. Hac etiam arte refert Aug. lib. 15. de civit. Dei cap. 24. dæmones incubos non ſemel mulieres, imò & virgines vexaſſe, commoti organis generationis, & ad impuram libidinem impuliſſe, etiam reluctantes.

## *An poſſeſſio ſit omnium operationum malignarum maxima.*

x. POſſeſſio eſt omnium operationum malignarum maxima, tum ratione vniverſalitatis, tum ratione ſubjecti, tum ratione temporis, tum ratione modi.

Ratione vniverſalitatis, quia alias complectitur & aliquid multò gravius. Deinde obſeſſio ab extrinſeco oritur, dum dæmon extrinſecùs aſſiſtit & obturbat; intus autem reſidet ſævitque atrociùs in poſſeſſione, deinde arreptitii ore quaſi perſonaliter loquitur, & quidem ſæpe peregrinis linguis, rationis & libertatis vſum intercipit aliquando, quæ purè obſeſſis non contingunt. Ratione ſubjecti, quia vis illius maligna non tantùm ad corpus, ſed etiam ad animam pertinet; id enim agit potiſſimùm ipſe dæmon, vt corpus ab anima ſeparet & animam à Deo. Ratione temporis, diuturna quippe eſt, niſi maturè provideatur, ipſaque diuturnitate creſcit. Ratione modi quem in vexando ſervat; nam cùm exteriùs hominem tentat, fraude blanditiis & promiſſis potiſſimùm agit: in poſſeſſione aperta vi impetit, graſſatur intus, tractatque energumenum eo fere modo quo damnatum; hinc anima dæmoni adeo atrociter intus ſævienti vix reſiſtendo par eſt. Ra-

tio eſt, quòd ad reſiſtendum dæmoni anima ratione & voluntate & internis facultatibus tanquam armis vti debeat: at dæmon facultatibus internis corporeis, à quibus ipſa ratio & voluntas pendent, inſidet & penitus occupat: commotione humorum, agitatione ſpirituum, interdum cruciatuum acerbitate operationes earumdem impedit ac diſturbat. Pleniſſima igitur periculi multumque metuenda poſſeſſio dæmonis, quam proinde poſtulare à Deo & optare ſibi nemo debeat, ſecluſa revelatione Dei: tum quia per eam dæmon tendit ad perniciem animi: tum quia multa indidem peccata interdum blaſphemiæ & convitia naſcuntur. Dixi ſecluſa revelatione; nam Sulpicius in vita D. Martini refert quemdam Eremitam inhabitantis dæmonis vexationem poſtulaſſe à Deo, & ad aliquot menſes impetraſſe, quod eum feciſſe dicendum eſt ex ardentiori fortè quàm prudentiori zelo, aut certè ex revelatione, quòd nulla indidem ipſi peccati macula adhæreſceret, ſed major ad eundem animi demiſſio pertineret.

XI. Quamvis duo ſpiritus, imo & fortè plures, arreptitii corpus ſibi aſſerant, quandiu vexatur à dæmone, nempe alienus qui eſt dæmon, & proprius qui eſt anima rationalis; diverſa tamen ratione eidem inſunt. Ineſt quippe proprius ſpiritus, vt forma connaturalis, & vita prima corporis, adeóque vt pars eſſentialis totius; dæmon, vt forma aſſiſtens & præter naturam. Ille munera functionéſque obit ex naturæ ipſius exigentia, & tanquam actus corporis proprius perfectivuſque, cujus vi atque efficientia corpus vivit, vegetat & ſentit; hic vt forma peregrina & adventitia, &

quaſi tyrannus non ſine violentia agit, motibus concutit inſolitis, vim proprii ſpiritus ligat: vnde totus homo patitur; animus quidem, quia influxum ejus in corpus & operationes impedit; corpus verò, cùm ejus miniſterium intercipit. Ille corpus ingreditur, vt ſervet & tueatur; hic vt vaſtet ac demoliatur. Ille, quandiu homini bene eſt, ſuum ſingulis facultatibus, juxtà & functionibus, quem natura poſtulat, ordinem aſſerit & ſervat; hic omnem naturæ pervertit ordinem, ſed eum præſertim quem in ſtatu innocentiæ homo obtinebat. Tum enim animus membris omnibus præerat ſummo cum imperio; parti verò inferiori civiliter, cujus cupiditates excitabat ſedabatque ad nutum; dæmon membris dæmoniaci vtitur, etiam ipſo invito & reluctante, movétque non ad nutum animæ, ſed ſuum ipſaſque cupiditates ſpiritibus immiſſis concitat in rationem, quam de ſua ſede interdum deturbat: conveniunt tamen ambo ſpiritus, quòd ſint intra corpus, quia operantur intra terminos quantitatis corporis. Cave tamen ne dicas dæmonem eſſe intra animam arreptitii, quia anima non alios habet quàm eſſentiæ terminos, quippe quæ ſpiritalis ſit: at eſſe intra terminos eſſentiæ ipſius animæ, ſolius eſt Dei, quia illius ſolius eſt illabi in animam, qui ſolus dedit eſſe & jugiter conſervat, vtpote effector ipſius eſſentiæ.

Dixi plures ſimul dæmones idem corpus poſſe vexare, 1. quia Matth. 8. legio integra dæmonum vexat hominem: 2. Chriſtus ſeptem à Magdalena dæmonia ejicit, Luc. 8. & dæmon egreſſus è corpore hominis, ſeptem ſecum ſpiritus nequiores aſſumit, & in idem corpus regreſſus, atrociùs

in arreptitium ſævit, Luc. 11. ſive diverſis partibus ſinguli inſideant, cruciéntque, ſive iiſdem in partibus reſidentes, diverſa inferant tormenta, ſive iiſdem locis inhærentes, vires vnà jungant ad eadem mala infligenda quæ arreptitius patitur: qui modus difficiles habet explicatus in ſententia D. Thomæ, qui cenſet angelos eſſe in loco per operationem, niſi fortè dicas plures dæmones concurrere vt cauſas partiales ad eundem numero cruciatum.

XII. Probabiliùs ex omni ordine & principatu dæmones permittuntur ingredi & vexare corpora, ſed præſertim ex infimo. Probatur prima pars: dæmones cujuſlibet ordinis & principatus infeſti ſunt hominibus, teſte D. Paulo ad Eph. 6. ergo & ingredi poſſunt corpora: quidni enim perinde vexent intus atque extrinſecus corpora? Deinde Palladius ſect.15. hiſt. Patrum ait, cùm ad D. Antonium arreptitius adductus eſſet, eum à ſpiritu principali poſſeſſum deprehendiſſe, quem non à ſe, ſed à Paulo Eremita ſimpliciore, cujus haud paulò vis major eſſet, ejiciendum reſpondit. Probatur ſecunda, quia infimus dæmonum perinde ac bonorum angelorum gradus rebus mundi inferioris curiſque ſe immiſcet. Luciferum tamen poſt Chriſti mortem detentum in inferno, nec inde ſolvendum, niſi Antichriſti tempore, multi interpretes inferunt ex initio cap. 2. Apocalypſis.

## *Quæ ſigna veræ poſſeſſionis.*

XIII. NON alia ſunt ſigna veræ poſſeſſionis, quàm operationes ſpirituum in corporibus: vbi enim ſunt ſpiritus, ibi operantur, & vi-

ciſſim vbi non operantur, ibi non ſunt, ſaltem in ſententia Thomiſtarum. Porrò ex illis operationibus quædam levem inhabitantis dæmonis conjecturam ingenerant; quædam vehementiorem: nonnullæ certa ſunt indicia.

Levem ſuſpicionem ingenerant ferini & agreſtes mores arreptitii: quia plures invenias ferinis moribus, qui tamen à dæmonibus nec poſſideantur, nec obſideantur. Item inquieta indoles aſſiſtentem potiùs quàm inhabitantem ſpiritum arguit, ſed non certò.

Vehementem conjecturam faciunt 1. barbaræ & inconſuetæ voces & vlulatus belluini: 2. horribilis & truculentus vultus, qui inhabitantis ſpiritûs trucis extantiam probat; talis enim vtpluri-mùm vultus, qualis inhabitator ſpiritus: 3. ſtupor membrorum, & privatio functionum vitalium ferè omnium, arreptitius de quo Matth. cap. 9. ſurdus, mutus & cæcus: 4. inquietudo maxima, quæ nullibi conſiſtere poſſit, tales fuere dæmoniaci, de quibus Matth. c. 8. in monumentis latitantes, & in ipſos viatores crudeliùs ſævientes: 5. vires ſolito majores quæ catenas frangant, onera graviſſima portent: 6 tormenta exquiſita; videas enim arreptitios, qui modò in ignem dejiciantur, modò ſe agant ex alto præcipites, modò tentent ſe ipſos interficere, vt Marc. 9. Sed hæc ſigna ſeorſim à certioribus, de quibus poſtea, ſumpta, levem pariunt ſuſpicionem, quia ab aliis cauſis prodire poſſunt.

Primum quidem nullatenus indubitatum, quia poteſt vel à phreneſi, vel ab arte, aut à dæmone extrinſecùs vrgente oriri: ſecundum à natura agreſti & barbara: tertium à morbis caducis: quar-

tum à melancholia & lycanthropia, ſeu lupina inſania: quintum, licèt cæteris probabilius ſignum ſit, non eſt tamen vſquequaque certum; viſi enim ſunt homines non pauci, qui viribus ſupra fidem humanam pollerent; ſic Maximinus Imperator equo manus percuſſione dentes excutiebat: ſextum, epilepticis familiare, qui dum hoc morbo corripiuntur, ſe ipſos dilaniant, in ignem conjiciunt, &c.

Nihilò magis certiora ſunt plura alia ſigna, cujuſmodi ſunt abſtinentia à cibo & potu per plures dies, flatus à capite ad pedes deſcendentes, & de pedibus ad caput exilientes, ſenſus formicarum ſub cute reptantium, corpus per aëra ſublatum, tum quia hæc & alia, de quibus antè, à matricalibus morbis oriri poſſunt, tum quia obſeſſis & poſſeſſis communia, tum quia Chriſtus in pinnaculum templi & in montis verticem à dæmone tranſlatus, à quo tamen nec infeſtari, nec invadi potuit.

Certiùs inhabitantem dæmonem produnt ſequentia ſigna. Primum ſit, aliena & ignota lingua rectè & plura loqui, quia expreſſio conceptuum idiomate alieno ac peregrino eſt à natura intelligente: ergo vel ab homine, vel ab angelo, vel ab anima quæ à corpore ſeparata corpus arreptitii invaſerit, vel à Deo. Non ab homine qui ſæpe penitus ignorat placitum populorum qui idiomata peregrina inſtituerunt. Nec dicas melancholicos & phreneticos ebullientibus plus juſto humoribus & ſpiritibus concitatis poſſe loqui; cùm enim linguam ejuſmodi nec legerint vnquam, nec audierint, nec didicerint, quî fieri poteſt, vt quod nec in ſenſu, nec in mente ha-

buerint vnquam, in eorum ore ſit. Deinde ſi loqui alieno idiomate poteſt à naturali morbo oriri, donum linguarum Apoſtolis conceſſum à Deo, vix probare poteris fuiſſe Dei munus. Non ab anima ſeparata, quia linguam quam non didicit, dum corpore incluſa erat, adhuc ignorat. Non à Deo, aut angelo bono, præſertim ſi alia ſigna adjungas, qualia ſunt, inhoneſtæ & blaſphemæ voces, aut fuga ad tactum rerum ſacrarum; nam ſi hæc ſigna non adjungas, non repugnat aliena ejuſmodi idiomata à Deo, aut bono angelo eſſe poſſe. Quanquam qui Deo agitante & quaſi dictante, peregrina loquuntur lingua, vt Apoſtoli, alia longè ratione loquuntur. Nam Apoſtoli ſponte loquebantur, dæmoniaci ſæpius invitè; illi, quæ vocibus ſignificatio ineſſet, & qui loquentes audiebant, probè intelligebant: hi verò nec idioma peregrinum, nec ſignificatum ſæpius capiunt.

Supereſt ergo vt à malo angelo locutio illa prodeat, & quidem intus exiſtente, vt pulmonem moveat & agitet; hinc fortè 4. Regum 21. dicuntur arreptitii Pythonem habere in ventre. Exempla ſi ſcire aves, conſule D. Hieronymum in vita Hilarionis, Sigibertum in vita S. Bernardi. Teſtatur hic auctor, cùm circa annum 1122. Norbertus Præmonſtratenſis puellam arreptitiam adjuraret, dæmonem Cantica Canticorum ore puellæ à principio vſque ad finem edidiſſe, & ad verbum tum Romanè, tum Teutonicè interpretatum.

Secundum. Quædam magna, inſolita, & quæ vires naturales hominis captumque ſuperent, loqui.

Tertium. Res prorſus occultas, & quæ in re-

motiſſimis regionibus gerantur, enuntiare ac palam facere; ſed quoniam tum à Deo, tum à bono angelo patefieri poſſunt, nec deſunt inter homines qui edocti à Deo aut à dæmone divinent. Ut ex hoc ſigno cognoſcas dæmonem inhabitantem, duo requiruntur; primum, vt homines qui hæc annunciant, nullum pactum cum dæmone inierint: ſecundum, vt adſint alia ſigna, putà interni cruciatus, aliáque id genus, de quibus antè diximus.

Quartum. Poſtquam vis dæmonis intus agitantis, dictantis & loquentis remiſit, quæ porrò acta ſint aut dicta, nullatenus recordari; ſed hoc ſignum ſi ſolitariè ſumitur, non prodit certò dæmonem inhabitantem: nam qui phreneſi laborant, iidem loquaciſſimi, & tamen ſanitati reſtituti, nihil meminere: quare debuit energumenus, dum atrociùs vexaretur, mira proferre & revelare occulta.

Quintum. Chriſti mentionem exhorreſcere, ſacra averſari, ad divina verba vehementiùs commoveri, & in furorem agi, Eccleſiæ ingreſſum fugere, benedicta omnia ſanctorumque imagines nolle aſpicere, ſed projicere, conſpuere & proculcare, & ad remedia quæ ab Eccleſia adhiberi ſolent, vehementiùs conturbari, v. g. ad tactum ſacrarum reliquiarum inconditos clamores & vlulatus edere.

Sextum. Ad cogitata hominis qui ad dæmonem conceptum ſuum direxerit, reſpondere, quod eſt omnium dæmonis inhabitantis certiſſimum argumentum. Certè actionem angeli ab humana diſtingui, triplici potiſſimùm ex capite generatim docent Theologi. 1. Si motus corporum ſit talis

naturæ, vt neque vſu naturali, neque convulſivo motu organorum fieri poſſit; 2. ſi peregrinis & ignotis linguis loquatur, cùm enim voces ex inſtituto hominum vim ſignificandi habeant, nulla eſt tanta vis facultatis imaginatricis, aut melancholici humoris, vt tam varia tamque diverſa idiomata formare queat; 3. ſi abſentia, occulta & prorſus ignota, ſed præſertim directas ad ſe ab homine cogitationes cognoſcat aperiatque.

## *Quæ obſervanda adjuratori dæmonum.*

XIV. EI qui curandis energumenis & dæmoni ex eorum corporibus expellendo incumbit, non vna eſt adhibenda cautio.

Videat itaque 1. ne fraus aliqua ſubſit, ſolet enim dæmon reſponſis ſuis adjuratori ſæpius illudere, & ſe quaſi involvere, ne pateat, vt adjurator interrogando defeſſus ab opere deſiſtat: vbi ſe indicavit, ad tempus interdum recedit, vt arreptitius ſe omnino liberatum putet.

2. Videat quoque ne mentis potiùs imbecillitate aliíſque morbis, quàm infeſtis ſpiritibus vexetur: quare nec medici judicium reſpuere debet, qui ſi morbo laborare aliquo deprehenderit, curet ipſum ex arte ſua.

3. Non facilè vni aut alteri judicio fidem adhibeat, ſed plura conquirat, eáque certiora.

4. Ne dæmonem res vanas & inutiles roget, aut cum ipſo jocetur, nugaſve miſceat; ſanctum enim quiddam eſt dæmones ejicere, ideóque ſanctè & ſeriò tractandum.

5. Nugantem dæmonem, & jocos ac ridicula miſcentem effutientémque reprimat, nec facilè

multa loqui ſinat ; ſolet enim dæmon multos inter loquendum quà fidei, quà morum errores docere, innocentes infamia notare, occulta crimina detegere, interdum blandiri & laudare, vt ad ſuperbiam impellat, quemadmodum obſervat Sanchez lib. 2. de præc. c. 42. num. 25. & 26.

6. Audacter dæmoni imperet, magnumque illius contemptum præſe ferat exemplo Chriſti, qui nequam & immundum ſpiritum ſæpius appellavit.

7. Orationi, jejuniis aliiſque piis operibus vacet impenſiùs ; in oratione quippe & jejunio dæmonia ejiciuntur ; hinc

In adjuratore non vna virtus requiritur ; nam 1. multa ſcientia opus eſt, quâ fraudes dæmonis detegat. 2. Magna fide, vel potiùs ſumma in Deum fiducia, cujus virtute & efficientia hoc totum opus peragitur. 3. Prudentia exquiſita, quæ certa ſigna ab incertis ſecernat, nec facilè ſibi ab hoſte callidiſſimo ſinat imponi. 4. Magnitudine animi & conſtantia, quia ſolet dæmon adjurantem fatigare, modò latendo, modò reſponſa implicando, modò ad tempus recedendo. 5. Summa vitæ ſanctimonia : vt enim quiſque ſanctiſſimus, ita ad dæmonem abigendum potentiſſimus. *Magna*, inquit magnus Antonius, *adverſus dæmonem arma ſunt vita ſincera & intemerata in Deum ſides.* Licèt enim vitæ ſanctitas non ſit abſolutè adjuratori neceſſaria vt dæmonem expellat, tamen neceſſaria eſt vt adjuratio decenter & congruè fiat, quia adjurator ſe exhibet divinæ poteſtatis inſtrumentum : ergo debet ſe conformare ſanctitati principis agentis, nempe Dei. Meminerit itaque quiſquis huic ſe ſancto accingit operi, ſibi non

tam ratiocinio ad id opus eſſe quàm lumine cæli-tus immiſſo; pace, non tumultu; induſtria, non violentia; vigilantia, non clamore; vnctione Spiritus ſancti, ac patientia multa, ſed imprimis ſumma familiaritate cum Deo potiùs quàm magno exorciſmorum apparatu rem ſibi peragendam.

XV. Modò faciliùs, modò difficiliùs dæmones è corporibus energumenorum abiguntur. Patet experientia. Ratio eſt, quòd major à Deo quibuſdam dæmonibus, aliis minor poteſtas in corpora conceſſa ſit. Majorem autem accipiunt à Deo poteſtatem dæmones, lunatici, ſurdi ac muti, quia majorem cladem inferunt, vt cernere eſt in puero vexato, Matth. 17. Marci & Luc. 9. qui à dæmone alliſus, diſcerptus & in aquas dejectus.

XVI. Diſceſſum ſuum ſolet dæmon quibuſdam ſignis ex juſſu adjuratoris prodere; putà vexatorum in terram dejectione, vel luminis extinctione, vel tumore inſolito partis illius per quam egreditur, recedente, hoc indicio egreſſum ſuum probavit ille dæmon, quem beata Catharina Senenſis expulit: tumore enim repreſſo quem in energumeni gutture excitaverat, ſanitas ægro reſtituta eſt, vt refert Raymundus in ejus vita; vel vomitu rerum putidarum: ſic olim ſanctus Benedictus aquam luſtralem cuidam puero arreptitio propinavit, ſtatimque poſt hauſtum cum ingenti vomitu exiit ſpiritus nequam, & quem S. Dominicus ejecit, magnam vim carbonum evomuit; vel clamoribus inconditis, vel vnguis diſſectione, vel nominibus ipſorum dæmonum, aut Dei aut B. Virginis qui abiguntur, fronti aut manui in-

ſcriptis. Celeberrima eſt illa dæmonum è corporibus caſtiſſimarum virginum ejectio, quæ Loduni contigit, in qua crux primùm vnius fronti è virginibus obſeſſis, à dæmone tanquam exitûs ſui indicium inſculpta, quæ per dies decem circiter permanſit, & poſtmodum deleta eſt, cicatrice relicta. Deinde ejuſdem manui nomen D. Joſephi primùm, tum B. Virginis, poſtea Jeſu, poſtremò S. Franciſci Saleſii majuſculis literis inſcriptum, qui characteres cum temporis decurſu delerentur, poſtea cùm noctu oraret, aut ad ſacram ſynaxim accederet virgo, non ſemel innovati ſunt. Quin etiam obſervat Exorciſta, cùm nomen Jeſu arreptitiæ virginis manui inſculperetur, & auguſtiſſimum Chriſti corpus ſibi à Sacerdote adjuratore porrectum ſumeret, ita altè ejuſdem animo Dei majeſtatis iratæ impreſſam imaginem, vt pene exanimis conciderit, ex qua cognitione experimentali perfectè didicit, quid ſit Deum habere contrarium. Porrò an Deus per ſe hanc illius menti iratæ majeſtatis ſpeciem impreſſerit, an ipſi primùm dæmoni, qui in ipſo egreſſu illius vicariam imaginem eidem deinde quaſi ſigillum impreſſerit, non liquet. At certè teſtata eſt non ſemel illa virgo ſe tum demum cognoviſſe, quid ſit, & quàm horrenda mors illa æterna quam incurrunt illi homines, qui peccato lethifero infecti, divinæ indignationis pondus in ipſo mortis articulo ſentiunt; ſed Chriſtus dæmoni expulſo ſuffectus, horrorem ex illius animo diſcuſſit omnem, & tranquillitatem reſtituit. Ex quo exemplo haud leve ducitur argumentum tum Chriſti ſub ſpeciebus euchariſticis verè exiſtentis, tum dæmonis corpus antea occupantis,

ac ſibi aſſerentis. Age enim, quæ alia cauſa, hanc crucem fronti inſculpere, aut nomina Jeſu, Mariæ, Joſeph & Franciſci Saleſii manui imprimere valuit? an ipſa vis imaginatrix? At quæ tanta vis eſſe poteſt facultatis illius, vt cùm lubet, tam altè characteres imprimat corpori, præſertim jam adulto ac duriori, tantillo temporis ſpatio? an cauſa alia externa? at nulla apparuit extrinſecùs: ergo ſupereſt vt à ſolo dæmone, qui corpore illo quaſi ſuo vtebatur, characteres ejuſmodi impreſſi ſint.

XVII. Signa certiora expulſi dæmonis ſunt, 1. ſi nullum ampliùs ex ſignis quæ indicia ſunt dæmonis inhabitantis, in arreptitio appareat; 2. ſi nullam ampliùs à dæmone ſe pati moleſtiam ſignificet, & quidem per aliquot menſes.

XVIII. Ut mali angeli corpora invadunt ſibique aſſerunt, ita & boni, eorum præſertim qui ipſos colunt, corpora occupant. Probatur 1. ratione: quia dæmon non eſt valentior ad nocendum homini, quàm bonus angelus ad conſervandum eundem & cuſtodiendum: at dæmon invadit corpora vt iis noceat: ergo potiori jure eadem bonus angelus occupat interdum vt protegat. Probatur 2. experientiâ: viſi enim ſunt non ſemel boni angeli corpora virorum inſignis ſanctimoniæ ſubiiſſe, vt ipſis cùm imperio præeſſent, regerent ad nutum, ſparſos ad exteriora revocarent ad ſe ſe, & ad omnia pietatis officia blandiùs invitarent. Confirmat id ipſum Ludovicus Gravina multis exemplis lib. de viſione corp. angel. c. 3. Confirmat D Bernardus, dum ait angelos non tantùm clientibus ſuis aſſiſtere extrinſecùs, vt portent manibus ſuis, ſed etiam adeſſe intus, vt tuean-

tut & proſint. *Adſunt, inquit, tibi, non modò tecum, ſed etiam pro te; adſunt vt protegant, adſunt vt proſint*, &c. Denique confirmat exemplum D. Stephani, cujus facies erat quaſi angeli, ex Actor. cap. 6. At

XIX. Partim conveniunt, partim diſcrepant bonorum & malorum angelorum poſſeſſiones; conveniunt quidem, quòd in hominis animum nuſquam illabantur, quia illapſus vnius Dei proprius: 2. quòd corpore poſſeſſo vtantur quaſi ſuo ad varias functiones, quæ præter naturam illius ſunt. Diſcrepant ratione finis & modi agendi; bonus quippe angelus ſibi vindicat corpus, vt illud animo & gratiæ ſubdat ad ſalutem: malus autem vt perdat. Ille corpora noſtra ſubit, membra pervadit, ſanguini cæteríſque humoribus ſe immiſcet, vt animas noſtras in functionibus ſupernaturalibus adjuvet, rationem illuſtret, torpentem voluntatem ad omne honeſtatis decus incitet, & facultates corporatas gratiæ executricis adminiſtras corroboret: hic verò vt mentem à functionibus ſupernaturalibus avocet, rationi tenebras offundat, voluntatem torpentem reddat. Ille rationis vſum adimit nunquam, imò corroborat, vtpote terſiſſimum Dei ſpeculum, luce copioſiùs affuſâ: hic ſæpius rationis vſum eripit. Ille ſplendorem corpori, gratiam vultui communicat; hic corpori perinde ac vultui deformitatem. Denique inhabitantem bonum angelum moderati animi motus, totius corporis honeſta conformatio, & gratiæ decor vultui affuſus; dæmonem verò intus ſævientem ac graſſantem inſolita membrorum agitatio, fœda oris ac vultûs contorſio produnt. Meritò itaque P. Faber, primus

ſancti Ignatii noſtræ Societatis fundatoris ſocius, ſanctos angelos rogabat, vt ſe ſuo ſanguini & ſpiritibus cùm vitalibus, tum animalibus vellent immiſcere, eos ita temperarent ac moderarentur, vt eſſent inſtrumenta gratiæ idonea, ſibique ad propriam & aliorum ſalutem, cui vacabat impenſiùs, prodeſſe poſſent.

Porrò quamvis angelus bonus corpori, dum poſſidet, præſentiſſimus ſit, ejúſque facultates & organa ad opportunos gratiæ vſus pro nutu ſuo adhibeat; longè tamen perfectiori modo Deus animum corpúſque noſtrum poſſidet, pleniúſque eidem dominatur, quia eſt ens nobis multò connaturalius, arctiúſque vnitur, quàm nos nobis ipſis vniamur; præſertim cùm nobis non tantùm vt auctor naturæ, ſed vt auctor gratiæ conjungitur. Tum enim non tantùm vt *dulcis hoſpes animæ*, ſed etiam vt principium ſuſtentans, & radix vitalis omnis ſanctitatis, dum ſe animæ communicat, ſpiritus cùm animales, tum vitales ſic commovet, ſic moderatur, ſic alit ac fovet, vt gratiæ operibus mirabili quadam ratione inſerviant; hinc Paulus ab inhabitante ſpiritu infirmitatem noſtram adjuvari docet, nos ſpiritu mentis noſtræ renovandos monet, hoc eſt, Deo inhabitante & corroborante. Exemplum habes in Apoſtolis, cùm in die Pentecoſtes Spiritus ſanctus iis ſe pleniùs infudit; tunc enim eorum facultates animæ & corporis ſibi aſſeruit, ac ſummo imperio iis dominari cœpit, intus agitare, dictare, ore demum loqui viſus eſt, juxta illud Scripturæ: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

Adverte tamen, cùm Deus hominem ſic poſſidet,

det, vigere in eo rationis vſum, eúmque ſui juris eſſe; naturam quippe non deſtruit Deus, ſed perficit, non perturbat, ſed pacat, eámque, cùm viget maximè ratio & voluntas liberrima, ſibi arctiùs vnit, vt eandem perficiat, pleniúſque poſſideat: itaque animus hominis in hoc ſtatu ita diviñi juris eſt, vt ſit etiam ſui. Contrà verò dæmon hominem quem invadit, ſæpius ſibi eripit, & ita extra ſe ponit, vt quid agat, non ampliùs conſideret, nec in ſe ſuaſque operationes redeat, ſed rationis omnis ac libertatis expers interdum videatur. Contingit tamen aliquando vt arreptitius occupanti dæmoni, & ad graviſſima quæque ſcelera impellenti, integro rationis ac libertatis vſu vltro conſentiat; quid agat, aut quid patiatur, non ignarus. Quæ poſſeſſio eſt omnium periculoſiſſima & maximè metuenda, vtpote ei quam ſibi in animas damnatas dæmon vindicat, non multùm abſimilis.

## §. V. *An angelus poſſit verum miraculum edere.*

I. OBSERVATIO. MIRACULUM in genere eſt opus infrequens & eximium, cujus exiſtentia patet, ſed cauſa latet, ideóque admirationem parit. Porrò cauſa latet, vel quia ſuperat omnes vires totius naturæ creatæ: vel quia ſuperat tantùm vires illius ſolius naturæ, quam præ oculis habere ſolemus; hinc

II. OBSERVATIO. Miraculum aliud ſimpliciter dictum, aliud ſecundùm quid. Illud eſt quod ſuperat omnes vires naturæ creatæ, ſeu, vt ait D. Thomas, quod fit præter ordinem totius

naturæ creatæ, ſub quo ordine continetur omnis virtus creata: hoc verò, quod habet quidem cauſam ſui in natura, ſed quæ nos lateat, diciturque mirum ſeu mirabile. Hinc vides miraculum ſimpliciter dictum partim convenire cum miraculo ſecundùm quid, partim differre. Convenit, quòd raritatem ambo requirant: 2. quòd cauſam habeant occultam; differt autem, quòd verum miraculum ſuperet virtutem creatam.

III. Observatio. Mirum aliud abſolutè: aliud ſecundùm quid, ſeu reſpectu noſtri. Mirum abſolutè illud eſt, quod admiratione dignum foret, licèt cauſam & modum, quo fit, ſciremus. Mirum ſecundùm quid & reſpectu noſtri illud eſt, cujus cauſas neſcimus, adeóque admiramur, non tamen admiraturi, ſi noſcemus. Hæc mira vocantur portenta, monſtra & prodigia. Quæritur hîc 1. an angeli poſſint efficere miracula ſimpliciter dicta, an tantùm ſecundùm quid: 2. ſi edant miracula ſecundùm quid, quomodo ea edant.

I. Assertio. Angeli non poſſunt miracula ſimpliciter dicta & vera propria virtute edere. Ita omnes Theologi.

Probatur 1. Miraculum ſimpliciter dictum eſt opus potentiæ ſimpliciter infinitæ, cui ad nutum natura creata obediat: angeli non habent potentiam ſimpliciter infinitam, nec ipſis natura obedit ad nutum: ergo angeli non poſſunt propria virtute miracula ſimpliciter dicta edere. Major certa eſt ex definitione miraculi ſimpliciter dicti, quod eſt præter ordinem totius naturæ creatæ: quare minor probatur, nam angeli potentia cùm ſit affectio illius naturæ, quæ eſt ens ab alio, adeóque finita, ipſa quoque finita ſit oportet. Deinde

natura ei duntaxat enti præſtò eſt ad nutum, à quo ex nihilo eſt condita, & quod in ipſam pleniſſimum ſibi dominium vindicat: at ſolus Deus talis eſt, non angelus, cui proinde natura ad nutum non obedit, ſed vni Deo, de quo meritò Pſaltes pronuntiat Pſalm. 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Ubi vox, *ſolus*, excludit conſortium cujuſlibet cauſæ creatæ in genere cauſæ principalis, licèt non excludat in genere cauſæ inſtrumentalis, juxta illud D. Auguſtini: *Ipſe facit mirabilia ſolus; quoniam quicunque faciunt, ipſe in eis operatur.*

Confirmatur aſſertio à poſteriori: quia ſi angeli propriis viribus miracula vera ederent, rueret argumentum quod ex veris miraculis ad probandam fidei catholicæ veritatem Eccleſia repetit. Deinde operatio miraculoſa vel eſt creatio, vel ſuſcitatio mortui, vel perturbatio vniverſi, v. g. retardatio ſolis ſupra horizontem; nihil horum poteſt angelus patrare propriis viribus. Non primum, quia creatio in genere cauſæ principalis eſt opus potentiæ infinitæ. Non ſecundum, ob rationes jam allatas. Non tertium, quia nulla cauſa creata poteſt perturbare ordinem vniverſi, niſi Dei juſſu ac permiſſu, qui illius eſt auctor & gubernator.

II. ASSERTIO. Angeli poſſunt in genere cauſæ inſtrumentalis vera miracula patrare.

Probatur; quia poſſunt elevari à Deo, ſive per virtutem ſibi divinitus impreſſam, ſive per vberiorem concurſum extrinſecum ad effectus ſupra naturam producendos. Et verò ſi hominibus miraculorum gratiam conceſſit Deus ad probationem veræ fidei, quidni etiam angelis largiatur. Quin

etiam probabile eſt, Deum in iis miraculis quæ fieri poſſunt per motum localem, miniſterio angelorum vti ſolitum, quia decet Deum vti creaturis ad eum finem, ad quem vtiles eſſe poſſunt: inde enim major vniverſi vnitas exiſtit, quia ſic partes arctiùs inter ſe copulantur vinculo actionis & paſſionis: major item Dei ſapientia ac bonitas apparet, quæ naturas illas ſimplices ad opera ſupernaturalia vt inſtrumenta adhibeat.

III. Assertio. Angeli poſſunt multa miracula ſecundùm quid, quæ prodigia dicimus, Deo permittente, patrare.

Probatur: quia ejuſmodi prodigia nihil aliud ſunt, quàm miri & occulti effectus, quorum cauſa nos latet, ſed angelis patet: ergo angeli poſſunt illos effectus producere, adeóque miracula latè ſumpta edere: ſic operâ dæmonis ignis è cælo decidit, & familiam Jobi cum gregibus pecorum vno impetu conſumpſit, turbo domum, in qua filii ejus verſabantur, dejecit, eóſque ruinis collapſæ domûs obtrivit.

Dixi, Deo permittente; niſi enim Deus permiſiſſet, non potuiſſet dæmon Jobum lædere, nec porcos invadere: vnde Delrius obſervat Neronem nullum, quamvis ſæpius tentarit, & ope magorum ſit vſus, magiæ experimentum edere potuiſſe, itáque magicam artem contempſiſſe.

IV. Assertio. Quoties angeli hæc mira operantur, vel actione immediata, vel mediata ſolent operari.

Immediata quidem, dum per motum localem corpora celerrimè movent ac devehunt, ſubducunt alia, aliis præpropere in eorum locum ſuffectis. Tales fuiſſe Gentilium metamorphoſes cen-

ſuit Auguſtinus, v. g. Diomedis ſociorum in aves, & Iphigeniæ in cervam.

Mediata verò, eáque duplici, nempe vel applicatione activorum ad paſſiva, vel illuſione ſenſuum, quæ triplici modo peragitur, nempe mutatione objecti, aëris medii & organi.

Mutatio objecti fit quatuor modis, 1. celeri agitatione objecti, vel occultatione, vel ſeparatione, vel conglutinatione: 2. certa ejuſdem diſpoſitione in ordine ad oculum videntis: 3. formato ex elementis, ſed ex aëre potiſſimùm objecto, eóque intuentibus propoſito: 4. appoſitione corporis alicujus mixti ad aliud corpus, vi cujus longè aliud apparet, quàm re ipsâ ſit.

Ex parte medii, mutatio fit quinque modis, 1. impediendo ne ſpecies ad ſenſum perveniant: 2. imbuendo medium peregrina qualitate, quâ modificatæ ſpecies objectum aliter quàm in ſe ſit, repræſentant: 3. inſpiſſando objectum circa medium: 4. ſi moto aëre medio, moveantur ſpecies: 4. varia conformatione, vel multiplicatione ſpecierum ſenſibilium, v. g. ſi multiplices ſpecula, ſpecies multiplicatæ objecta alio in loco exhibebunt quàm ſint, & quæ procul abſunt, quaſi præſentia repræſentabunt.

Mutatio ex parte organi variè fit: 1. mutato ſitu organi, vnde res alibi videtur, aut certè gemina: 2. humoribus agitatis perturbatiſque, vt ebriis accidit: 3. craſſiore humore viam interdum obſtruente, ne ſpiritus ad organum affluant. Exempla invenies apud Delrium lib. 2. diſq. mag. q. 18. vbi fuſiùs hæc omnia explicat, ibique obſervat, dum dæmon perſuadet hominibus eos in beſtias commutatos, non ſolùm organum immu-

tare, ſed etiam & medium aliquando, ſemper verò phantaſiam ſimul: at

Quæres, in quo miraculum verum à miro dæmonum diſtinguatur. Reſp. quinque potiſſimùm capitibus diſtingui; nam 1. miraculum verum ſuperat totius naturæ vires: mirum continetur in virtute cauſæ alicujus creatæ. 2. Miraculum habet pro fine ſalutem vel animæ, vel corporis, vel vtramque ſimul: ſic Chriſtus ſanabat corpora, vt ſanaret animam; mirum vt eſt à dæmone, finem habet malum, & bonis moribus aut fidei repugnantem. 3. Miracula, vtpote Dei opera perfecta ſunt; hinc ſanitas à Chriſto ægrotis reſtituta multò integrior erat: mira dæmonum ſæpe in multis deficiunt. 4. Miracula fiunt per invocationem Dei: mira dæmonum ſemper admiſtis abſonis, vanis, ridiculis & ſuperſtitioſis precibus aut ſignis. 5. Dæmonum mira veris miraculis ſupervenientibus evaneſcunt: ſic virgæ magorum in aula Pharaonis à virga Moïſis devoratæ ſunt, & oracula dæmonum Chriſto nato obmutuerunt, vt obſervat Theodoretus lib. 10. contra Græcos circa medium. *Nulla*, inquit, *divinationes ... Caſtalias aquas fluunt, nulla ad Colophonium fontem: nihil prædicit liber Threſprotinus, nihil tripus ille Cirrhæus: Dodonæum tintinnabulum nihil nugatur; nihil loquitur vulgatiſſima illa quercus: tacet Apollo, Delius, Pythius*, &c.

Quæres 2. in quo diſtinguatur actio angeli ab actione cauſarum naturalium. Reſp. in hoc diſtingui, quòd cauſa naturalis agat ex determinatione ad vnum, & quaſi ex impetu; angelus autem agat vt artifex per motum localem.

Quæres 3. quomodo diſtingui poſſit actio boni

angeli ab actione dæmonis. Reſp. 1. per ſpirituum diſcretionem ex D. Paulo cap. 2. Cor. 11. potiſſimùm diſtingui, certiſſimè autem per divinam revelationem, quâ ratione olim Antonius Magnus & Martinus Turonenſis dæmones à bonis angelis diſtinxere.

Reſp. 2. tres præſertim notas à Theologis afferri, quarum prima à fine petitur; dæmon quippe, licèt bona facere & conſulere videatur, ſemper tamen malo fine facit; bonus autem angelus ſemper bono. Secunda à modo; multa quippe inverecundè & contra honeſtatem dæmones patrant, omnia cum quadam decentia & honeſtate boni angeli. Tertia à religione: quia precibus Eccleſiæ torquentur dæmones, gaudent verò angeli boni. Addiderim ego boni angeli artem & induſtriam ad dijudicationem illam plurimùm habere adjumenti; finis enim illius cuſtodiæ ſaltem inadæquatus eſt dæmonis malas artes detegere.

Quæres 4. quî actiones quæ à Deo immediatè fiunt, ab actionibus quæ immediatè ab angelis fiunt, ſecerni queant.

Reſp. 1. ſecerni poſſe ex effectu; nam divinæ terminantur immediatè ad quaſlibet formas phyſicas, ſive ſubſtantiales illæ ſint, ſive accidentales; angelicæ verò ad motum localem, vbi & impetum. 2. Ex parte temporis, quia Deus momento poteſt effectus omnes producere; angeli autem nonniſi temporis ſpatio quo activa paſſivis applicari debent. Quin etiam multæ ſunt actiones quæ per motum localem fiunt, vt corporum replicatio, penetratio, & poſitio corporis definitiva, quæ ab angelis peragi nequeunt.

Colliges 1. ex dictis opus dæmonis quod mirabile homines appellant, aut eſſe phantaſticum duntaxat & apparens; aut ſi verum eſt, ita vt effectus ſit re ipsâ talis res, qualis apparet, nihil in ea mirabile ineſſe præter extraordinarium corporum concurſum, aut ſubitam cauſarum naturalium applicationem, quæ omnia cùm per motum localem eumque velociſſimum perfici poſſint, patet à veri miraculi ratione deficere.

Colliges 2. multa quæ ab ethnicis tanquam miracula habita ſunt, ſpecie tenus miracula fuiſſe, vt obſervat Auguſtinus lib. 10. de civit. Dei cap. 16. vbi plura recenſet, putà *quòd cotem Tarquinius novacula ſecuerit: quòd Epidaurus ſerpens Æſculapio naviganti Romam comes adhæſerit: quòd navim quâ ſimulacrum matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam, vna muliercula zona alligatam, ad ſuæ pudicitiæ teſtimonium moverit & traxerit: quòd virgo Veſtalis, de cujus corruptione quæſtio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi neque profluente abſtulerit controverſiam.* ac deinde miracula religionis Chriſtianæ his omnibus anteponit. *Hæc ergo*, inquit, *atque alia hujuſmodi nequaquam illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt.*

Colliges 3. antichriſti miracula & prodigia, licèt adeo mira in ſpeciem futura ſint, vt multos in errorem ſint inductura, non tamen fore vera miracula, quia quæcunque porrò facturus eſt, nonniſi operâ dæmonum efficiet; quidquid autem agunt dæmones, non excedit vires naturæ, quia fit tantùm per motum localem, vel per applicationem naturalem idoneorum activorum.

APPENDIX

## *De cuſtodia angelorum.*

DUPLEX vulgò cuſtodia angelorum à Theologis diſtinguitur; altera vniverſalis, altera particularis: illa ſpecies rerum varias quæ hoc orbe continentur, & communitates; hæc ſingulares perſonas curat. Quare duobus articulis conſtabit hæc appendix: primus cuſtodiam vniverſalem ejuſque officia explicabit; ſecundus verò cuſtodiam particularem ejuſque munera ediſſeret.

ARTICULUS I.

## *De cuſtodia vniverſali angelorum.*

UT natura cuſtodiæ vniverſalis angelorum clariùs innoteſcat, juvat 1. quædam principia præmittere, quæ aſſertionibus vtriuſque articuli facem præferant: deinde ad quæ ſe exporrigat cuſtodia vniverſalis, & ad quos angelos pertineat, definiemus.

### §. I. *Quædam principia ſtatuuntur.*

I. Princip. DATUR in Deo providentia, eáque perfectiſſima, quæ proinde rebus ſingulis invigilet. Hoc principium conſtituetur à nobis, vbi de Deo tomo proximo agemus.

II. Princ. Duplex in Deo providentia; naturalis vna, ſupernaturalis altera: illa eſt per quam Deus res à ſe conditas ad fines ſibi debitos con-

ſentaneè ad earum naturam perducit; hæc verò, qua Deus naturas intelligentes ad finem ſupernaturalem per media eidem acquirendo paria dirigit deducitque, quæ prædeſtinatio dicitur.

III. Princ. Naturalis providentia in phyſicam & moralem ſubdividitur à nonnullis. Phyſica ipſum eſſe rerum naturale conſervat, & quæcunque homine inferiora ſunt, ad ipſum dirigit. Moralis eſt, quâ Deus naturas intelligentiæ compotes ad fines ipſis debitos vt cauſa moralis dirigit, nempe hortando, conſulendo, præcipiendo, comminando, quæ ſub ſe monaſticam, œconomicam & politicam complectitur, pro diverſa partitione ipſius Ethicæ. Ab aliis providentia in naturalem, politicam & ſupernaturalem dividitur.

IV. Princ. Ita aptæ connexæque ſunt illæ providentiæ, vt naturalis morali, moralis ſupernaturali ſubſit ac famuletur.

V. Princ. Angeli ſunt divinæ providentiæ adminiſtri. Patet ex Scriptura & SS Patribus, à quibus vocantur puri illi ſpiritus, angeli, ſeu Dei nuncii, miniſtri, famuli, divinæ voluntatis interpretes, & Dei providentiæ adminiſtri. Certè ex D. Paulo c. I. ad Hebr. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem rapiunt ſalutis.* Unde Gregor. Naz. orat. 24 ait angelos omnes *divinæ voluntatis adminiſtros loca omnia peragrare, omnibus vbique adeſſe promptos tum miniſterii alacritate, tum naturæ agilitate, alios aliam mundi partem obtinentes, ſive alteri cuipiam parti attributos.*

VI. Princ. Cuſtodia angelorum eſt quædam quaſi executio divinæ providentiæ in regendis ac

moderandis rebus creatis. Cùm enim divinæ ſapientiæ leges id poſtulent, vt licèt per ſe Deus omnia ſolus regere poſſit, in partem regiminis naturas intelligentes à ſe creatas vocet; par fuit eum angelos tanquam immediatos divinæ providentiæ miniſtros adhibere, qui finem ab eo intentum miniſteriis ſuis promoverent, quantum in ipſis eſſet, qui cùm duplex ſit, nempe à malo avertere, & ad bonum propellere; hinc

VII. Princ. Duplex finis cuſtodiæ angelorum, ſive particularis, ſive vniverſalis illa ſit; alter negativus, nempe remotio malorum tum corporalium, tum ſpiritalium; alter poſitivus, nempe conſervare & promovere bonum tum naturæ, tum moris, tum gratiæ, pro triplici ratione providentiæ, cujus ſunt adminiſtri. Vtrumque hunc finem innuit Petrus Cellenſis lib. 1. myſtic. expoſ. Tabernac. in fine *Totum*, inquit, *officium angelorum, quantum ad nos eſt, vt nos à malo defendant & in bono conſervent.*

## §. II. *An ſit & quàm latè pateat cuſtodia univerſalis angelorum.*

I. ASSERTIO. DATUR cuſtodia vniverſalis angelorum. Probatur aſſertio. Dari cuſtodiam vniverſalem angelorum nihil aliud eſt quàm angelos præeſſe mundo ejuſque præcipuis partibus, & earumdem conſervationi invigilare: angeli verè præſunt mundo ejuſque partibus, & earumdem conſervationi invigilant, vt Scriptura & Patres innuunt. Scriptura quidem c. 3. & 32. Deuteronomii: *Quando dividebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios Adam, con-*

*ſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſraël.* vbi Septuaginta vertunt, κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ, *juxta numerum angelorum Dei.* & Job. 9. *Sub quo curvantur qui portant orbem.* quæ verba multi de angelis intelligunt, qui mundum adminiſtrant & regunt. Conſentit Scripturæ Ruffinus in Symb. Apoſt. *Ab initio,* inquit, *Deus cùm feciſſet mundum, præfecit ei & præpoſuit quaſdam virtutum cæleſtium poteſtates, quibus regeretur & diſpenſaretur mortalium genus. Quod ita factum Moïſes indicat in Deuteronomii Cantico, vbi dicit: Cùm divideret Excelſus gentes, ſtatuit terminos gentium ſecundùm numerum angelorum Dei.*

II. Assertio. Angeli elementis & ſingulis viventium ſpeciebus cuſtodes apponuntur. Probatur 1. Apocalypſ. 7. vbi angeli dicuntur ſtare ſuper quatuor angulos terræ. & cap. 14. angelus dicitur habere poteſtatem ſupra ignem. Ratio à priori eſt, quòd cùm angeli ſint ſuprema pars vniverſi, cum cæteris eos in toto connecti par eſt; & quidem per gubernationem earum, quippe quæ ſuprema ſit: hæc ratio vtramque aſſertionem probat. Deinde vt cælis ſuæ illigantur intelligentiæ ad eos movendos, ita cuilibet ſpeciei ſuam intelligentiam præeſſe decet; præſertim cùm ſingulæ ſpecies animalium perpetuæ eſſe debeant, & ea quæ perpetua ſunt, Dei providentia maximè curet, ex D. Thoma. Denique elementorum ordo perturbari vtcunque, & vis activa arte dæmonum impediri poteſt, viventia tum vita vegetante, tum ſentiente variis morbis ab iiſdem affici: ergo par eſt angelos cuſtodes apponi qui dæmonum conatus reprimant, vim actuoſam elementorum juvent, & morbos à viventibus longiùs arceant.

Hîc obſerva ex Suare, angelos circa cælos quos movent, non alium cuſtodiæ effectum exercere præter motum, ideóque cælo empyreo non eſſe à Deo appoſitum angelum cuſtodem; imò angelos inferiorum orbium motores, non tam cælorum quos cient & agitant, quàm totius vniverſi cuſtodes dici debere, quatenus cælos movent propter perennem jugemque generationum ſeriem. Cuſtodia autem quæ ad elementa & res corruptibiles, rationis vſu carentes, pertinet, in eo ſita eſt, vt ea omnia quæ nocere animantibus & arboribus, eorúmque productioni juxtà & conſervationi obeſſe poſſent, procul arceant, & applicando activa paſſivis, vires agentium naturalium excitent, augeantque, aut ſi nimiæ ſint, retundant. Quod genus cuſtodiæ cenſet idem auctor eſſe præter communem curſum rerum naturalium, ad ordinem ſupernaturalem aliquatenus pertinere, & virtutibus eſſe concreditum, quòd vniverſaliorem cognitionem exigat, & cum virtute operandi præter ordinarium naturæ curſum conjunctum ſit.

III. Assertio. Regnis, provinciis, vrbibus & communitatibus ſui quoque non deſunt angeli cuſtodes, qui peculiarem earum curam & tutelam habeant. Ita D. Dionyſius de cæleſti hierarch. cap. 9. Origenes, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, aliique Patres.

Prob. 1. Eccleſ. 17. *In vnam quamque gentem præpoſuit rectorem.* vbi gloſſa ordinaria *rectorem*, angelos cuſtodes interpretatur. Scripturæ ſuffragatur Theodoretus, dum ex Matth. 18. cap. ſic concludit, ***Archangelis illud munus impoſitum, vt gentium ſint præfecti, ſicut beatus Moyſes docuit:***

*cujus dictis beatus item Daniel conſentit, cùm dicit ipſe regni Perſarum principem, & rurſus paulò pòſt principem Græcorum.* Clemens qui 6. ſtrom. teſtatur *per nationes & civitates diſtributas angelorum eſſe præfecturas* Hieronymus, qui ad primum Zachariæ Prophetæ, *regnorum ac nationum præſides angelos* commemorat. Baſilius, qui docet lib. 3. adverſ. Eunomium, vt ſingulis fidelium adeſſe comites angelos, ſic gentibus alios præeſſe; & quò præſtantior eſt gens integra ſingulari aliquo viro, eò potiorem eſſe dignitate præſidem gentis angelum, quàm illum, cui vnius cujuſpiam cura committitur.

Probatur ratione: Singulis hominibus ſuum cuſtodem angelum appoſuit Deus, vt poſteà oſtendam: ergo potiori jure ſingulis regnis, provinciis & communitatibus, quæ majori curæ Deo ſunt quàm privata quælibet perſona. Et verò alia eſt cura boni publici, alia privati: ergo alium angelum ad ſui tutelam requirit bonum commune regni, alium bonum privatum vnius hominis; hinc

Perſonæ publicæ duplex adeſt angelus ad cuſtodiam. Ratio enim divinæ providentiæ id exigit, vt homines per idoneas cauſas & adjumenta ad fines diſtinctos, iiſdem conſtitutos deducat: bonum privatum & bonum commune ſunt duo fines diſtincti eidem perſonæ publicæ conſtituti: ergo debuit illi Deus duos angelos ad tutelam deſtinare; cum hoc tamen diſcrimine, quòd angelus cuſtos ſingillatim vni ab ortu deputatus, ad finem vitæ perſeveret; angelus autem perſonæ publicæ non ante præficiatur, quàm cùm præeſſe ipſa incipit, eoque extincto, ſucceſſori ad

idem bonum publicum procurandum addicatur. Eam ob cauſam duplicem angelum B. Virgini Toſtatus à Deo addictum putat; alterum qui ei à nativitate adfuit vt privatæ perſonæ; alterum qui ei tum comes adjunctus eſt, cùm Chriſtum concepit, tanquam perſonæ publicæ & humani generis reparatrici, vſque ad Chriſti mortem, quâ hominum redemptio perfecta & abſoluta eſt. Porrò angelos qui regnis, communitatibus & publicis perſonis præſunt, ex ordine Principatuum qui ſupremus eſt vltimæ hierarchiæ, aut ex ordine Archangelorum, qui eſt medius ejuſdem hierarchiæ, aſſumi probabiliſſimum, quorum munus eſt perſonas publicas qui regnis aut Eccleſiæ præſunt, accuratiùs inſtruere in ordine ad bonum publicum regni & Eccleſiæ, & ad id omne impellere, quod politico regimini vtilius, quia agunt vt miniſtri providentiæ moralis & politicæ: ſicut angeli qui elementis & ſpeciebus viventium præſunt, ea munera obeunt, quæ providentiæ naturalis executionem juvant.

Quin etiam cenſent aliqui Theologi Sacerdoti rem divinam facienti adeſſe ſemper tutelarem angelum altaris, aut certè templi ipſius, nixi auctoritate Scripturæ, nempe Judic. c. 13. vbi Manue ſacrificante, *cùm aſcenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pariter in flamma aſcendit.* & Luc. 1. vbi Zachariæ incenſum adolenti *apparuit angelus Domini, ſtans à dextris altaris.* Putat tamen Amicus ſect. 2. diſp. 19. de cuſtod & tutel. ang. non alium ab angelo tutelari Sacerdoti aſtare, qui ipſum juvet ad tantum ſacrificium, quò attentiùs, eò ſanctiùs peragendum.

## ARTICULUS II.

## *De cuſtodia particulari angelorum.*

HANC partem de cuſtodia angelorum qui ſingillatim hominibus ad cuſtodiam & tutelam à Deo deſtinantur, licèt ſit juris theologici; prætermittere tamen nolui, quia juventuti, cujus causâ hocce Philoſophiæ opus elaboravi, maximè vtilem judicavi. Quis enim, ſi in moderanda juventute aliquandiu verſatus ſit, non novit huicce lubricæ & ad vitium pronæ ætati ab angelo cuſtode ad fingendos mores & ſalutem conſtituendam adjumenti plurimùm afferri; & qui ejuſdem inſtitutioni incumbunt, in regendis eorum animis & in officio continendis, eoſdem angelorum operâ haud pœnitendo fructu vti ſolitos. Sex itaque quæſtionibus hîc de privata angelorum cuſtodia breviſſimè defungemur. In prima examinabimus, an ſuus cuique angelus cuſtos ſit à Deo homini delegatus: in ſecunda, quo ex ordine angelorum deputetur: in tertia, quibus potiſſimùm hominibus detur: in quarta, quandiu duret illa cuſtodia: in quinta, quis finis & quæ effecta illius cuſtodiæ: in ſexta, an valentior ſit angelus bonus ad tutelam conſervationemque hominis ſibi commiſſi, quàm malus angelus ad ruinam & excidium ejuſdem animæ.

## §. I. *An ſuus cuique homini à Deo delegatus ſit ad cuſtodiam angelus.*

TRIA hîc diſcutio. Primum, an ſuus cuilibet homini datus ſit à Deo angelus ad cuſtodiam. Secundum, an ita ſuus cuilibet angelus addictus ſit, vt cuſtos præcedentis hominis non fiat cuſtos ſubſequentis. Tertium, an tutelari angelo alii præterea angeli in negotio ſalutis hominis commiſſi allaborent.

I. ASSERTIO. Suus cuique hominum à Deo datus eſt angelus ad tutelam. Ita D. Thomas 1. part. qu. 113. a. 2.

Probatur 1. ex Scriptura Geneſ. 48. *Angelus*, inquit Jacob, *eruit me de cunctis malis.* Eccleſiaſt. 5. *Neque dicas coram angelo: Non eſt providentia.* vbi gloſſa: *Qui aſtat vnicuique, & omnia Deo nuntiat.* Matth. 18. *Quia angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* quo in loco de omnibus & ſingulis ſine diſcrimine hominibus, tum prædeſtinatis, tum reprobis, loquitur Chriſtus.

Scripturæ traditio ſuffragatur jam inde ab initio mundi ad noſtra tempora deducta: vnde non Chriſtianorum tantùm, ſed etiam Hebræorum *traditionem* vocat Maldonatus in 18. cap. Matth. hinc Actor. 12. cùm Petrus è carcere ab angelo eductus, oſtium domûs Mariæ matris Joannis pulſaret, dicebant non ab eo, ſed ab angelo ejuſdem cuſtode oſtium pulſari, adeo altè eorum animis concepta de angelo cuſtode vnicuique viatori delegato opinio inſederat.

Scripturæ & traditioni tum Gentilium, tum

SS. Patrum auctoritas accedit. Gentilium quidem, qui geniis ſuis ea tribuunt omnia quæ de cuſtodibus angelis Chriſtiani prædicant, & vnicuique hominum regendo & conſervando ſtatim ab illius ortu comitem adjunxere. Plato in apologia pro Socrate ad Athenienſes, & in Phædone, Plutarchus tom. 2. lib. de genio Socratis, & alibi, non tantùm boni, ſed etiam mali genii meminit. Epictetus apud Arrian. *Tutorem*, inquit. *vnicuique Deus aſſignavit ſingulorum genium, & huic ipſum cuſtodiendum tradidit; & quidem ejuſmodi, qui neque dormiat, neque falli poſſit.*

SS. verò Patrum; Origenis homil. 20. in Numer. *Adeſt vnicuique noſtrûm, etiam minimis, qui ſunt in Eccleſia Dei, angelus bonus, angelus Domini qui regat, qui moveat, qui gubernet.* Methodii apud Damaſcenum in Eclogis aſſerentis è Scripturis, *vnumquemque curatoribus angelis committi.* Didymi aientis *ſanctos ab lucidis angelis cuſtodiri, improbos autem à tenebricoſis.* Hieronymi in 18. cap. Matth. *Magna*, inquit, *dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui angelum delegatum.* Hilarii in Pſalm. 134. in illa verba: *Qui producit ventos de theſauris ſuis. Hi igitur*, ait, *ſpiritus ad ſalutem humani generis emiſſi ſunt. Neque infirmitas noſtra, niſi datis ad cuſtodiam angelis, tot tantiſque ſpiritualium cæleſtium nequitiis obſiſteret.* Conſule D. Bernard. in Pſalmum *Qui habitat*, vbi de angelorum cuſtodià copioſè fuſéque diſputat, vocatque eos *pædagogos, tutores, bajulos, actores & ductores.* Auguſtinum ſerm 3. de temp. & ſerm. 68. ad Fratres de eremo. Patribus præivit Plato, ex cujus ſententia Apuleius in lib. de Deo Socratis ſic loqui-

tur : *Nemini conſpicui, ſemper nobis adſunt omnium non modò actorum teſtes, verùm etiam cogitatorum.*

Probatur rationibus, quarum prima ducitur ex fine homini præſtituto : ſecunda ex imbecillitate hominis viatoris : tertia ex connexione partium vniverſi : quarta à ſimili.

Prima, quæ ex fine hominis Deique providentia ducitur, nititur his tribus principiis. 1. Licèt Deus per ſe ipſum omnia à ſe creata regere poſſit; poſtulat tamen divinæ providentiæ ratio, vt cauſis ſecundis ad regimen mundi vtatur, quia ſic major illius ſapientia & bonitas elucet; hinc mundum inferiorem per ſuperiorem regit, orbes cæleſtes per angelos, homines ipſos per alios homines ad ſalutem ducit ac promovet. 2. Mundus propter hominem vt finem proximum conditus eſt; homo verò propter Dei cognitionem, amorem & cultum in hac vita, in altera propter æternam beatitudinem. 3. Multa ſunt in hac vita quæ nos à beatitudine ad quam deſtinati ſumus, conſequenda vel retardant, vel impediunt quæ ſæpius ab homine provideri nequeunt, nedum præcaveri : ergo ſpecialis Dei providentia debuit eidem angelos quaſi ſapientes ac fidos pædagogos comiteſque adjungere, qui eos ab inſidiis & periculis liberent, conſiliis juvent, obices ſalutis tollant, ipſoſque dæmones procul arceant, eorúmque conatus reprimant.

Secunda ex imbecillitate hominis : natura quippe noſtra infirma & imbecillis per ſe ſe in peccatum facilè prolabitur: ergo opus habet fida angelorum cuſtodia, qui cadentem ſuſtineant, titubantem firment, & lapſum in peccatum, gra-

tiâ adjuvante, erigant. Meritò itaque Laurentius Juſtinianus lib. de caſto connubio Verbi & animæ cap. 8. pronuntiat : *Ad humanæ cuſtodiam naturæ miniſteria inſtituit angelorum. Singulis hominibus proprium deputavit angelum, quatenus ipſorum adjutorio valeant præſentis vitæ tranſire diſcrimina.* Bernard. ſerm. 2. in Pſal. 90. *Neque enim tam magna pro nobis in cælo pariter & in terra ſollicitudo gereretur, ſi non magna nobis incumbere neceſſitas videretur; non tam nobis multiplex cuſtodia nisi ob multiplices inſidias poneretur.* Deinde ſubjungit: *Multæ ſunt viæ, multa genera viarum. Magnum profectò periculum viatori. Quàm facilè in multarum occurſu errabit in via ſua, qui viarum diſcretione caruerit!* & ſerm. 12. *Quàm neceſſarius pædagogus, imò & bajulus præſertim parvulo inter hæc ipſa gradienti!* Ubi D. Bernardus videtur ad mentem D. Pauli loqui, qui 1. ad Corinth. c. 13. comparat ſtatum hominis viatoris cum ſtatu puerili. Ut enim puer, quandiu parvus eſt & ad lapſum facilis, duce indiget vſque ad ætatem perfectam, in qua ſe ſuſtinere à caſu ac tutò incedere per ſe valeat : ita homo, quandiu ſecundùm animam debilis & ad prolapſionem facilis, cuſtode ſpiritali indiget, nempe angelo tutore ac duce, donec ad beatitudinem; quæ eſt vita animæ perfecta, pervenerit.

Ex connexione partium vniverſi quæ id exigit, vt pars inferior ſubſit ſuperiori à qua pendet: angeli ſunt pars ſuprema vniverſi, homo pars inferior : ergo hominem ab angelo regi & gubernari neceſſe eſt.

Denique à ſimili : Deus pronior eſt ad miſericordiam, quàm ad vindictam & pœnam: Deus

ſinit cuilibet homini angelum malum adeſſe ad virtutis illius exercitationem: ergo & adeſſe bonum angelum ad cuſtodiam; præſertim cùm ſingularis illius in nos bonitas potiſſimùm eluceat, qui tam nobiles intelligentias noſtræ defenſioni ac tutelæ præfecerit, & amor angeli cuſtodis, qui ſtatim nobis ab ortu comes perpetuus adſit, & noſtræ ſaluti diu noctuque invigilet.

Ex dictis duo inferuntur. Primum quidem: duplici nos à Deo ratione cuſtodimur; immediata, cùm gratiam per ſe infundit, & ad gloriam deducit; mediata verò, cùm per angelos ad gratiam & ad gloriam diſponit. In negotio quippe ſalutis noſtræ ſe habet Deus vt cauſa princeps, angelus vt cauſa miniſtrans, & minùs principalis cuſtos ſub Deo tanquam ſub ſupremo & primo cuſtode. Secundum verò: totum ſingulorum angelorum miniſterium circa res corporatas, ad cuſtodiam hominum tanquam ad finem proximum reducendum eſt: quia vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantùm: at miniſterium angelorum circa res corporeas eſt totum propter hominum cuſtodiam, vt innuit D. Paulus, cùm ait omnes adminiſtratorios ſpiritus mitti propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis.

Objicies 1. Angeli boni miſſi ſunt propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis: ergo tantùm propter eos qui ſalvandi ſunt, adeóque reprobis ſuus non adeſt cuſtos angelus. 2. Saltem Antichriſto deerit angelus cuſtos, quia totus poſſidebitur à diabolo, vt legere eſt apud Auguſtin. tom. 9. Denique ex Didymo apud Damaſcenum lib. 1. parallelor. c. 7. *Probi ac ſancti viri lucidos angelos cuſtodes habent, mali autem tenebroſos.*

Reſp. ad 1. Diſt. Boni angeli miſſi ſunt propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis, tanquam propter finem principalem, concedo: tanquam propter finem minùs principalem, nego. Duplex quippe finis cuſtodiæ angelorum: alter primarius & principalis, nempe ſalus electorum; alter ſecundarius, ſeu minùs principalis, nempe ſufficiens auxilium, etiam reprobis datum, quo poſſunt vti, ſi velint; nam penes ipſos eſt miniſterio angelorum ac tutelæ cooperari. Ad 2. licèt Antichriſtus peſſimus futurus ſit, non id probat nullum eidem angelum ad cuſtodiam affuturum, qui ipſum ab inferendis fidelibus multis malis ſaltem abducet. Ad auctoritatem Didymi, fortè angeli dicuntur lucidi & tenebroſi, ratione effectuum quos in bonis maliſque producunt; nam bonos luce perfundunt, malis tenebras offundunt; cum hoc tamen diſcrimine, quòd bonis lucem per ſe procurent, malos autem obtenebrari ſinant, non impediendo tenebras, cùm poſſent.

II. Assertio. Ita ſuus cuilibet homini angelus cuſtos eſt addictus, vt cuſtos præcedentis hominis non fiat cuſtos ſubſequentis. Ita D. Thomas. Probatur 1. ab Origene, qui explicans locum illum Actor. 12. *Angelus ejus eſt*, ſic concludit: *Ergo intelligitur eſſe & alius Pauli angelus, ſicut & Petri, & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.* Conſentit Origeni Euſebius lib. 13. de præparat. Evangel. dum ait nos è Scriptura divina didiciſſe, *angelum vnicuique ad cuſtodiam divinitus datum.* D. Hieronymus, dum explicat illum Matth. locum: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. Magna dignitas ani-*

*marum, vt vnaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui angelum delegatum.* Ratio eſt, quòd hæc tutelæ ratio Dei in nos munificentiam juxtà & potentiam magis commendet, quàm ſi vnus idémque angelus pluribus hominibus ſucceſſivè comes & cuſtos adjungatur.

Ex hac aſſertione duo inferuntur. Primum quidem contra Calvinum: vnus idémque angelus pluribus ſimul exiſtentibus hominibus non eſt cuſtos demandatus, tum quia hæc parcimonia divinam dedecet munificentiam, tum quia vnus idémque angelus plurium hominum ſimul exiſtentium curam gerens, non poſſet ſingulis periclitantibus auxiliari; præſertim ſi longo intervallo disjuncti forent.

Secundum verò: non juſtis modò, ſed etiam injuſtis, imò & ſingulis infidelibus ſuus adeſt tutor & cuſtos angelus: 1. quia cuſtodia angelorum intra amplitudinem auxilii ſufficientis continetur; homo enim ex ſe ſe non eſt par reſiſtendo dæmoni: at infideles perinde ac fideles nequam, ſive prædeſtinati ſint, ſive reprobi, ſæpius à dæmone tentantur vexantúrque atrociùs. 2. Quia hæc cuſtodia ipſos reprobos à multis & gravioribus criminibus in quæ prolaberentur, retrahit. 3. Quia ex hac cuſtodia divinæ providentiæ vis & amplitudo major elucet, quæ non electorum modò, ſed etiam reproborum ſaluti conſtituendæ adjumenta opportuna ſufficiat. 4. Deus prædeſtinatis angelos malos ſinit adeſſe, qui perniciem eorum & exitium moliantur: ergo & reprobis boni ad cuſtodiam deeſſe non debent. 5. Angelus bonus reprobis ad tutelam deſtinatus bonum prædeſtinatorum aliquatenus promovet,

quia vim dæmonum conatúmque reprimit, impeditque ne reprobos ad nocendum electis inſtigent. Denique tum fidelis peccator, tum infidelis egent cuſtodia & illuminatione angelorum, vt poſſint, ille quidem ad pœnitentiam, hic verò ad fidem adduci; & ambo à gravioribus malis quæ à dæmone inferri ſolent, defendi.

III. Assertio. Licèt angelus cuſtos vnicuique hominum adſit, id non impedit quominus cæteri angeli ejuſdem ſaluti allaborent. Probatur 1. quia omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis. 2. Sæpe non ſolus angelus malus qui in perniciem cujuſque hominis ex officio incumbit, ſed etiam alii in ejuſdem ſalutis exitium conſpirant: ergo non tantùm bonus angelus cuſtos, ſed aliis etiam præſtò ſunt ad ſubſidium; hinc ex Origene juſto interdum exercitus angelorum ſuppetias ferre conſuevit: ſic enim habet hom. 4. in Pſal. 36. *Nunquam ſolus eſt juſtus, ſed ne vnius quidem aut duorum, vel trium tantummodò angelorum ſocietate ſubnixus eſt, ſed exercitus ei virtutum præſtò eſt.*

## §. II. *Quo ex ordine ſint angeli qui ad cuſtodiam hominum deputantur.*

Certum eſt, ob majora quædam & extraordinaria negotia angelos ad cuſtodiam hominum à Deo deſtinari: ſic Raphaël ad Tobiam cap. 4. Gabriel ad B. Virginem, Luc. 1. Angelus ad Chriſtum corroborandum in extrema lucta miſſus, Luc. 22. qui duo poſtremi ex ſupremis probabilius fuere.

Certum

Certum 2. regnis, provinciis & principibus viris præeſſe archangelos, qui ſunt medii ordinis vltimæ hierarchiæ, vt eos regant, & opportunis monitis juvent in procurando bono publico. Quæritur hîc, quo ex ordine aſſumantur angeli ad privatorum hominum cuſtodiam.

I. Assertio. Angeli probabiliùs ex infimo ordine vltimæ hierarchiæ ad privatorum hominum cuſtodiam delegantur. Ita plerique Theologi. Probatur 1. ex Pſalm. 9. *Angelis ſuis mandavit de te.* at angeli, vt explicat Gregorius hom. 34. in Evangel. ii appellantur, qui minima nuntiant. *Qui minima,* inquit, *nuntiant, angeli: qui verò ſumma annuntiant, archangeli vocantur.* Confirmat D. Bernardus lib. 5. de conſid. c. 4. vbi poſtquàm de variis angelorum ſignificatis egit, ſic concludit: *Putemus angelos dici, qui ſinguli ſingulis hominibus dari creduntur,* &c. *putemus his præeſſe archangelos.* Ex his ſic arguo: minimum officiorum quibus erga homines angeli defunguntur, eſt procuratio boni privati eorumdem: ergo angeli qui huic muneri vacant, ex infimo ordine vltimæ hierarchiæ ſelecti ſunt.

Probatur ratione: Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: angeli ex infimo ordine vltimæ hierarchiæ pares ſunt huic privato regimini: ergo ad id applicari debent, non autem ſuperiores qui aliis officiis occupantur. Certè ordo naturalis poſtulat vt infima per media, & media per ſuprema regantur, & ad ſuos fines perducantur: at homines inter naturas intelligentes infimum tenent locum, angeli ex vltimo ordine, medium inter ſuperiores ſpiritus & homines: ergo par eſt homines per angelos, & angelos per ſu-

periores ſpiritus regi.

II. Assertio. Ita homines reguntur per angelos ex infimo ordine vltimæ hierarchiæ, vt qui præſtantioris naturæ ſunt, electis addicantur, ſervata proportione beatitudinis. Ita D. Thom. 1. part. q. 113. a 3. ad 3. Id ipſum innuit Chryſoſt. homil. 60. in Matth. dum ait, excellentioribus & ſupremis angelis cuſtodiam hominum deferri: vbi non de ſupremis primæ hierarchiæ, ſed de ſupremis & nobilioribus infimi ordinis tertiæ hierarchiæ loqui putandus eſt.

Probatur ratione: Electis & ad ampliorem beatitudinis gradum deſtinatis Deus præſtantiora gratiæ auxilia largitur: ergo & nobilioris præſtantiorisque naturæ angelos iiſdem Deus attribuit, qui illis majores animos ad virtutem faciant, timidos confirment, mœrentes recreent, laborantes adjuvent, lapſos erigant, dæmonum inſidias & imminentia vndique pericula ab iis propulſent.

Objicies in 1. aſſertionem: Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis: ergo angeli etiam ſupremæ & mediæ hierarchiæ hominibus ad cuſtodiam ſingularem adſunt. 2. Sæpe angeli ad privatam hominum cuſtodiam delegati, debent alumnos ſuos à poteſtate diaboli vindicare, & ab imminentibus periculis per vires miraculoſas liberare: ergo virtutes, qui ſunt angeli ſupremi ordinis poſtremæ hierarchiæ; & poteſtates, qui ſunt vltimæ claſſis ſecundæ hierarchiæ, hominum privatam tutelam interdum ſuſcipiunt. 3. Homines ſæpe à Deo aſſumuntur ad quemlibet ordinem & hierarchiam reparandam: ergo angeli ex eo-

dem ordine & hierarchia eorum cuſtodiæ ac tutelæ præfici debent.

Ad 1. reſp. angelos omnes vocari à D. Paulo adminiſtratorios ſpiritus, non abſolutè quidem, ſed comparatè ad Chriſtum, cujus excellentiam ex eo probat, quòd omnes & ſinguli angeli ſint illius miniſtri, toti ex illius nutu pendeant in negotio ſalutis hominum, quos proinde mittere poſſit ad eos, ſi velit, quoties negotium ſalutis noſtræ agitur: aut certè dicuntur omnes adminiſtratorii ſpiritus quoad cuſtodiam vniverſalem, quæ omnibus vel mediatè, vel immediatè convenit. Ad 2. dato antecedente, nego conſequentiam: quamvis enim hæc munera & officia ad virtutes & poteſtates pertineant per modum imperii, poſſunt vtique eorum executionem angelis committere, quorum eſt obire mandata Deī per ſuperiores poteſtates & virtutes ſibi denuntiata: inferiores quippe angeli ea poſſunt obire munera, quæ ad ſuperiores propriè pertinent, aut quatenus aliquid ex eorum dono participant, aut quatenus eorum virtutem exequuntur; & ita poſſunt angeli cuſtodes, licèt infimi ordinis, arcere dæmones quantùm ſatis eſt ad officium cuſtodiendi. Ad 3. conceſſo ant. nego conſequentiam, quia nativus rerum ordo illud vetat. Exigit enim, vt ſemper infimi immediatè per medios, & medii per ſupremos regantur. Porrò hic ordo ſemel à Deo conſtitutus, cùm ex natura rerum ducatur, nuſquam à Deo prætermittitur, niſi vel propter fidei confirmationem, vel propter gratiæ manifeſtationem.

III. Assertio. Angeli habent officium cuſtodiendorum hominum à divina voluntate

immediatè & per ſe, à natura autem ſecundùm quid & remotè.

Patet prima pars ex Pſal. *Angelis ſuis mandavit de te.* Ex hoc loco conſtat munus cuſtodiendorum hominum à Dei providentia ita diſponente angelis eſſe commiſſum. Deinde id muneris habent vel à Deo immediatè, vel à natura: non à natura; ſi enim haberent à natura, vel quia eſſent hominibus ex natura ſua ſubditi, adeóque tenerentur ipſis jure naturæ opitulari, ſicut ſubditi regi: vel quia penderent ab angelis in eſſe, & ita ab iiſdem jure quodam naturæ in ſui conſervatione, ſicut à Deo, penderent: neutram ob cauſam angeli tenentur homines cuſtodire, vt patet: ergo hoc munus pendet immediatè à Dei providentia diſponente.

Probatur ſecunda pars: Angeli, vtpote puri ſpiritus, hominibus antecellunt: ergo ipſis ad cuſtodiam ac tutelam præfici poſſunt & debent. Deinde ſi verum eſt inter angelos vnius hierarchiæ, alios aliis in natura anteire, quidni iidem pro perfectiori indole viris ad majorem gloriam deſtinatis adſint?

## §. III. *An quilibet homo habeat angelum malum ſibi peculiariter addictum.*

STATUS quæſtionis eſt, an vnuſquiſque hominum ſuum habeat angelum malum aſſiſtentem, ſicut habet angelum bonum cuſtodientem. Deinde quomodo differat deputatio boni angeli à deputatione mali angeli.

I. ASSERTIO. Quilibet homo præter angelum bonum ſibi ab ortu nativitatis ad cuſtodiam

datum, habet etiam angelum malum aſſiſtentem. Ita Magiſter in 2. diſt. 11. c. 1. Suares lib. vlt. de ang. cap. vlt.

Probatur 1. ex Scriptura Joan. 13. *Et cœna facta, cùm diabolus jam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Quem locum Caſſianus interpretatur de angelo malo qui Judæ aſſiſtebat. Et 2. ad Cor. 12. *Datus eſt*, inquit Paulus, *mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Quid eſt autem angelus ſatanæ, niſi malus angelus à ſatana Paulo ad illius perniciem delegatus? Eſt quippe dæmon quaſi ſimia Divinitatis, qui affectat principatum in homines per miniſtros & ſatellites angelos ſuos, & ſingulos ſingulis hominibus præficit ad ruinam. Scripturæ conſentiunt Chryſoſtomus hom. 3. ad Col. *Si ergo habemus angelos, modeſtè nos geramus, tanquam nobis adſint quidam pædagogi; nam adeſt etiam dæmon.* Tertull. lib. de anim. c. 39. *Cui hominum non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam janua nativitatis animam aucupabundus.* Origenes lib. 3. Periarch. c. 2. *Bini angeli quoſque hominum comitantur, bonus videlicet & malus.* quæ verba citat ex antiquo libro dicto *Paſtoris*, vt annotant Amicus & Petavius. Ratio D. Thom. 1. part. qu. 114. a. 1. hæc eſt, quòd Deus angelos bonos tanquam ſuos miniſtros ad hominum ſalutem deputet: ergo & princeps dæmonum divinæ potentiæ æmulus & divinitatis affectator, angelos malos ſuæ poteſtati ſubjectos delegat ad tentandum quemlibet hominem. *Divina*, inquit, *poteſtatis ſimilitudinem vſurpat, deputando ſibi miniſtros ad hominum impugnationem.* Hæc doctrina nititur occulta Patrum traditione ex Greg. Nyſſ. in lib. de vita Moſis, vbi de vtro-

que angelo tum bono, tum malo, ſic loquitur: *Occultior quadam traditio eſt, vetus ſermo ad nos vſque deſcendit, angelorum aliquem in adminiculum cuique conſtitutum fuiſſe, naturaque noſtra corruptorem in omnibus contrà annitentem, pravum aliquem atque maleficum dæmonem ad malè vivendum homines impellentem, ad ſingulos deſtinaſſe.*

Dices: Nec decet Dei bonitatem, homini præſertim imbecilli & ad omne malum propenſiſſimo peculiarem dæmonem attribuere, qui ipſum ad malum perpetuò inſtiget: nec ab eo hominum imbecillitati conſultum ſatis foret, cùm diſpar ſit certantium conditio; dæmon quippe multò viribus ſuperior, longa experientia edoctus & callidus in oppugnando.

Reſp. ad 1. nego à Deo aſſignari attribuique ſingulis hominibus dæmonem, ſed permittit duntaxat, vt quos velit diabolus, cuſtodibus angelis objiciat; docet enim Gregor. Nyſſ. à dæmonum principe tentandorum hominum partes & officia diſtribui. Deinde Deus permittit tantùm impugnationem ejuſmodi dæmonum ad exercitium & profectum virtutis, in quo illius bonitas non læditur.

Ad 2. humanæ imbecillitati duplici ex capite conſultum voluit Deus; ex parte gratiæ, quam nobis pugnantibus copioſè ſufficit; & ex parte cuſtodis angeli, qui plus valet in defendendo, quàm dæmon in aggrediendo. Utramque cuſtodiam bellè exprimit D. Bernardus: *Quod autem ad nos pertinet, inde quidem obtentus divina gratia, hinc verò cuſtodia vita noſtra; ſiquidem angelis ſuis mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus indigentiis tuis, in omnibus deſideriis tuis.*

Porrò multiplex eſt diſcrimen inter deputationem angeli boni & angeli mali, nempe ex parte principii, ex parte finis, ex parte temporis, & ex parte virtutis vtriuſque angeli. Ex parte principii, angelus bonus à Deo delegatur ex ſpeciali prouidentia bonorum angelorum cuſtodiam ad hominum ſalutem ordinante; angelus autem malus à dæmonum principe, Deo dumtaxat permittente

Ex parte finis; nam Deus hunc habet finem in cuſtodia boni angeli præſtitutum, vt mala ab hominibus arceat, & ſalutem conſtituat: in delegatione autem mali angeli, vt in virtute proficiant cautioréſque euadant; dæmon autem id agit vnum maximè, vt homines victi tentatione ſuccumbant, & amicitia Dei excidant.

Ex parte temporis: angeli boni cuſtodia cum hac vita terminatur, aut certè perfunctum hujus vitæ caſibus poſt obitum hominem excipit, & ad beatorum ſocietatem transfert; at curam peculiarem non habet ejuſdem in altera vita beandi: angelus autem malus etiam apud inferos ſævit in reprobos, cruciátque atrociùs in altera vita quos vexavit acerbiùs in iſta: habet itaque anima beata bonum angelum in cælis conregnantem, damnata verò malum angelum in inferis punientem.

Ex parte potentiæ vtriuſque angeli: mali angeli Deus potentiam limitat, ne tantùm noceat quantùm poteſt & quantùm vult, ſed quantùm Deus ipſe finit; boni autem potentiam non modò non limitat, ſed etiam corroborat magis ac magis, & gratiæ ſubſidio confirmat.

Quæres, an angeli pugnent inter ſe, & bo-

nus malo reſiſtat, & viciſſim.

Reſp. 1. bonum angelum interdum bono reſiſtere, quatenus vnus vult fieri, quod alter ne fiat, impedit. Ratio iſtius pugnæ & conflictûs petitur ex contrariis meritis vel demeritis eorum, quorum ſaluti allaborant; cùm enim ipſis non innoteſcat Dei voluntas, cui vni obſequi maximè ſtudent ambo, hanc vnam conſulunt de meritis hominum, aut etiam gentium quibus præſunt. Sic Danielis 10. angelo Judæorum angelus Perſarum obſiſtebat. *Princeps*, inquit angelus Judæorum, *regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.* Angelus quippe Judæorum vt populum à Perſarum ſervitute liberaret, pœnitentiam Judæorum, & eorum à quibus captivi detinebantur, iniquitatem cauſabatur: angelus verò regni Perſarum reponebat, Judæorum operâ divinum cultum ſpargi inter Perſas ac diſſeminari, itaque Judæos non eſſe liberandos, quorum ſervitus augendæ Dei gloriæ tantùm prodeſſet; hinc pugna, ſed innocens inter vtrumque angelum, quia non tam voluntatum quàm opinionum erat, quæ tum ſtatim quievit, cùm illis divina voluntas innotuit.

Reſp. 2. tum angelum bonum malo obſiſtere, cùm exitialem illius poteſtatem cohibet; hinc dicitur in Scriptura diabolum ligare, id eſt, impedire, ne noceat; ſed tunc poteſtas diaboli à Deo vt cauſa principe, ab angelo vt miniſtro coërcetur. Viciſſim malus angelus tum bono obſiſtit, cùm ab agendo impedit. Pugnam & conflictum ejuſmodi angelorum rectè explicat Richardus à ſancto Victore lib. 4. in Apocal. cap. 2. *Michaël*, inquit, *& angeli ejus prœliabantur cum*

*dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus; ſed illi Eccleſiam adjuvando, iſti eam impugnando: illi ſalubria ſuggerendo, iſti noxia conſulendo; draco & angeli ejus bonorum exercitium impetendo; Michaël & angeli eorum impetum coërcendo.*

Quæres 2. an pius cuſtos ad tempus recedat, dum clientem cum hoſte tantiſper vires ſinit experiri. Reſp. 1. eo tantùm ſenſu recedere, quòd auxilium differat, quod interdum accidit in pœnam peccati: ſic dæmon vbi tentando oppugnandoque profecit nihil, recedere dicitur; non quòd ab homine longiùs abeat, ſed quòd victus oppugnare deſinat.

## § IV. *Quinam habeant angelum cuſtodem.*

I. Observatio. Triplex ſtatus hominis; primus naturæ integræ, à quo excidit ſua culpa; ſecundus naturæ lapſæ & à Chriſto reparatæ, in quo degimus; tertius naturæ puræ, qui nunquam fuit, ſed eſſe potuit. Quæritur hîc, an in quolibet ex his ſtatibus ſuus homini adeſſe debeat cuſtos angelus.

I. Assertio. Singulis hominibus tum ſanctis, tum peccatoribus, tum infidelibus in ſtatu naturæ lapſæ & reparatæ, ſi Chriſtum excipis, ſuus adeſt tutelaris angelus, quandiu ſunt in via. Hæc aſſertio eſt contra eos, qui angelum cuſtodem ſolis fidelibus, aut ſolis juſtis attribuunt.

Probatur 1. Angelorum cuſtodia pertinet ad ordinem gratiæ, quem Deus ſtatuit per angelos exequi tanquam per immediatos providentiæ ſuæ ſupernaturalis miniſtros; eſt enim inſtituta à Deo, vt immediatum inſtrumentum divinæ pro-

videntiæ vniverſalis executivum in ordine ad opera ſupernaturalia ; hinc pars eſt auxilii ſufficientis ad rationem ſalutis conſtituendam : Deus nullum hominem, etiam peccatorem aut infidelem, gratia ad ſalutem requiſita privat : ergo nec angelorum cuſtodia. Confirmatur : ſi quos homines angelorum cuſtodia Deus privaret, maximè reprobos : at reprobos illa cuſtodia privare non debet, tum quia angelorum cuſtodum muniti præſidio, minùs atrociter peccant ipſi reprobi : tum quia impediuntur, ne inſtigante dæmone, plus æquo in electos ſæviant. Ad hæc, perpetua ſingulis hominibus, quandiu ſunt in via, tum intrinſecùs, tum extrinſecùs graviſſima ſalutis pericula imminent : ergo ſicut hominibus per viam non tutam & periculis infeſtam ambulantibus apponuntur cuſtodes, ita par fuit hominibus, quandiu in hac lubrica ac difficili vita verſantur, tutelares angelos adeſſe. Quæ hîc objici poſſent, jam ſolvimus §. 1. hujus articuli, vbi hanc aſſertionem jam delibavimus.

Chriſtum ab hac cuſtodia excepi, tum quia cuſtodia angelorum datur ob indigentiam aut defectum culpæ, quem poſſit quiſpiam incurrere : nulla autem in Chriſto fuit indigentia aut defectus culpæ, vtpote qui jam comprehenſor erat, adeóque nec in bonum promoveri, nec à malo impediri poterat : tum quia Chriſti humanitas altiori cuſtodiæ, nempe Verbi divini, cui vnita hypoſtaticè erat, & à quo perpetuò regebatur, omni tempore commiſſa fuit : tum quia non decebat caput & dominum angelorum ab angelis regi & cuſtodiri ; hinc in Scriptura angeli Dei miniſtri & adoratores, non cuſtodes appellantur,

vt Matth. 41. *Ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* & Hebr. 1. *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Quam in rem opportunè Auguſtinus, dum illa Pſalmi 56 *Miſit de cælo & liberavit me,* verba expendit. *Quid miſit de cælo? quem miſit? angelum miſit, vt ſalvum faceret Chriſtum, & per ſervum ſalvus ſit dominus; omnes enim angeli creatura ſerviens Chriſto eſt. Ad obſequium mitti potuerunt angeli, ad ſervitium mitti potuerunt, non ad adjutorium, ſicut ſcriptum eſt, quod angeli miniſtrant ei, non tanquam miſericordes indigenti, ſed tanquam ſubjecti omnipotenti.* Et verò Chriſtum multis officiis proſecuti ſunt, non modò ab ortu, ſed antè etiam quàm naſceretur; non ſolùm ad mortem vſque, ſed etiam cùm à mortuis rediiſſet, & in cælum victor de hoſtibus conſcenderet. Nuntiavit ex angelorum ordinibus vnus B. Virgini, parituram Deum, ſalva & integra virginitate, & vt fides ſibi haberetur, argumentis extorſit. Nuntii quoque multi venerunt ad paſtores, Chriſtum eſſe natum, & lætitiæ voces cum plauſu jactarunt è cælo; Joſephum admonuere, vt ne cum Maria conjuge divortium, etiam occultum, faceret; Chriſtum infantem Herodis furori, à quo ad necem quærebatur, ſubduceret, eundémque ſeptem poſt annis omni defunctum periculo reduceret: poſtquàm quadraginta dies continuos ſe abſtinuit à cibo Chriſtus, hoſtémque triplici quaſi prœlio ſuperavit, honoris atque officii causâ, cibum ſumenti miniſtrarunt: mœſtum, orantem & à ſe vim ſupplicii deprecantem ſolati ſunt; vbi revixit & in cælum ſe recepit, locupletiſſimo vtcumque teſtimonio confirmarunt: reditum ad tribunal & judicium n-

X vj

dixere : ipſum ſtipabunt aliquando judicem, latus tegent, crucem præferent, judicanti aſſidebunt : probos ab improbis ſecernent & quaſi ſeponent : hos æternis ſuppliciis addicturi, præmia illis juſta & debita perſoluturi.

Objicies 1. Dæmon dixit Chriſto dum tentabat : *Angelis ſuis mandavit de te.* 2. Angelus eum in agonia poſitum confortavit. 3. Ex D. Dionyſio lib. de cæl. hierar. c. 4. Chriſtus per angelos paternis legibus ſubjectus fuit. 4. Chriſto aſtitit angelus malus à quo tentaretur : ergo & bonus à quo protegeretur.

Reſp. ad 1. verba hæc de quolibet juſto eſſe dicta, non de Chriſto, ſed à dæmone fallaciter vſurpata, vt probaret, an Chriſtus foret verè Deus ; deinde de miniſterio angelorum, non de cuſtodia explicari poſſunt. Mandavit quippe Deus, vt Chriſto angeli ad miniſterium præſtò eſſent, non autem ad cuſtodiam. Aut certè de perſona myſtica Chriſti, ratione membrorum cum quibus eſt moraliter idem, accipi debent. Ad 2. Angelus Chriſtum confortavit vt miniſter, non vt cuſtos, nec tam ratione animæ, quâ comprehenſor erat, quàm ratione corporis patientis, quo viator erat. Ad 3. Chriſtus dicitur per angelos paternæ diſpoſitioni ſubeſſe, non directè quidem & per ſe, ſed indirectè & per accidens ; ratione nempe parentum, qui ab angelis ea docebantur quæ circa Chriſtum infantem agenda eſſent. Ad 4. nego conſeq. Ratio diſpar eſt, quòd angelus pius ac ſalutaris homini potiſſimùm attribuatur ad ſublevandam infirmitatem, malus autem & noxius ad virtutem impugnandam, adeóque ille defectum ſupponit, qui nullus in

Chriſto fuit, hic verò virtutem, quæ in Chriſto maxima erat, & quam dæmon aggreſſionibus ſuis magis illuſtrat.

II. Assertio. Primis parentibus in ſtatu innocentiæ cuſtodes angeli, etiam à Deo attributi.

Probatur: quia licèt intus nulla pugna & carnis defectio à ratione foret, ſed omnia ordinatiſſima; imminebat tamen periculum prolapſionis tum à dæmone extrinſecùs oppugnante, tum ab ipſa libertatis indole, quæ vtpote ex nihilo orta, deficere à Dei lege poterat; & verò ipſa defecit. Certè pro innata ſibi libertatis indole, dæmone etiam non ſuggerente, peccare poterat. Quidquòd in illa fida angelorum cuſtodia momenti haud parum erat ad conſervandam fovendámque cùm animi, tum corporis tranquillitatem ac pacem, qua primi parentes in feliciſſimo illo ſtatu perfruebantur?

III. Assertio. Probabiliùs in ſtatu naturæ degentibus præſtò fuiſſent angeli ad cuſtodiam & tutelam.

Probatur: Homo & angeli conditi fuiſſent in illo ſtatu, vt partes vniverſi: at de ratione partium vnum corpus componentium eſt, ſive phyſicum illud ſit, ſive morale, vt pars inferior pendeat à ſuperiore, quia illa dependentia majorem partium colligationem arguit. Porrò homo angelo eſt inferior, & ambo in ſtatu naturæ fuiſſent partes vniverſi: ergo debuiſſet homo in ſtatu naturæ puræ pendere ab angelo, ſaltem ratione directionis & cuſtodiæ; non quidem in ordine ad finem ſupernaturalem, ſed ad finem naturalem, ad quem cuſtodia angelorum ordinata tum fuiſ-

ſet, licèt in eo ſtatu, in quo ſumus, ad finem ſupernaturalem deſtinetur. Confirmatur aſſertio: in ſtatu naturæ puræ ſublunaria corpora cum cæleſtibus apta connexáque fuiſſent, cæleſtes item orbes in motu ſuo ab angelorum vi & efficientia pependiſſent: ergo etiam homines à cuſtodia tuteláque angelorum: at

Objicies: Angeli in ſtatu naturæ puræ vel fuiſſent ordinati ad finem purè naturalem, vel finem ſupernaturalem. Si primum, non potuiſſent hominem dirigere; perinde enim directione eguiſſent atque ipſi homines. Si ſecundum, nulla tum angelos inter & homines affinitas extitiſſet; illi enim ad finem ſupernaturalem, hi verò ad finem merè naturalem deſtinati fuiſſent, inter quos non eſt proportio.

Reſp. quemcumque ad finem deſtinati fuiſſent angeli, potuiſſe tamen hominibus ad regimen cuſtodiamque adeſſe, quia fuiſſent partes politicæ hujus vniverſi, quod ſive ordinetur ad finem naturalem, ſive ſupernaturalem, debuit à ſapientia Dei artifice cum mutua partium colligatione condi, adeóque cum dependentia inferiorum à ſuperioribus, & dominio ſuperiorum in inferiora. Hic quippe partium inter ſe concinentium ordo vniverſo ex natura rei congruit, cùm ſit opus ſapientiſſimi artificis. Porrò in ſententia eorum qui cenſent angelos à lege naturali deficere non poſſe, facillimum fuiſſet angelis homines dirigere ac tueri. Et quamvis peccare potuiſſent, Deus vtique pro ſua auctoritate, ſpe alicujus præmii huic ſtatui proportionati, aut metu pœnæ conſtitutæ, ad id officii adigere potuiſſet.

IV. Assertio. Beatæ Virgini ſuus etiam

aſſuit ad tutelam angelus.

Probatur argumento tum negativo, tum poſitivo; negativo quidem, quia nulla lex debuit beatiſſimam Virginem ab hac communi lege eximere; poſitivo autem, quia angelus B. Virgini ad cuſtodiam appoſitus, tum occaſiones peccandi, tum imminentia corporis pericula, in quæ arte & fallacia dæmonis incurrere potuit, longiùs ab ea propulſabat. Deinde de rebus occultis inſtruere poterat; & verò de conceptione B. Joannis Baptiſtæ, de fuga in Ægyptum & reditu inſtruxit; hinc ſic arguo: angelorum opera indiguit B. Virgo ad ea quæ ſpectabant filium, agenda: ergo potiori jure tutela indiguit circa ea quæ ipſam attinebant. Imò duplici cuſtode angelo indiguit, & quatenus mater Chriſti, & quatenùs perſona privata erat, vt jam inſinuavi.

Objicies: Virgo fuit ſub ſingulari Dei cuſtodia: ergo non indiguit peculiari angelorum tutela. Confirmatur, quia non neceſſaria erat illa cuſtodia B. Virgini, vt revocaretur à malo, erat enim in bono confirmata; nec vt excitaretur ad bonum quia à Spiritu ſancto regebatur.

Reſp. nego conſeq. Licèt enim B. Virgo ſub ſingulari Dei cuſtodia fuerit, tamen decrevit illam cuſtodiam per angelos tanquam per immediatos miniſtros & executores ſuæ providentiæ exercere.

Ad confirmationem, reſp. ad vtrumque opus habuiſſe angeli tutela, quia Deo ſtatutum erat ipſam à communi labe immunem præſtare, tum interiùs illuminando per Spiritum ſanctum, tum exteriùs per angelos cuſtodes impedimenta removendo; hinc

Inferes duo, 1. Omnes homines, etiam vitæ

ſanctioris tutela angeli indigere; hinc malè aſſeverat Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. perfectos in omni virtute & emeritos fideles ad eum ſtatum perduci aliquando, in quo cuſtodis angeli opera non indigeant, ſed ipſi hanc cuſtodiam præſtent ſibi. 2. B. Virgini angelum malum à Lucifero fuiſſe deſtinatum.

V. Assertio. Nec animabus ſeparatis, ſive beatæ ſint, ſive damnatæ, nec ipſis angelis bonis ac malis angeli ad cuſtodiam adſunt. Probatur prima pars: quia finis cuſtodiæ angeli eſt conſecutio vitæ æternæ per bona opera, quandiu in via ſumus: anima ſeparata, ſi jam beata, eſt in termino, & ita à fine ſuo deficere ampliùs non poteſt, nec proficere in virtutis ſtudio, quia extra viam: ſi damnata, in malo obfirmata nullum habet pœnitentiæ locum, nec ad bonum promoveri, aut à malo revocari poteſt. Idem argumentum valet pro angelis, qui vel beatitudinem ſuam adepti ſunt, ſi boni; vel ad inferos jam detruſi ſunt, ſi mali, apud quos non eſt pœnitentiæ locus; hinc cùm angeli circa animas ſeparatas officiis quibuſdam defungi dicuntur, vt cùm angeli animam Lazari Luc. 16. in ſinum Abrahæ deferre dicuntur, aut in igne purgatorio patientes conſolari, hæc munera non præſtant animabus ſeparatis ex officio cuſtodiæ ſtrictè ſumptæ, quæ ad ſalutem requiritur, ſed ex officio cuſtodiæ latè ſumptæ, & impropriè dictæ, vt obſervant Theologi.

## §. V. *Quandiu duret angelorum peculiaris cuſtodia.*

CONFECIMUS hactenus, vt regnis & communitatibus, ita ſingulis hominibus appoſitum à Deo angelum cuſtodem. Hîc examinandum ſupereſt, quandiu duret illa cuſtodia.

I. ASSERTIO. Angeli cuſtodia ſpecialis ab ipſo hominis ortu ad mortem vſque durat.

Probatur triplici argumento, quorum primum ducitur ex Dei bonitate, ſecundùm ex malitia dæmonis, tertium ex ſtatu hominis.

Ex parte Dei bonitatis: quandiu homo in via eſt, exigit ratio divinæ bonitatis, vt nunquam ex toto hominem penitus deſerat. Ratio eſt, quia eatenus aliquid ſubditur vniverſali providentiæ entium, quatenus aliquid participat de eſſe: debet igitur homini pro conditione illius providere, tum revocando à malo, tum ad bonum impellendo: ergo angeli cuſtodia homini in via conſtituto deeſſe non debet. Conſequentia patet ex principiis quæ §. 1. hujus articuli jecimus; angelorum enim cuſtodia eſt executio quædam divinæ providentiæ circa hominis facta ex D. Thoma q. 113. a. 6.

Ex malitia dæmonis: Angelus bonus propenſior eſt ad hominem juvandum cuſtodiendúmque, quàm malus ad eidem nocendum & oppugnandum: quia angelus bonus non tantùm nativa bonitate, ſed & caritate quâ fertur in Deum, & gratia adjutrice, quâ ab eodem corroboratur, in ſalutem noſtram propendet; dæmon verò ſolis naturæ viribus, & perverſa voluntatis indole

in odium & perniciem noſtram accenditur : at angelus malus perpetuò nobis infeſtus eſt, vbique inſidiatur, nullúmque nobis otium facit: ergo & bonus angelus nobis, quandiu in hac vita degimus, adeſſe debet ad cuſtodiam defenſionémque. Et verò ſemper adeſt nobis pugnantibus, ſi D. Bernardum audimus ſerm. 30. ſuper Cant. *Ipſe* enim *eſt, qui in omni loco ſedulus quidam pediſſequus animæ, non ceſſat ſollicitare eam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere, dicens:* Delectare in Domino. & ſerm. 39. in Cant. *Noveris hujuſmodi animam nunquam eſſe ſine angelorum cuſtodia, qui eam æmulantur in æmulatione, ſolliciti viro ſuo ſervare & virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Ex ſtatu hominis : quandiu homo in via eſt, infirmus ex ſe ſe & imbecillis, multíſque adeo prolapſionibus & morbis animi obnoxius; angelus verò cuſtos quaſi medicus, à quo infirmitas illius curetur, & imbecillitas à lapſu ſuſtentetur: at medicus nunquam deſerit infirmum, quandiu ſpes aliqua ſalutis affulget; hinc angelus nullum peccatorem prorſus deſerit, niſi cùm ſpes ſalutis eſt omnino præciſa.

Objicies : Angeli ſæpe aſcendunt in cælum, preces noſtras Deo oblaturi, & indidem deſcendunt, ad nos beneficia relaturi: at in terra non verſantur, cùm in cælo ſunt: nec cùm à Deo ad terram mittuntur, in cælo remanent. 2. Ex Iſai 5. Angeli dicuntur nos deſerere : *Auferam*, inquit, *ſepem ejus, & erit in direptionem*, id eſt, vt gloſſa vertit: *Auferam illi angelorum cuſtodiam.* & Hierem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.*

Reſp. ad 1. Licèt angelus hominem interdum

deſerat loco, non tamen deſerit quoad effectum cuſtodiæ, quia etiam cùm degit in cælo, quid circa clientem agatur, probè novit: inde, ſi quod periculum ipſi immineat, momento temporis revolaturus ad præſidium. Deinde licèt loco abſit interdum, ſemper tamen adeſt vi ſua & efficientia, quatenus ejus temperiem ante diſceſſum diſpoſuit, quæ proinde dæmoni reſiſtendo non penitus impar ſit.

Ad 2. diſt. Angeli dicuntur nos deſerere, omnino & ſimpliciter, nego: ſecundùm quid, concedo. Deſerunt enim, ſicut Deus dicitur nos deſerere, quatenus permittit nos pati aliquem defectum vel pœnæ vel culpæ; ita tamen vt gratia ſua nobis adſit, ſi ipſa vti volumus. Ita angeli dicuntur nos deſerere, quatenus non impediunt, ne adverſi quidpiam patiamur; vel quatenus auxilium differunt, dum nos cum hoſte vices experiri ſinunt, qui tunc temporis multùm tentando & oppugnando proficit, & in graviora nonnunquam peccata impellit. Sic *Babylon & domus Iſraël ab angelis derelicta, quia angeli earum cuſtodes non impediverunt quin tribulationibus ſubderentur*, inquit D. Thomas a. 6. At certè nunquam penitus deſerunt, niſi cùm de ſalute peccatoris prorſus deſperatum eſt, vt contingit in ipſo mortis articulo.

II. Assertio. Infans, quandiu materno vtero continetur, non alium à matris angelo cuſtodem habet.

Probatur: Quandiu infans materno vtero continetur, eſt aliquid matris, ſicut fructus, dum arbori inſeritur, eſt aliquid arboris: ergo angelus qui cuſtos eſt matris, idem & cuſtos prolis,

dum vtero illius includitur; cui ſubinde cùm primùm exit in lucem, & perſona moraliter diverſa à matre incipit eſſe, ſuus additur cuſtos angelus, qui naſcentem excipiat, foveat in cunis, adoleſcentem regat, adultum protegat, & ad vltimam vſque vitæ periodum tueatur ac defendat. Meritò itaque Hieronymus exclamat: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu ſuæ nativitatis in ſui cuſtodiam angelum delegatum.* Patet ex dictis, angelum ab ipſo conceptu ad ortum vſque infanti cum matre communem cuſtodem eſſe; ab ortu verò ſuum eidem ac peculiarem à Deo aſſignari attribuique: hinc magna ſedulitate angelum cuſtodem precari debet parens toto tempore conceptus, vt ſe ſuámque prolem ab omni peccato præſtet immunem.

## §. VI. *De cauſa finali cuſtodiæ ſpecialis angelorum.*

I. ASSERTIO. FINIS cuſtodiæ ſpecialis angelorum proximus duplex; alter negativus, alter poſitivus; negativus quidem, à lapſu in peccatum defendere, aut ne tam ſæpius cadat, vel certè ne in graviora peccata cadat, impedire: poſitivus item duplex, 1. promovere ad bonum ſtudiúmque virtutis, 2. vbi cecidit in peccatum, ab eodem ad gratiæ ſtatum Deique amicitiam revocare.

Prima pars patet ex D. Bernard. ſerm. 11. in Pſal. 9. ad illud, *Non accedet ad te malum*, &c. *Magna*, inquit, *promiſſio, ſed vnde id ſperare licet? quomodo malum evadam*, &c. *quo merito? quâ ſapientiâ? quâ virtute? Quoniam angelis ſuis*

*mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In quibus omnibus viis tuis? Quibus declinas à malo, quibus fugis à ventura ira.*

Porrò ad hanc partem ſpectat munus coërcendi & comprimendi dæmonum tentationes & inſultus, juxta illud Bernardi in eundem Pſalmum: *In manibus*, inquit, *portabunt te, in tuis viis cuſtodient te. Non te patientur tentari ſuprà quàm ſuſtinere potes; ſed in manibus tollent, vt pertranſeas offendiculum.*

Patet item pars ſecunda ex eodem Bern. ſerm. 30. ſuper Cant. vbi angelus dicitur *non ceſſare ſollicitare animam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere.* Et alibi ait *fructum angelicarum viarum quoad nos eſſe obtentum divinæ gratiæ, & lacrymas pœnitentium tanquam vinum cum lætitia bibere, ſalutem hominum ſitire*, &c. Adumbratum illud angeli cuſtodis ſtudium nos à peccato excitandi habes in angelo latus Petri dormientis percutiente: *Excitavit enim eum, dicens: Surge velociter; & ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Atquomodo à peccato nos avocet, liquet ex dictis art. 3. §. 3. ſuper. diſp. nempe illecebras & objecta quæ materia ſunt concipiendo peccato maximè idonea, procul oculis & animis noſtris removendo; vel humores corporis temperando, vnde commotio rationis perturbatrix non inſurgit, ſed compeſcitur; aut amorem ſui immodicum minuendo enervandoque, aut objecta honeſta ſenſibus admovendo, ex quibus pia & ſancta cogitatio naſcatur, &c.

II. ASSERTIO. Finis remotus cuſtodiæ ſpecialis eſt ſalus privati cujuſque hominis; remotior, ejuſdem felicitas; vltimus & remotiſſimus, Dei ipſius gloria.

Probatur: quia duabus potiſſimùm partibus juſtitiæ, quarum vna declinat à malo, & altera ad bonum impellit, ſalus hominis continetur; ex ſalute felicitas oritur; ex felicitate Dei gloria effloreſcit; at angelus cuſtos in id maximè incumbit vnum, vt hominem curæ ſuæ traditum, ad finem ſupernaturalem perducat. quare & errantem reducit, peccantem corripit, lapſum erigit, torpentem excitat.

Ad hæc idem eſt finis cuſtodiæ ſpecialis ac generalis: at finis vltimus cuſtodiæ generalis angelorum eſt gloria Dei: omnia quippe angelorum miniſteria cùm publica, tum privata, ſunt quædam executiones divinæ providentiæ, ex D. Thoma: at providentiæ finis eſt gloria Dei: igitur finis vtriuſque cuſtodiæ eſt gloria Dei.

## §. VII. *De officiis angeli cuſtodis.*

NON vnum eſt angeli cuſtodis in nos officium; quam enim perſonam non induit benefica illa angelorum natio, quò nos ſuis præverteret officiis; ſoſpitatoris in Loto, vindicis in Sodoma, comitis in Tobia, ducis in Machabæo, in acie militis, in cælo ſigniferi; amore germani, ſervi obſequio, auctoritate patris & vigilantiſſimi vbique tutoris. Sed vt hæc officiorum genera, quæ ſunt effecta quædam illius cuſtodiæ, clariùs pateant, in tres ordines diſtribuo. Primus continebit ea quæ nobis præſtant apud Deum; ſecundus ea complectetur, quibus contra dæmones defunguntur; tertius denique ea explicabit quæ nos præſertim ſpectant, ſive privatim vivamus, ſive in ſocietate hominum verſemur.

## *Officia angeli cuſtodis per ordinem ad Deum.*

1. DE rebus noſtris quaſi ſequeſtri & fœciales agunt cum Deo, quæ tum providentiæ naturali & politicæ, tum ſupernaturali ſubjiciuntur; hinc id vnum agunt maximè, vt divinam juſtitiam placent, miſericordiam flectant, gratiáſque ad ſalutem noſtram maximè opportunas obtineant. Et quoniam ſalutis noſtræ negotium precibus & votis potiſſimùm agitur, & oratio clavis eſt cæli; hinc

2. Preces, vota & ſacrificia noſtra Deo offerunt, & Dei viciſſim mandata & pietatis præmia ad homines reportant. Juxta illud Bernardi: *Angeli noſtrum ſudorem, non ſuum; noſtras lacrymas, non ſuas, offerunt* Deo. Prævivit Bernardo Auguſtinus ſerm. 68. ad Fratres in Erem. *Omnia opera noſtra*, inquit, *ſive bona, ſive mala, in conſpectu Dei ab ipſis nuntiantur.* & lib. Medit. c. 3. *Angeli, orationes & vota noſtra Deo offerunt, non quia Deum doceant, qui omnia antequam ſint, ſicut & poſtquam facta ſunt, novit; ſed quia ejus voluntatem ſuper his conſulunt, & quod Deo jubente completum eſt, cognoverint, hoc nobis evidenter, vel latenter important.* Utrumque munus ex mente Platonis Apuleius in lib. de Deo Socratis ſic exprimit: *Per quos deſideria noſtra & merita ad Deum commeant: inter mortales cælicolaſque vectores, hinc precûm, inde donorum: qui vltro citroque portant, hinc petitiones, inde ſuppetias, ſeu quidam vtrinque interpretes & ſalutigeri.*

3. Preces etiam ſuas noſtris intermiſcent & ad

Deum fundunt, & quidem ex officio quo tenentur ſaluti noſtræ conſulere. Porrò ejuſmodi precum apud Deum vis ideo maxima, quòd & Deum, quem noſtri cauſa obteſtantur, clarè videant, & homini, cui ad tutelam adſunt, proximi ſint, amborum mediatores & ſequeſtri. Sancti qui in cælo ſunt, Deo quidem proximi, ſed à nobis longiùs diſſiti: qui in terris nobiſcum vnà verſantur, hominibus proximi, ſed à Deo procul remoti, quem tantùm in ænigmate videant; angeli autem Deo quem vbique clarè intuentur, & nobis proximi majeſtatem Dei peræque ac calamitates noſtras vtcumque experti amant, nos impenſiùs ſuaſque Deo preces ardentiùs offerunt.

4. Perfunctos vitæ caſibus poſt obitum ad beatorum ſocietatem transferunt; hinc à Clemente Alexandrino 4. Strom. τῇ ἀνόδῳ ἐφεστῶτες, *animarum aſcenſui præpoſiti.*

## *Officia per ordinem ad dæmones.*

1. ARTES & fraudes dæmonum nobis detegunt. *Audi me*, ait Tobiæ angelus, *& oſtendam tibi qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium.*

2. Contra eorum inſultus tuentur & communiunt, nobis amiciſſimi, dæmonibus maximè infenſi. Et quoniam dæmon nos aggreditur tum illudendo, tum vehementiùs tentando. *Exercet enim imagines fallaces*, ex Chryſoſtomo, pictori haud abſimilis, qui objecta viciniora vmbris & receſſibus inductis procul removet; quæ autem longiùs diſſita & quaſi depreſſa, vivis & maximè illuminatis coloribus illitis propiùs admovet & attollit.

attollit. Conſentit Chryſoſtomo Auguſtinus lib. 2. quæſt. ad Simplic. q. 3. *Fallacia*, inquit, *ſatanæ atque imaginum ſimulandarum callida operatio decipiendis humanis ſenſibus multiformis invigilat.* Deinde aperto marte nos invadit, & ſuis aggreſſionibus ſævit in nos atrociùs; angelus autem cuſtos nos ab illuſionibus liberat, illuminando fraudes & dolos detegit, quid porrò cavendum nobis fugiendúmque ſit, edocet. Daniel. 9. *Nunc egreſſus ſum*, ait angelus Danieli, *vt docerem te, & intelligeres.* Tentationes etiam mitigat ac reprimit. Apocalypſ. 2. angelus dux Tobiæ dicitur habere catenam in manu ſua, quâ Aſmodæum in deſerto alligavit. Porrò triplici modo tentationes dæmonis reprimit, 1. phyſicè, per vim nempe ſibi inditam, qua potis eſt tentationes mitigare: 2. auctoritate nutuque ſuo, quo jubet dæmonem à cliente ſuo recedere: 3. ſupernaturaliter, cùm per vim ſibi à Deo conceſſam impetum illius cohibet.

## *Officia per ordinem ad clientem.*

1. PARTES tutoris agunt erga hominem quaſi erga pupillum; vt enim lex humana pupillo infanti qui ſe ipſum regere non poteſt, tutorem præſtituit, qui curam illius gerat, eúmque ex affinibus & propinquis qui ſit emeritæ prudentiæ, ſeligit: ita Chriſtus, quandiu in via ſumus, cùm bona gratiæ ſervare non poſſimus, angelos cùm naturæ ſimplicitate, tum gratiæ & gloriæ communione nobis conjunctos quaſi tutores aſſignavit, qui prudentia in regendo multùm valent.

2. Tanquam duces in via ſalutis & prædeſtinationis nos deducunt, ne à recto tramite aberremus. Cùm autem hæc via ſit periculi pleniſſima, triplicem ideo gratiam requirit, nempe præcautionis, illuminationis & executionis. Per primam occaſiones peccandi præcaventur; per ſecundam ratio illuſtratur & in dubiis tutiùs incedit; per tertiam difficultates quæ in negotio ſalutis occurrunt, profligantur. His gratiis quas Deus per ſe largitur, allaborat angelus cuſtos, tanquam divinæ providentiæ legatus & miniſter; nam 1. occaſiones peccandi & imminentia vndique pericula arcet ac propulſat, teſte regio Vate Pſalm. 33. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum.* ſic angelus dux Tobiæ periculis, & angelus Loth incendio Sodomæ eripuit. 2. Illuminat intellectum, non quidem proximè & per ſe, ſed remotè & per accidens, tum ex parte objecti, illud particulatim & diſtinctè homini proponendo, tum ex parte potentiæ, congrua ſpirituum humorúmque commotione ac temperatione, tum ſecretorum facta revelatione, juxta illud Geneſ. 18. *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* ſive illa à Deo acceperint, ſive ipſi per ſe revelanda noverint.

Ne tamen putes angelos cuſtodes conſcios eſſe eorum omnium quæ ad clientes ſpectant, vt colligitur ex Danielis cap. 10. vbi angelus regni Perſarum non erat conſcius eorum quæ ad Perſas ſpectabant; ſecus enim non reſtitiſſet angelo Danielis, qui ſuadente Propheta à Deo populi liberationem poſtulabat. Non noverunt etiam clientis ſui prædeſtinationem aut reprobationem. Ratio eſt, quòd Deus per angelos hominum ſalutem

curet: at connaturalis modus eſt, inquit Amicus, vt angelus ſui alumni prædeſtinationem aut reprobationem ignoret; alioqui non bene afficeretur erga reprobum, nec admodum de ſalute reprobi foret ſollicitus. Latent quoque ſecreta cordis illius, niſi velit eadem ipſi patefacere, aut certè in Dei verbo videat, Deo ad ſalutem alumni indicante.

Omnium optimè, meo judicio, Amicus illuminationem boni angeli explicat & negativè & poſitivè; negativè quidem, per remotionem objectorum externorum, quæ immutando ſenſus externos, hominem poſſunt à bono abducere, vel ad malum inducere, & per ſedationem paſſionum quæ aliquo erant affectu concitatæ. Poſitivè autem, 1. quatenus objecta congrua ſenſibus externis proponit, eóſque ita immutat, vt iidem mutati immutent ſenſus internos, & ſenſus interni phantaſmata, quæ cum intellectu agente concurrant ad cudendam ſpeciem intelligibilem rei illius, quam angelus velit homini ſuadere vel diſſuadere. 2. Quatenus immutat ſenſus internos immediatè, ipſáque ordinat phantaſmata, quæ deinde moveant intellectum ad producendam illius rei notitiam, quam illi ſuadere aut diſſuadere velit: v. g. ſi velit angelus hominem ad dolorem peccatorum impellere, vtique movebit phantaſmata de peccatis & pœnis quarum reus tenebitur: phantaſmata mota ac diſpoſita intellectum agentem excitabunt ad formandam ſpeciem intelligibilem de peccatis & pœnis promeritis; qua ſpecie conſignatus intellectus poſſibilis ſimplicem apprehenſionem eorumdem peccatorum & pœnarum eliciet, qua ſimplici appre-

henſione tanquam prævia diſpoſitione poſita, Deus, vt auctor totius ſupernaturalitatis, immediatè notitia ſupernaturali illuminabit intellectum, & affectu voluntatem inflammabit ad eadem peccata ex ſupernaturali motivo deteſtanda; hinc

Probabiliſſimum cenſet idem auctor, quoties Deus hominem interiùs illuminat, id angeli cuſtodis operâ efficere, quatenus diſponit & præparat ſuum clientem per internos ſenſus & phantaſmata ad veritates intelligibiles capiendas: & ita omnia recta conſilia cæleſteſque motiones quas in nobis experimur, ad angelos cuſtodes tanquam ad Dei miniſtros ex Patrum conſenſu referendas eſſe docet, quatenus per ſenſus tum externos, tum internos phantaſmatum ope intellectum excitant ad rerum notitias formandas, & mediante intellectu voluntatem, ſalva ſemper & integra libertate, & gratia opitulante.

Addo & amplius, arte & induſtria angeli cuſtodis opus gratiæ executricis ſeu ſubſequentis multùm promoveri, quatenus nos adjuvat in ſuperandis difficultatibus quæ ex parte concupiſcentæ & facultatibus corporatis oriri ſolent. Quædam enim ſunt opera corporea, quæ perfici nequeunt, niſi per potentias voluntati deſpoticè aut civiliter ſubjectas, & quæ peculiarem habent difficultatem: v. g. multi actus corporei, qui fiunt officio linguæ, peculiarem habent difficultatem ob circunſtantias vultûs & cordis. Facile quidem eſt tacere, ſi decreveris, inter contumelias: at difficile eam corporis tranquillitatem præ ſe ferre, quæ animum pacatum ac benevolum arguat. Pars item appetens motibus ſæpe concutit corpus, re-

nitente etiam voluntate; ad hos autem motus componendos, præſertim frontis, oculorum & vultûs, & cupiditatum etiam plus juſtò ſe ſe efferentium gratia opitulatrice opus eſt, quam ſubſequentem quidam Theologi vocant: ſic v. g. vt quis martyrii lauream conſequatur, non ſatis eſt eum mortem obire pro Chriſto; ſed debet etiam ſtare in tormentis quieto corpore, majeſtatem oris cum modeſtia conjungere, vultu læto & hilari adire ſupplicium, & metum mortis imminentis reprimere. Ad hanc porrò totius corporis compoſitionem & ſedationem motuum gratia requiritur, quæ martyrem corroboret. Huic gratiæ vt plurimùm angelus operam adjungit, ſive moderando cupiditates eas quæ gratiæ executrici obeſſe poſſent, ſive excitando eas à quibus juvari poſſit, ſive commotione & agitatione ſpirituum facultates corporeas corroborando. Eſto, v. g. gratiæ ad pœnitentiam excitanti jam conſenſeris; adhuc opus eſt vt appetitus ſentiens rationi obſequatur, lingua preces fundat, manus eleemoſynam largiatur: quibus functionibus ritè obeundis angelus cuſtos vices ſuas & operam commodat; hinc cuſtodem angelum gratiæ actualis adminiſtrum, Deique hac in parte miniſtrum & vicarium cum doctiſſimo Patre Honorato Fabri jure merito vocare poſſim: *Si enim dæmon omnia media adhibet, quæ ad hominis damnationem conducunt*, inquit ille auctor celeberrimus, *quidni angelus illa auxilia ſuppeditet, quæ ad ejuſdem ſalutem neceſſaria ſunt?*

3. Ad omne genus virtutis inducit: ſic orandi, jejunandi ac largiendi ſtudium commendat Raphaël. *Bona eſt*, inquit, *oratio cum jejunio & eleemoſyna*, &c.

4. Bonis omnibus replet, ſic Tobias beneficia in ſe ab angelo comite liberaliùs collata, brevi compendio enarrat: *Bonis omnibus per eum repleti ſumus.*

5. In via defeſſos reficit & confirmat, 3. Reg 19. *Dixit angelus ad Eliam: Surge, comede, grandis tibi reſtat via.*

6. Hoſtes profligat, Iſai. 37. *Egreſſus eſt angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum quinquaginta millia.*

7. Noſtris profectibus juxtà & virtutibus delectatur. O *quàm ſuaviter*, inquit B. Laurentius Juſtin. lib. de caſto connub. *lætantur, ſi viderint nos ſapienter pſallere, devotè canere, legere frequenter, jugiter meditari, ſine intermiſſione orare*, &c. Non tamen propriè de lapſu in peccatum aut ruina ſalutis dolorem percipit: quia ſicut ratione ſtatus beatifici dolorem nullum percipere poteſt: ita ratione caritatis, novo gaudio, eóque adventitio, ex progreſſu clientis in virtute juxtà & ſalute perfunditur; hinc cùm dicuntur angeli pacis *amarè flere*, hæc locutio metaphorica eſt, arguitque tantùm in angelo cuſtode caritatem eſſe erga clientem, & quandam diſplicentiam de lapſu illius in peccatum.

8. Clientem, ſi quid adverſi patiatur, aggredientem difficillima quæque excitat ad audendum, ſuſtinentem confirmat, perſeverantem tuetur & conſervat, vbique conſolatur afflictum. Sic Luc. 22. *apparuit* Chriſto *angelus de cælo confortans eum*, non quòd angeli ſolatio eguerit Chriſtus, qui cuſtodem etiam nullum habuit, ſed vt ex hoc exemplo non defuturum nobis adverſis in rebus angelum colligeremus. Sic Tobiam cap. 5. de cæ-

citate conquerentem benignè conſolatur angelus: *Forti animo eſto, in proximo eſt vt à Deo cureris.* Sic angeli Lazarum in ſumma inopia confirmarunt, & extincti animam in ſinum Abrahæ tranſtulerunt. Bernardus ſerm. 11. in Pſal. 9. auxilium angeli cuſtodis bellè exprimit: *Turbatur aliquis vehementer, ſeu corporali quovis incommodo, ſeu tribulatione aliqua ſæculari, ſeu acedia ſpiritus & quadam animi defectione langueſcens. Iam tentari incipit ſuprà quàm valeat ſuſtinere; jam impinget & offendet in lapidem, ſi non fuerit qui ſubveniat*, &c. *Itaque opus illi eſt angelica ope, angeli conſolatione, angelicis manibus, qui jam defecit.*

9. Circa clientem, vt peccator eſt, triplex ejuſdem miniſterium, 1. impedit ne peccet, tum ingerendo cogitationem futuri judicii, tum infligendo mala ſeu calamitates vitæ præſentis, tum mortis metu gravi percellendo. 2. Arguit de peccato jam commiſſo, modò ingrati animi vitium, modò prævaricationem divinæ legis, modò amiſſionem cæleſtis præmii exprobrando. Exemplum triplicis illius effectûs habes, Judicum 2. v. 1. vbi *angelus Domini* dicitur *ad locum flentium deſcendiſſe*, locum conſule. 3. A peccato eruit, excitando ad dolorem, removendo peccati illecebras, & affectum quaſi elidendo. Figuram habes hujus effectûs in angelo qui luctatus eſt cum Jacob. Geneſ. 32. cujus *femoris nervum tetigit, & emarcuit.*

10. Circa clientem pœnitentem triplex quoque effectus, 1. oculos cordis ſanat ad contritionem: ſic Tobias junior à Raphaële edoctus, linuit oculos patris ſui felle piſcis. 2. Purgat labia ad confeſſionem. Figuram habes in Iſaiæ labiis à Sera-

phim calculo purgatis, c. 6. 3. Congaudet illi ad ſatisfactionem : quæ enim gaudia angelorum ſuper vno peccatore pœnitentiam agente!

11. Corrigit interdum punitque clientem ſibi commiſſum; ſed tunc pœna illa medicinalis eſt, & ex miſericordia Dei decreta; nam quæ ex pura juſtitia vindicativa pœnæ ordinantur, vt plurimùm per angelos malos infligi ſolent, vt alibi obſervavi, licèt miniſterio bonorum angelorum aliquando vtatur Deus ad pœnas ſceleratis inferendas: ſic miſſi à Deo angeli boni ad ſubvertendam Sodomam, Gen. 19. ſic angelus ſanctus Hieruſalem exitium minatus eſt propter peccatum David, 2. Reg. Porrò cùm munus ſit pædagogi, diſcipulum ſibi commiſſum corrigere, putem ego cum Suare Granat. per angelum cuſtodem prædeſtinato clienti pœnam privatam infligi, non tantùm ad culpæ quam commiſit vltionem, ſed etiam ad exercitium profectúmque virtutis; ſin autem pœna communitati infertur, per angelum cuſtodem civitatis infertur. Quòd ſi malis angelis Deus vtitur ad ejuſmodi pœnas medicinales infligendas, probabiliùs ex angeli cuſtodis imperio & directione id fieri ſolet.

12. Clientem rite diſponit perficitque in ordine ad ſocietatem tum œconomicam, tum civilem; vt enim ſua eſt hominibus domi foriſque ſocietas & quædam conſiliorum communicatio : ita non deſunt ſingulis angelis cuſtodibus quædam in clientes officia, quibus ſocietatem vtramque mutua animorum conciliatione & officiorum viciſſitudine foveant. Hinc ſolenne eſt multis ſanctiſſimis viris qui in ſalutem animarum incumbunt, angelorum cuſtodum operâ in eorum ani-

mos ſeſe inſinuare, quos Chriſto adjungere velint; ſi quod gravioris momenti negotium cum aliis tractandum ſit, eorum cuſtodes angelos ante ſibi precibus conciliare, quàm cum iis de rebus agant & loquantur. Quin etiam patris-familias in angelos cuſtodes vxoris, liberorum & domeſticorum, pietas ad alendam conſervandámque in familia pacem multùm valet, quorum operâ amorem conjugis in ſe, liberorum obedientiam & obſervantiam, famulorum denique obſequia non ægrè impetrabit.

13. In mortis lucta, cùm furit dæmon ſævitque in nos atrociùs, angelus cuſtos pugnat acriter, vires exerit omnes, vt animam beatæ æternitati afferat, & dæmonis; qui tum in omnem terrendi aut fallendi occaſionem attentiſſimus eſt, poteſtati eripiat.

14. Quamvis in mortis articulo officia cuſtodiæ propriè dictæ omnino ceſſent, quia nullum eſt ampliùs ſalutis periculum, nec ſpes profectus ſupereſt; adhuc tamen quibuſdam caritatis officiis in animas ſeparatas fungi dicuntur angeli; nam ſi puræ ſint ab omni labe, reatúſque pœnæ immunes, ab angelis in cælum deportantur: vnde à D. Ambroſio in tract. de ſymb. Apoſt. cap. vlt. ſpiritus beati dicuntur *vehicula Sanctorum*, idque muneris D Michaëli præſertim ab Eccleſia tribuitur, vt perducat animas ſanctas in paradiſum exultationis. Sin autem pœna luenda ſuperſit aliqua, in purgatorii locum deducunt, inviſunt identidem & ſolantur. Certè Luc. 16. de paupere Lazaro ait Chriſtus: *Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.* Hinc Chryſoſt. *Portabatur in hu-*

*meris angelorum, ne ſaltem ambulans laboraret. Non ſufficeret ad portandum vnus angelus: ſed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Gaudet vnuſquiſque angelorum tale onus tangere, lubenter talibus oneribus prægravatur, vt adducat homines ad regna cælorum.*

Plura de officiis angelorum ſcire ſi aves, conſule D. Bernardum in Pſal. *Qui habitat*, ſerm. 12. B. Laurentium Juſtinianum lib. de caſto connub. Verbi & animæ cap. 8. Ut autem huic de cuſtodia angelorum appendici finem imponam, ſit

## ARTICULUS II.

### *An valentior ſit angelus bonus ad tutelam & defenſionem alumni ſui, quàm malus angelus ad ejuſdem impugnationem & excidium.*

UT hæc quæſtio clariùs ſolvatur, juvat primùm examinare quantùm valeat dæmon ad oppugnandum hominem, & quàm metuendus ſit hoſtis: deinde quàm potentior ſit angelus cuſtos à Deo nobis addictus, pauló vberiùs explicandum; nam quæ preſsè hactenus & incultè more Philoſophorum diſputavimus, nunc multò fuſiùs ornatiuſve ediſſerimus, vt defeſſum legentis animum qualiſcunque orationis lepos, ſic quaſi amœnior campus ſuaviùs excipiat, & ad ea quæ de angeli cuſtodis in nos beneficiis juxtà & officiis duximus, attentiùs legenda, quò jucundiùs, eò faciliùs invitet.

## §. I. *Quid virium habeat malus angelus ad hominem impugnandum.*

I. Propoſitio. DÆMON hoſtis eſt multùm metuendus. Quatuor quippe cauſæ hoſtem formidoloſiſſimum efficiunt; odii quo in nos ardet, acerbitas; fortitudo qua pollet; induſtria qua valet in agendo, & conſtantia pertinax qua nos laceſſere non deſinit. Ex odii quod in nos concepit, dudumque alit, atrocitate nihil non agitat animo, & in noſtram perniciem molitur: induſtria quæ ſtatuit apud ſe, perficiendi rationes excogitat: fortitudo & conſtantia nullo negotio exequuntur. Odium ad ruinam noſtram excitat, majores animos facit fortitudo & potentia, induſtria ſpe felicioris ſucceſſus nos ſuſtentat, conſtantia patientiſſimum quemque fatigat & ſubigit

II. Propoſitio. Dæmoni ineſt odium in nos acerbiſſimum, fortitudo maxima, par fortitudini induſtria, conſtantia in oppugnando obſtinatiſſima.

Odium quidem acerbiſſimum atrociſſimumque; eò quippe acerbiùs atrociuſque odium, quò ex pluribus gravioribuſque cauſis oritur. Porrò odium quo in hominem dæmon fertur, ex Dei ipſius à quo torquetur, magnitudine ac præſtantia, Chriſti à quo victus eſt, gloria, feliciori hominis qui ejuſdem loco ſuffectus eſt, ſtatu, & ſempiternis quibus torretur, ignibus naſcitur. Hæc ſunt incitamenta & fomenta illius in nos odii, quæ in ipſius voluntate ſummam à Deo, qui ei ſemper adverſatur, alienationem, diſſidium à

Chriſto, cujus gloriam invidet, immortale, zelotypiam in homines quorum felicitatem ferre non poteſt perpetuam, excitant & alunt. Quid plura? inimicitiam ejus in Deum, Chriſtum & hominem implacabilem fovent & jactura gloriæ æternæ, à qua ſua culpa excidit, & graviſſimi dolores quos vltrices flammæ ipſi inurunt: odium ejus in Deum inflammat, & malevolentia in Chriſtum ſuffundit regia auctoritas, quam Pater æternus Filio in homines & angelos conceſſit, dum caput & dominum totius mundi, ſeque inter & hominem ſequeſtrum conſtituit. Dignitas ad quam naturam humanam affinitate ſua Verbum divinum evexit: dotes gratiæ quæ jura eidem antiqua reſtituit, & ſedi ex qua dejectus ipſe, ſuffecit: impreſſa animis noſtris ad ſempiternam memoriam Dei ipſius imaginis lineamenta, vix dici poteſt quantùm illius in nos odium acuant atque augeant, cujus ortum & progreſſus paucis accipe.

Vix è cælo, in quo primùm ex nihilo conditus, ob ſuperbiam ad inferos detruſus dæmon, cùm dolorem ex Dei jactura & ignium ardore ſenſit acerbiſſimum: auctorem deinde tanti cruciatus cœpit diligentiùs inquirere, vt ſi qua ratione poſſet, ab eo liberaretur; liberari autem ſe non poſſe niſi aut miſericordia Dei vindicis qui ſuo jure cederet, aut pœnitentia, aut certè vi Deo ipſi, à quo in his flammis captivus detinebatur, illata, ſtatim cognovit. In inferis nullus miſericordiæ aut pœnitentiæ locus, nec vis vlla Deo inferri à dæmone poteſt, quia ipſi viribus impar: itaque velit, nolit, patiatur neceſſe, nec ſpes libertatis ſupereſt vlla. Quid ergo agat infelix vindicis Dei

juſtitiæ victima ? ſpem in deſperationem mutat, ex deſperatione odium acerrimum & furorem in Deum ejuſque imaginem concipit; ex odio & furore vltionis cupiditas naſcitur, *fructus* quippe *odii & iræ, vltio.* Et quoniam odium in Deum conceptum, in eundem explere non poteſt, vtpote viribus longè ſuperiorem, in hominem vivam ſpirantémque divinitatis imaginem omne virus acerbitatis cœpit effundere, itaque diſcerpere fœdè ac dilacerare; iis populis haud abſimilis, qui cum ſolis qui ipſorum capiti imminet, ardoribus vehementiùs torreantur, ſagittas in eum magno ſuo incommodo, nullo ſolis ipſius damno emittunt, quæ cùm in ipſos reciderunt, tum enimvero injuriam vlturi, ad fontes convolant, in quibus imago ſolis cernitur, lutum & arenam permiſcent, vt ſolem qui ſua altitudine eorum ictus effugit, ſaltem in imagine fœdent turpiter & inquinent.

Ex quibus non ægrè conjicias, quale & quantum ſit illud odium, quàm atrox, quàm immane & diuturnum. Neceſſarium quippe eſt, ardentiſſimum, immortale. Neceſſarium quidem, quia ignis quo dæmon jugiter vritur, perennem ipſi fomitem ſufficit; tam enim neceſſe dæmonem Deum odiſſe, quàm neceſſe eſt à Dei conſpectu exulare eundem & perpetuis cruciatibus torqueri. Deum amiſſum dæmoni reſtitue, ſi potes, & extingue inferorum incendia, quæ vindex Dei juſtitia flatu ſuo perenniter excitat & nutrit; & tum dæmonis odium extingues. Ardentiſſimum, quia toto voluntatis conatu illud concipit; ſemel conceptum, ſpe omni præciſa libertatis, nunquam deponit. Immortale, quia Dei imago nun-

quam delebitur : expungitur quidem ſimilitudo, dum gratia peccato mortifero abigitur : at impreſſa penitúſque inſita Dei imago dæmonis odium æternitati æquat. Aut enim animus corporis vinculis ſolutus, in cælum evolabit : aut ad inferos detrudetur ; ævo æterno perfruentem in cælo ſemper oderit dæmon, ſed fruſtra : dejectum verò ad inferos vindice flamma ſcrutabitur, verme edace ſemper arrodet, nec tamen abſumet ; inficiet fuligine ignis, nunquam depaſcet, ſemper inſectabitur, ſemper excruciabit, nec vllam quietis partem impartiet, ſed tanquam aſſidua domeſticaque furia ab eo pœnas æternùm repetet.

Ad hæc illius odii magnitudo vel inde patet, quòd hominem invadat hoſtis infenſiſſimus, non vt vincendo præmium conſequatur, nec enim præmii ſpes vlla ei qui terminum attigit, ſed ne homines vincendo habeant, quod ne victoria quidem conſequi poteſt : finis igitur illius victoriæ, non corona, ſed hominis exitium. Bellum ſuſcipit nemo, ſi ſapit, niſi vt vincat, & vincendo coronam obtineat ; dæmon autem cùm nos voluptatum lenociniis adoritur, cùm fallaci honorum ſpecie nobis illudit, non ideo bellum gerit vt coronâ donetur, ſed vt calamitatis ſocios & participes habeat. Quin etiam ſupplicia auget ſua, dum majora nobis damna infert. Proh miſera victoris conditio, cujus victoriæ finis gravius atrociuſque ſupplicium ! Tantine eſt hominem vincere, vt nova pœnarum acceſſione id ipſum redimi oporteat ? Tanto ſcilicet in hominem ardet odio, tanto furore præceps agitur, vt ſui exitium non timeat, dum in illud hominem

ſecum trahat, Atrei infeliciſſimi ſorte contentus, qui mortem in votis habebat, dummodo fratris interitui conjuncta foret.

*Inclyti Pelopis domus*
*Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.*

Ex tot bonis quibus eum Deus ſtatim ab ortu cumulavit, odium in eum & hominem ſupereſt vnum, quo ſe ipſum conſoletur, quemadmodum princeps femina in fabulis, amiſſis patre, regno, patria ac libertate, vnum hoſtis odium ſibi ad ſolatium ſupereſſe gloriabatur, vltroque fatebatur ſe felicitatis amiſſæ deſiderio minùs, quàm vindictæ cupiditate teneri.

*Patrem abſtuliſti, regna, germanos, larem,*
*Patriam. Quid vltra eſt? vna res ſupereſt mihi*
*Fratre & parente carior, regno & lare,*
*Odium tui.*

Mitto, quòd hoc odium dæmonum omnium conſpirationem in nos conflavit, quò faciliùs vincerent. Ne illud quidem commemoro, inde dæmonum, qui inferioris ſunt ordinis, & à ſuperiorum nutu pendent, ſubjectionem, mutuum omnium ad nos opprimendos ordinum conſenſum, miniſteriorum denique partitionem extitiſſe. Taceo luciferum ab inſito ſibi odio præſertim inductum eſſe, vt cuilibet noſtrûm ſuum & peculiarem dæmonem attribueret, qui nos ſine vlla temporis intermiſſione laceſſeret; ac ſi quando viribus impar foret, novas manus in auxilium mitteret: nec enim ex vero amore & concordia voluntatum, ſed ex malitia & implacabili odio principi lucifero ad nutum obtemperant & inter ſe conſociantur, ſi D. Thomam audimus: *Non ex vero*, inquit, *amore inter ſe, ſed ex nequi-*

*tia quâ homines oderunt, & Dei juſtitiæ repugnant*; ſicariis & latronibus in hoc ſimillimi, qui quamvis alienatis ſint inter ſe animis, ex turba tamen ſeligunt aliquem, cui alii obediant, & quandam juſtitiæ ſpeciem in injuſtitia præ ſe ferunt, vt conſilia ſua, ſceleris & audaciæ pleniſſima, ad optatos exitus provehant, quamvis non alium à prætereuntium ſpoliatione, aut hoſtium internecione finem ſibi proponant.

Proh quantum infeſtiſſimorum ſpirituum in homines odium! quàm inveteratum & penitus inſitum! cùm eos à Deo ſuperbia ſejunxit, diſtraxit ipſorum voluntates, penituſque diremit. Excuſſo Dei jugo inflecti non poſſunt, mutuiſque inter ſe odiis ſemper diſſident; & tamen cùm bellum homini inferendum, conſpirant in eum, vires colligunt, manus cogunt, & facto velut agmine invadunt: itaque dæmon vel ex odio quo in nos ardet, multùm metuendus, time.

Non impar odio fortitudo dæmonis, eáque duplex; altera ipſius naturæ inſita, altera adventitia: vtraque ſanè maxima; inſita quidem & innata, quia cùm purus ſit ſpiritus & omnis concretionis expers, vtique fortiſſimum eſſe neceſſe eſt. Ineſt quippe vis maxima naturæ ſpiritali, & in ea tanquam in fonte ſuo reſidet, quæ nec corporum mole retardatur, nec temporis mora longiore indiget, ſed momento temporis ſeſe explicat, & latiſſimè patet. Quid enim non efficit in natura corporata angelus? Tempeſtates, pluvias, ventoſque excitat, flumina ſiſtit, fontes durat, elementorum partes, ſi non tota, de loco in locum transfert, atque hæc omnia celeritate maxima conficit. Corporis etiam noſtri organa

immutat, ipsóſque adeo ſenſus tum internos, tum externos ita variè afficit, vt per eos in animum graſſetur. Quidquód ab homine impugnari nonniſi difficillimè poteſt dæmon. Oculis deſignas ad necem? ſua ſe tenuitate aſpectui ſubducit; diſtricto gladio petis? vulneri locus non patet; telorum quæ jacit ipſe & intorquet, ictum exire paras? detorqueri vix poſſunt, adeo rectâ collineat; loci opportunitatem ad pugnam aucuparis? eminus ex aëre, à cælo, in cæleſtibus vbique pugnat ac vincit.

Jam verò inſitæ fortitudini ab adventitia quantùm virium, Deus immortalis! quantùm roboris accedit! Res quippe creatæ omnes famulantur ipſi pro nutu & arbitrio, niſi Deus poteſtatem moderetur; nulla in nobis pars, quæ cum ipſo ad noſtram perniciem non conſpiret, ſenſus ſub ſignis ejus militant, membris quæ natura nobis ad defenſionem conceſſit, tanquam armis vtitur; ipſæ cupiditates cùm animam à qua oriuntur, tueri deberent, per ſummam perfidiam produnt & hoſti dedunt. *De homine*, inquit è Patribus nonnemo, *adverſus homines exeunt gentes bellatura.* Appetitum ſentientem ſibi ſolerter adjungit, qui ipſi concipiendo amori, ſi concupiſcens eſt, iræ verò concitandæ, ſi iraſcens, materiam oppido idoneam ſufficit. Ipſa etiam voluntas, ſui licèt juris, falſa tamen & inani vmbra ſimulati boni capta, cedit tandem ac ſe præbet obedientem; vt enim murus, ſi aſſiduè quatitur, tandem diruitur: ita dæmon aſſiduis inſultibus hominem debellat & ſubigit: fortiſſimus igitur & potentiſſimus dæmon, huic obſiſte.

Non minor fortitudine, induſtria, vel potiùs aſtutia; cùm enim ex fraude totus & falláciis conſtet, eóque ſpectet illius victoria, vt conſenſum à voluntate obtineat, quem vi extorquere non valet; *res eſt* enim *poteſtatis noſtræ affectus*, inquit D. Paulinus, omnes dolos machináſque commolitur, vt eam expugnet. Quò ſua quemque ducat rapiátque natura, exquirit primùm diligentiùs, vt qua parte minùs obſiſtendo valet, tutiùs invadat, ducis experientiſſimi ad inſtar, qui obſeſſam arcem vt faciliùs expugnet, exploratâ priùs naturâ & munitione loci, quod in ea maximè infirmum ac debile eſt, aggreditur. Eſt quippe in omnium animis molle quiddam, enervatum quodammodo & languidum, quo aditum in nobis tentat dæmon. Cùm enim arcanos animi noſtri ſenſus, niſi nos ipſi indicemus, pervadere non poſſit, quæ virtutes in nobis vigeant langueantve, quæ vitia maximè dominentur, ſagaciùs odoratur, ac deinde in eam partem quæ debilior, oppugnationem dirigit, machiniſque omnibus irruit, vt faciliùs ſubruat. Gloriæ cupidus es? honores & dignitates objicit; avarus? ſpe majoris lucri allicit; voluptate delectaris? objecta ſpecie pulcritudinis animum detinet. Nunc aperto marte, nunc ex inſidiis adoritur, nunc ſpecie neceſſitatis decipit. Quàm multis obtentu ſanitatis & conſervationis turpiter quotidie illudit? modò à neceſſariis ad ſuperflua ſenſim deducit, & à levioribus vitiis exorſus, ad graviora progreditur: modò ſub ſpecie boni blandiùs ſe inſinuat, vt venenum viris, vitæ præſertim ſanctioris, faciliùs propinet. *Alter*, inquit Gregorius Magnus lib. 33. in Job cap. 22.

*religioſas hominum mentes, aliter huic mundo deditas tentat; nam pravis mala quæ deſiderant, apertè objicit; bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanitatis illudit.* Modò deſerit ad tempus, vt ſui præſidentem nimiſque ſecurum nec opinantem invadat. Quòd ſi hominem à ſuſcepto ſemel conſilio abducere non poteſt, ſaltem intentionem depravat & quaſi detorquet: ipſa, quod vix credas, victoria ne quidem tuta eſt & à periculo immunis. Quid ita? quia tunc maximè ſævit, cùm hominem plenè ſentit liberatum: tunc plurimùm accenditur cùm extinguitur, & hoc ipſo quòd victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur. Par itaque dæmonis fortitudini fraus & aſtutia, cave.

Denique in oppugnando maximam conſtantiam ac, pæne dicam, pertinaciam adhibet. Nulla ætas ab ejus impreſſione immunis: nulla pars vitæ ab ejus inſidiis vacat. Infantem vixdum matris conceptum in vtero aggreditur, adoleſcentem invadit, adultum & grandiorem jam factum laceſſit, nec antè oppugnandi, quàm ille vivendi finem facit. Fingit quippe fœdum *corpus peccati* matris in vtero tum organorum conformatione, tum humorum quibus vitia ali & foveri poſſint, inducta temperie. Quoties violentis matrum exercitationibus aut productis ad multam noctem vigiliis, fœtum in alvo viſus eſt extinguere! vbi verò in lucem editus eſt, quos laqueos non tendit vel in cunis jacenti! quas inſidias in educatione non parat! quàm ſæpe ejus ſuaſu & inductione, parentes parùm cauti tenellum fœtum iis nutricibus alendum dedere, à quibus vitia cum lacte ſuxit! aut iis præceptoribus inſtituendum, qui

inſtitutione prava animum tenerum infecerunt, praviſque erroribus imbuerunt! Quàm ſæpe facili & tractabili puerorum indole ad vitia, efferentibus ſe plus juſtò adoleſcentum cupiditatibus ad voluptates; nimia, quæ viris familiaris & quaſi domeſtica, gloriæ aviditate ad honorum ambitum; frigida demum ſenum temperie ad cæleſtes motiones reſpuendas abutitur! Quid plura? nullum malitiæ ſuæ otium facit pervicaciſſimus hoſtis, ſi Tertullianum audimus, vrget, inſtat à tergo & à fronte ſine virium laſſitudine, & patientiſſimum quemque hac pugnandi pertinacia ita fatigat, vt tandem ſubigat; ita diu noctuque fortiſſimum quemque laceſſit, vt domet. Habet enim homo ab innata ſibi levitate animi & inconſtantia, vt diu reſiſtere non poſſit, ſi multùm ab hoſte tam aſſiduo, tam pertinaci impugnatur; ſed cadit tandem animo & ſuccumbit. *Nemo diu fortis*, inquit Ambroſius, *ſi diu laceſſitur.* Quid Samſone fortius? importunis tamen Dalilæ precibus & blanditiis ceſſit. Quid Salomone ſapientius potentiúſque? non potuit dæmonis artem prudentia eludere, aut potentia fortitudinem frangere. Dæmon igitur aſſiduus & pertinaciſſimus oppugnator, huic conſtanter obnitere; ac ne aliquando ab eo vincaris, angeli cuſtodis auxilium implora, cujus amor odium, fortitudo robur, conſtantia ipſam dæmonis pertinaciam longè multúmque ſuperat, vt ex dicendis patebit.

## §. II. *An valentior ſit cuſtos angelus ad alumni ſui ſalutem conſtituendam, quàm dæmon ad evertendam.*

I. Propoſitio. QUATUOR ad perfectam cuſtodiam opus ſunt, amor cuſtodis in clientem, fortitudo, induſtria & conſtantia; amor benevolum & officioſum in clientem reddit: fortitudo propugnat: induſtria artes & dolos eludit: conſtantia aſſiduum efficit, & ad latus affigit.

II. Propoſitio. Angelus cuſtos amat imprimis clientem; fortis eſt vt propugnet; induſtrius vt dolos & fraudes dæmonis eludat; aſſiduus vt diu noctuque advigilet.

III. Propoſitio. Magis nos amat cuſtos angelus, quàm dæmon odit. Non deſunt ſanè amantiſſimo ac vigilantiſſimo cuſtodi cauſæ amoris in nos ac benevolentiæ ſingularis, cujus incitamenta ex iiſdem principiis mirabili induſtria ducit, ex quibus implacabile dæmonis in nos odium exiſtit. Odit nos dæmon & inſectatur, quòd imagines Dei quem averſatur, nos ipſi ſimus; quòd Chriſti affinitatem cognationémque nobis invideat; quòd nos ſedi ex qua ejectus expulsúſque eſt, Deus ſuffecerit: quæ tria angeli in nos amorem non modò excitant & alunt, ſed etiam maximè augent atque inflammant. Cur autem? diligit quippe Deum, & quidquid illi affine & cognatum eſt. Quid deinde? munificentiam largitoris grata animi ſignificatione proſequitur, ejúſque amori quantùm poteſt, reſpondet. Et quoniam Deum videt in homine, viva ac ſpiranti

illius imagine, atrociùs læſum à dæmone; eundem in ſe, deinde in homine eò magis diligit, quò ad ipſum propiùs accedit. Ut enim quiſque gratia plurimùm valet apud Deum, ita ipſi cariſſimus: itáque hominis, quem videt odio & malevolentia dæmonis turpiter deformatum, & labe peccati ſæpius infectum, patrocinium ſuſcipit. Ex quo & illud conſequens eſt, nos ab angelo cuſtode multò magis amari, quàm à dæmone odio haberi. Odit quippe nos dæmon vnis naturæ viribus; cuſtos autem angelus cùm naturæ inductione, tum gratiæ viribus. Eodem nos deinde, quo Deum, amore proſequitur, qui amor in Deum ſummus eſt, idémque altioris ordinis. Eadem caritas, quæ ſuis in Dei ſinum alis ipſum evehit & celerrimè defert, ad noſtram cuſtodiam eundem demittit, dumque illi jus ad gaudia ſempiterna tribuit, viliſſimi hominis obſequio addicit, à quo non naturæ noſtræ, quæ dimidia parte ſui ipſi inferior, conditio; non ipſa peccati labes, quæ ipſi ſæpius adhæreſcit, avocare vnquam poſſit. Jam verò noſtra cum Chriſto affinitas & cognatio quantum ipſi in nos amorem, quantam reverentiam ingenerat! Certè ſi Origeni fides eſt, ex quo Verbum divinum naturam humanam ſibi arctiſſimè devinxit, tantus fuit beatorum ſpirituum in homines amor atque obſervantia, vt glorioſiſſimum ſibi putent iis ſua deferre obſequia, quos vident ad tantæ dignitatis gradum evectos. Gaudent Chriſto in negotio ſalutis noſtræ ſtudium & operam adjungere, cujus meritis ſuam in gratia perſeverantiam referunt acceptam. Norunt denique beatas illas ſedes, è quibus rebelles angeli deturbati ſunt,

hominibus decreto Dei deſtinatas atque addictas, quos proinde tanquam ſocios gloriæ ſuæ & participes aliquando futuros colunt imprimis & obſervant. *Diligunt nos*, inquit Auguſtinus, *tanquam concives ſuos*, cumque ipſos turpiſſimæ ſociorum defectionis & tam diuturnæ vacuitatis pudeat, vt homines beatis illis ſedibus citiſſimè inferant, inuſtamque adeo ſuis ordinibus maculam deleant, nihil non moliuntur. Age enim, quàm arctè hæc tot amoris vincula cæleſtem illum cuſtodem alumno devinciunt, quàm conſtanter illius lateri affigunt, & ejuſdem obſequio mancipant. Quid! ſpirans Dei imago, frater Chriſti, concivis meus, quem Deus fidei meæ & vigilantiæ commiſit, in partem illius, qua perfruor in cælo, felicitatis veniet aliquando! Damna noſtris ordinibus turpiſſima rebellium ſociorum defectione illata reſarciet, & maculam eluet! Illius animæ ſalus, tot certaminum quæ Chriſtus illius cauſa commiſit, tot victoriarum quæ retulit, ſpolium ampliſſimum; ſanguinis quem effudit & meritorum, quæ conſecutus eſt, fructus vberrimus; mortis denique quam fortiter obiit, juſtiſſimum præmium! Permagni denique momenti eſt ad Dei gloriam, à quo conditus; ad honorem Chriſti, à quo redemptus; ad fidei meæ commendationem, cui creditus; & ego ei laboranti ad ſolatium, pugnanti ad victoriam, periclitanti ad ſecuritatem deero? amorem, ſtudium, curam, vigilantiam illi non impendam, cui Chriſtus affinitatis gloriam vltro conceſſit, vt ad Deum attolleret; ſanguinem, vt ablueret; vim & efficientiam meritorum, vt redimeret?

Illud etiam accedit, quòd anima quam Chri-

ſto lucratur, procurator induſtrius, novi eidem gaudii & lætitiæ futura ſit aliquando in cælo ſeges vberrima. Ita eſt, amantiſſime & fidiſſime cuſtos, ſalus alumni, quem Deus tuæ cuſtodiæ tradidit, tuis vigiliis & curis ſemel conſtituta, lætitiam tibi pariet immortalem, fidem Chriſto tuam probabit, & gloriæ tuæ coronam amplè magnificéque exornabit. Non vnius Dei tantùm gloria, ſed tua etiam hîc felicitas agitur. Minùs beatus eſſes aliquando, ſi æternùm miſer foret. Et quiſquam de tuo in illum amore, benevolentia, ſtudio dubitabit? Amas profectò, & quidem conſtantiſſimè, quia eadem qua Deum caritate complecteris: tenerrimè diligis, quia frater illius es affinitate gratiæ, & amicus quàm qui maximè benevolus: ad quælibet munia erga alumnum tuum vltro ac ſponte te objicis, coliſque obſervantia ſingulari, quia ob ſummam quæ illi cum Verbo divino eſt, conjunctionem ſuſpicis.

IV. Propoſitio. Angelus cuſtos plus valet fortitudine & induſtria in propugnando cliente, quàm dæmon in oppugnando.

Tanta quippe illi ineſt fortitudo, vt vel vnus angelus vnius noctis ſpatio viginti quatuor millia Aſſyriorum deleverit, corporibus eorum in cineres redactis: tanta induſtria, vt nulla dæmonis fraus dolus planè nullus ſit, quem ignoret, aut ſubterfugere non poſſit, ſi velit. Præterea cùm eum homini regendo qui hujus vniverſi finis eſt, Deus ipſe præfecerit, rerúmque omnium notiones ipſi ingenerarit in ortu; conciliandis partibus vniverſi, componendis elementorum litibus, ſedandis tempeſtatibus & corporibus immutandis non impar eſſe debet, nihil ejus fugere acumen,

men, nihil excidere atque elabi animo, nullus error intervenire, nulla incogitantia. Adde hoſtium noſtrorum vires longiori temporis vſu & periclitatione ab eodem perceptas.

Sed cùm hæc qualiſcunque ſit vis & induſtria, illi cum dæmone, cui nihil virium naturæ excidit, communes ſint, pugno & vero vinco ſingularem quandam angelo cuſtodi fortitudinem & induſtriam ineſſe, quibus munitus, ſi Jubet, dæmonem vincere facillimè poſſis. Quid ita? quia Deus pro ſua in nos benevolentia, certo quodam conſilio cuſtodiam tum animi, tum corporis, ipſi commiſit, & noſtræ ſalutis rationes credidit: Cùm dæmon hominem invadit, & à Chriſti fide cùltuque nititur abducere, id permiſſu conceſſuque Dei tantùm facit, qui aggreſſiones illius non imperat, ſed tolerat; nec alia mente nos cùm ipſo ſinit manus conſerere, quàm vt nobis vincentibus coronam imponat. Id vidit Tertullianus, cùm miniſteria dæmonum intra officioſæ Dei providentiæ, cujus eſt orbi, ipſíque adeo homini conſulere, primum ordinem nullatenus contineri docuit; ſed intra ſecundum ejuſdem providentiæ quæ malum culpæ & pœnæ procurat, ordinem concluſit. Quî fit vt maligni ſpiritus *auctores quidem malorum* ſint, *bonorum verò nunquam*. Quidquòd illorum vim coërcet Deus, potentiámque moderatur? quamvis enim nobis obeſſe maximè velint, ſæpius tamen non poſſunt, quia *poteſtas illorum ſub poteſtate eſt*, ex Auguſtini mente.

Maneat igitur illud ratumque ſit, nos quotquot vivimus in terris, angeli cuſtodis curæ ac vigilantiæ à Deo conſultò & cogitatò eſſe com-

mendatos, nec vllum planè eſſe hominum, qui non ex illius mandato vnum aliquem habeat ex infimo ordine auctorem conſiliorum, & periculorum depulſorem. *Angelis* quippe *ſuis mandavit de te*, &c. Chriſtum quidem hominum caput & ſequeſtrum apud ſe conſtituit, ſed in partem tanti muneris angelos vocavit, ſocios filii in cauſa ſalutis eſſe voluit. Nullum ſive fidelium, ſive infidelium, ne ipſam quidem matrem ſuam, huic tutelæ & cuſtodiæ ſubduxit, quam majori angelorum præſidio ac ſatellitio muniri oportuit. Verſamur ſcilicet in lubrico, quandiu hîc degimus, & difficili loco, vndique hoſtium patemus inſidiis: debuit igitur cuilibet noſtrûm fidiſſimum cuſtodem Deus adjungere, qui à nobis pericula propulſaret, irruentium dæmonum impetus retardaret, conſilium inter tot caſus plenum prudentiæ & fidelitatis daret, à lapſu ſuſtineret, omni ope vbique tueretur. Solet quippe Deus quoties muneri præficit aliquem, iis inſtruere virtutibus quæ ad illius geſtionem requiruntur: debuit igitur angelo, cui me commendavit vni atque tradidit, non modò non deeſſe, ſed & pugnanti adeſſe: debuit majora parare præſidia, quàm ſi huicce muneri, ipſo inconſulto aut permittente, ſe ſe obtruſiſſet; ſicut à Principe majora ſuo quodam jure auxilia dux ille depoſcit, qui ipſius juſſu, quàm qui ejuſdem injuſſu aut certè permiſſu, vrbis propugnationem ſuſcepit. Deinde quantùm acuit benevoli cuſtodis induſtriam, quantum virium addit & roboris hæc ſemel ſuſcepta mente cogitatio! Hunc, cujus latus tego, alumnum, meæ fidei & clientelæ commiſit Deus, vadem me illius ſalutis conſtituit;

ſed quantò magis valet ad Dei opem accelerandam ?

Accedit & illud non leve adjumentum, quòd cuſtodi angelo clientis intimæ cogitationes vt plurimùm pateant, quæ dæmonem ipſum latent. Quæ corporis noſtri temperies, quæve complexio, quæ cupiditas dominetur, quo demum cliens affectus animo ſit, novit vterque angelus; arcanos verò animi ſenſus non novit. Sacrum ſcilicet eſt quoddam, penetrale cor hominis, quod adire vni Deo conceſſum ſit. In ipſam ſe ſe phantaſiam & appetitum inſinuant ambo, humores concient, ſpiritus concitant, quid plura ? animam obſident, non occupant, & vt verbis D. Bernardi vtar, adſunt, non inſunt: vnus Deus illabitur & ineſt, vnus ſecretos animi noſtri ſinus ſenſuſque pervadit. Quin etiam ex variis motibus quos anima corpori imprimit, quid meditetur & agitet animo, interdum conjiciendo aſſequuntur; ſed hæc conjectura levis, fluctuans & incerta: itaque Deus vt cordis angelo cuſtodi penetrale pandat, Verbum ſuum tanquam *ſpeculum voluntarium* ejus menti objicit, & intimas cogitationes explicat, quibus in regendo cliente juvari quadantenus poſſit. In Verbo enim tanquam in nitidiſſimo ſpeculo conſilia plena ſceleris & audaciæ detegit, quæ in Deum animo concipit, vt in ortu extinguat; omnes machinationes quas molitur, vt evertat; conſpirationes quas dæmones in eum conflant, vt reſtinguat; fraudes & dolos, vt declinet. Novit itaque Verbo velut indice, quid in nobis infirmum ſit, vt protegat; quid ad Dei gloriam augendam vtile, vt promoveat: & ita dæmone ſcientior haud paulò atque potentior, aſtutiam

prudentia eludit, virtute impetus frangit, caſtàs demum & ſanctas cogitationes menti injicit, injectaſque cuſtodit. Quomodo autem?

Nimirum ſalutis noſtræ rationes ex bono voluntatis vſu aptas ſuſpensáſque habemus, quæ cùm cæca ſit, ipſius mentis cogitationibus regi ducique potiſſimùm debet, ex quibus, cùm aſſentimur, boni vel mali mores ſequuntur. Tota igitur angeli cuſtodis virtùs & induſtria duabus partibus continetur, vt pias ſanctáſque cogitationes, & ſimiles in voluntate affectiones pariat, partas deinde conſervet & augeat; eas porrò parere proximè non poteſt: quare phantaſiam ipſam primùm, appetitum deinde ſentientem adoritur, cuditque corporatas imagines, quarum pulſu mentem feriat, & amorem virtutis voluntati ingeneret. Tota igitur angeli cuſtodis vis & induſtria in formandis phantaſiæ & componendis idolis, in moderandis deinde appetitûs ſentientis cupiditatibus, quibus in animum graſſetur, maximè elucet. Exemplo res patebit.

Ut Auguſtinus angeli cuſtodis adminiculo caſtè quidpiam cogitare & velle poſſit, circumjectum ſpatium, & quæ ſenſibus objecta extrinſecùs occurrunt, occupat primùm idem angelus: tum quæ hujus virtutis fingendæ imagini prodeſſe poſſunt, propiùs admovet; quæ obeſſe eidem, procul removet; vtilia nocituris, honeſta turpibus ita permiſcet atque temperat, vt virtuti nihil ampliùs officiant. Hæc eſt tutela ac præſidium firmiſſimum, quo nos Deus munit extrinſecùs, ad mentem divini Vatis appoſitè: *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum*; nec enim angelum intus habitare, ſed extrinſecùs adeſſe

duntaxat, & quaſi excubias agere pugnat.

Si quid turpe in oculos incurrit, hanc ſubitò invadit facultatem, vt aditum præcludat; & ſi non directè, ſaltem obliquè, vires illius minuit atque infringit. Modò enim humores atque ſpiritus, quibus motus impuri excitantur, diſſipat; modò novatum imaginum pulſu aliò appetitum abducit; modò inſita huic creatæ pulcritudini domeſticáque vitia detegit, modò fucatum nitorem deterit. Hæc quam tu deperis, formæ dignitas, flos eſt, qui ſubitò marceſcit. Latet, mihi crede, ſub fucata illa ſpecie, turpe neſcio quid ac deforme, quod aliquando averſeris. O ſi illam deformitatem noſſes! ò ſi eximiam Dei pulcritudinem cerneres, quantum illa odii, quantum hæc amoris in animo tuo excitaret!

Sin autem caſtum quidpiam & pudicum oculis animoque illabitur, tum enimverò cuſtos induſtrius, humoribus & ſpiritibus evocatis, facultatem corroborat, vegetiorémque reddit. Sed volo ſenſum externum blanda illa ſpecie jam occupatum, phantaſiam turpioribus infectam ſimulacris & contaminatam, mollitum ac delinitum appetitum ejuſdem illecebris; injectam denique menti cogitationem & amorem in voluntate excitatum, quæ ſunt prima quaſi peccati tyrocinia; pugno ego angeli tutelaris ſtudio & opera hæc blandientis voluptatis lenocinia poſſe ſuperari.

Cùm enim facultates corporatas in poteſtate habeat, & humores peræquè ac ſpiritus qui ipſi animæ tanquam inſtrumenta ſubſerviunt, movere pro arbitrio poſſit, tenuiores humores colligit, quibus ſpeciem fœdæ libidinis perpetuò conciret & agitet, ne menti ſemper obverſetur, ſpiſſis &

concretis fucatum illius nitorem obruit & obſcurat; alia atque alia interdum phantaſmata aggerit, ne lenociniis animum irretiat; ita porrò deformat, vt leviter feriat animum, odiumque potiùs ſui quàm amorem progignat. Teſtis eſt D. Auguſtinus, cùm in has voces erumpit, turpiſſimæ voluptatis magnificus contemptor: *Succutiebant veſtem carneam.* Movebat quidem antea ſenſus, & animum illius ſuaviter & jucundè titillabat blanda conciliatricula; nunc leviter ſenſus eoſdem afficit, & animum vix delibat. Languet ſcilicet illius imaginis lumen, pulcritudinis nitor fere extinctus eſt, & ſolis occidentis luci quàm maximè geminus. Quid plura? non ampliùs à fronte, ſed à tergo dumtaxat petit; adeò remiſit ſe ſe vis illecebrarum, vt veſtis oram tantùm ſuccutiat.

Et quoniam contrarium à contrario debilitatur expelliturque, vt fœdam impudicitiæ ſpeciem eximia caſtimoniæ imagine inducat, ipſumque phantaſiæ organum ad hanc recipiendam paret, ſpiritum, cui ipſa inſidet, extenuat, & à concretiorum humorum contage expurgat, ſecretis ex maſſa ſanguinis excitiſque purioribus ſpiritibus phantaſiam illuminat, ſpiſſos diluit humores, itaque imaginem caſtimoniæ tandiu detergit & illuſtrat, donec omnino perfecerit: affines deinde & agnatas eidem ſpecies excitat à quibus illuminetur, & inſtar induſtrii Typographi ita componit, vt illam attollat, hanc deprimat, longiùs illam removeat, iſtam admoveat propiùs, nec antè movere deſinit, quàm in bono lumine collocarit. Hanc deinde ad phantaſiam appellit, vt ex ea ſimulacrum omnino par ac ſi-

mile excudat, geminamque menti ſpeciem imprimat, quæ voluntatem titillatione deliniat; & ita mirabili quadam ſolertia cuſtos angelus tanquam miniſter ſupernaturalis Dei providentiæ, gratiæ illuminatrici operam navat, & clientis animum ad excipiendos divinos illius ſatus diſponit. Dum enim mens humana vtramque imaginem retractat, ductus & lineamenta omnia attentiùs inſpicit, fœdam illius turpitudinem quam amabat imprimis, præclaram hujus pulcritudinem, à qua abhorrebat, propiùs intuetur, ſuos miratur errores, ſuos in illam amores damnat, ſuos in hanc approbat. Quid! egone hoc monſtrum turpitudinis, hanc fœdam turpémque formam tandiu amaverim, in ſinu, in oculis tulerim? hanc amabiliſſimam pudicitiæ ſpeciem quæ tam rapacibus illecebris animum capiat, tandiu averſatus ſim? Pudet certè mihique dolet quàm maximè, animum ad turpem illam voluptatem ſic abjeciſſe, ab eximia caſtimoniæ forma tandiu abhorruiſſe. Eccur tam ſerò te amavi, pulcritudo tam antiqua, tam nova? Te ſequar vnam in poſterum, tibi adhærebo, tibi me addicam vni totum, penituſque mancipabo. Tuam hîc fidem, quiſquis hæc legis? num elucet in hoc vel plurimùm angeli cuſtodis virtus & induſtria, vt caſtam menti cogitationem ingeneret?

Neque hoc ſatis. Et fovendum & alendum hujus inditæ jam virtutis ſtudium in animo, adverſique vitii odium. Quamobrem cuſtos angelus denſioribus humoribus vtitur, quibus vtramque imaginem cum ſpiritibus qui illas vehunt, phantaſiæ ſiſtat ac perenniter objiciat. Et quoniam appetitui ſentienti non minus affinitatis eſt cum

voluntate, quàm imaginatrici facultati cum intelligente; & ſuæ huic parti inſunt cupiditates quæ rationi tenebras offundant; ſua peræquè & domeſtica vitia tum innata, tum acquiſita, quæ illam polluant, turpiterque deforment; ſuæ demum virtutes quæ purgent eandem atque illuminent: in hanc ſe ſe inſinuat ac ſubit intrò, vt dominatricem affectionem debilitet, quâ ſolet in nos dæmon vehementiùs graſſari, nocituros animi motus cohibeat, profuturos acuat, ſopitas virtutes in vitia concitet: itaque mutua illa facultatum conſenſione ſervet, foveat, alat caſtas in mente cogitationes, & pudicos in voluntate affectus.

Sic eſt profectò. Hac arte, hac ſedulitate atque ſolertia, his humorum ſpirituúmque ſubſidiis eximiam illam pudicitiæ imaginem, illud fœcundum caſtimoniæ ſemen in phantaſia ſervat ac retinet cuſtos induſtrius: ita portò animo clientis conſtanter affigit, vt ei ſemper obverſetur. Domi foriſque ab ipſo cernitur, cum ipſo pernoctat, ruſticatur, ſomniis etiam ipſis ſe ſe ingerit. Quòd ſi dæmon ſpiſſos & concretos humores quaſi ſurdos & obſcuros colores inducere, ipsáſque adeo imaginum notas conturbare & infirmare nititur; eum quaſi injectis vinculis cuſtos angelus retinet, & tanquam canem alligat, *qui latrare poteſt, mordere non poteſt.* Et quoniam ſecretas cogitationes Deus ipſi in Verbo tanquam in ſpeculo indicat, eaſdem facultatum corporatarum, humorum & ſpirituum adminiculo alit atque perpetuat; & ita iiſdem quibus ſuperiores angeli in inferiores, erga clientem officiis defungitur.

Purgat, illuminat, perficit, ſi ita loqui fas eſt, tum negativè, tum poſitivè. Purgat negativè, quæ turpem aſpectum habitura ſunt, procul arcendo; poſitivè, quæ caſta, quæ pudica, ſenſibus appellendo: illuminat negativè, vitiorum imaginibus humorum copiâ obrutis & quaſi conſepultis atque obſcuratis; poſitivè, ſimulacris virtutum ex concretione humorum extractis, atque adeo illuminatis: apto demum & concinno eorumdem ordine perficit. Purgat, dum ab opinionum, quibus eum dæmon imbuere conatur, pravitate liberat: illuminat, quid cogitare, quid ſcire, quidve agere noſtra admodum interſit, edocendo: nova virium acceſſione perficit. Purgat, ſubacta edomitaque cupiditate dominatrice, vitiiſque radicitus avulſis: illuminat, virtutibus quæ appetitui inſunt, excitatis atque corroboratis: perficit, dum ſimulacrorum quæ phantaſiæ inſident, ope caſtas quas Deus immittit, cogitationes alit & conſervat. Denique purgat, illuminat, perficit, nunc quæ virtuti obſtant & impediunt, removendo, nunc dona quæ defert à cælo, in nos liberaliùs effundendo, nunc ſuperiorum angelorum auxilium implorando, nunc hoſtis conſiliis & conatibus obſiſtendo, aliàs afflictum clientem conſolando, aliàs ignaviam & imbecillitatem animi exprobrando, vbique fideliſſimi & fortiſſimi cuſtodis partes ſuſtinendo. Teſtor te, quiſquis peccaſti ſæpius, quoties vigilantiſſimi cuſtodis opem & auxilium expertus es? quoties hoſtium conatus aut induſtria eluſit, aut virtute repreſſit? Suſcepta non ſemel ex tempore abjiciendi peccati conſilia, poſtquàm diu multumque fruſtra deliberatum; conſolationes quæ te

pugnantem præter ſpem & expectationem toties ſuſtentarunt; immiſſa cælitus lumina, quæ rerum humanarum vanitatem, peccati turpitudinem, perfectiùs ſanctiuſque vivendi genus & divinæ voluntatis decreta multò clariùs, quàm ſi oculis corporeis vſurpaſſes, tibi manifeſtarunt: hæc, inquam, tot ſalutis tuæ præſidia, ſi non omnia, ſaltem plurima, virtuti atque induſtriæ fidiſſimi cuſtodis accepta referre debes, qui laborantem omni ope adjuvit, pugnantem hortatus eſt, vincentem coronavit.

v. Propoſitio. Angelus cuſtos nobis ad defenſionem tum animi, tum corporis, toto vitæ tempore advigilat. Non enim vt tutor, impuberes ad quartum & decimum vſque annum; non vt curator minores ad quintum & viceſimum: ſed vt perpetuus totius vitæ noſtræ propugnator atque defenſor, latus alumni ſui tegit, ſemper ad defenſionem paratus & ad prælium accinctus, ne hoſtis incautum occupet. Sic olim Tobias junior, cùm in viam daret ſe ſe, *invenit juvenem ſtantem, præcinctum & quaſi paratum ad ambulandum.* Semper gladio diſtricto armatus, non quo eum cæli aditu prohibeat, ſed quo, hoſte domito, tutò ac ſecurè cælo inferat: ita porrò aſſiduus ac pervigil, vt nihil eum à clientis latere arceat, nihil cuſtodiam interrumpere queat: non ſomnus, purus quippe ſpiritus vigiliis non fatigatur, nec viribus exhauritur: non regreſſus in cælum clariſve Dei intuitus, vbique Deum videt, vbique præſentiſſimum habet; & quamvis in cælum identidem remeet, preces ad Deum noſtras, optata & vota relaturus, nunquam tamen ab alumno quem in fidem accepit, oculos dejicit: non

fortitudo dæmonis, quo multò valentior. Quid ergo à præſidio & ſtatione dimoveat? forte peccatum, cujus fœditatem exhorret. Nulla re alia fateor à nobis longiùs abigi poſſe, quàm hujus fœdiſſimi monſtri aſpectu; non tamen ideo peccatorem deſerit & quaſi à ſe projicit, imò ſuſtentat, amplectitur, fovet, auxilium pollicetur, promiſſis excitat ad pœnitentiam, in cælum convolat revolatque identidem, ſponſi & ſponſæ animos quos peccati labes diſtraxit, concilaturus: vbique adeſt, non tantùm vt ſocius, ſed vt ſedulus pediſſequus. Iter habes? comitem ſe tibi adjungit & omnium periculorum ſocium. Vinculis & cuſtodia coërceris? ſi te non educit indidem, vinculiſque penitus non eripit, ſaltem afflictum conſolatur. Fame ſitique laboras? reficit. Periculosè ægrotas? in piſcinam demittit, vt ſanetis. Ardes mediis in flammis? te quaſi alterum Lothum incendio eripit, aut certè refrigerat. In confertiſſimos hoſtes te immittis? novos addit animos. De ſalute tua fortè conclamatum putas? deſperare te vetat. Tibi advigilat in foro, ne quid iniquè; in commercio, ne quid fraudulenter; in menſa, ne quid intemperanter; in conjugio, ne quid molliter & diſſolutè; in templis, ne quid impiè; & in ipſis pœnitentiæ tribunalibus, ne quid fictè ac ſimulatè vnquam agas.

Atque hæc cuſtodia quàm diuturna, Deus immortalis! quàm ſibi conſtans, quàm longè latéque per omnes ætates pertinet! non aliis certè quàm vitæ terminis finibuſque clauditur. Vix dum matris in vtero conceptus infans, cùm totos novem menſes excubat, cuſtos pervigil, corpus apta quadam & ſolerti humorum & ſpirituum

temperatione informat primùm leviter, delineat deinde expreſſiù & concinnat, materiam concipiendis virtutum ſeminibus idoneam ſufficit, indolem fingit ad honeſtatem, igniculos pietatis inſerit, cùm ſua ſubinde, tum parentum, tum magiſtrorum operâ atque induſtriâ excitandos. Dæmon arte ſua operis abſolutionem impedire nititur? procul abigit. Corpus peccati quo ad animæ perniciem abutatur, ex humorum ſpirituúmque intemperie coagmentat & effingit? ſi opus non diſturbat penitus, ſaltem emendat, & ſi quid vitioſitatis inſit, corrigit. Violentis venationibus aut ſaltationibus ad quas matres inſtigat, fœtum conatur extinguere? integrum ſervat & incolumem.

Ubi verò exactis temporibus, proſperè & feliciter in lucem editus eſt infans, tum qui præeſt matri angelus, curam deponit illius, ipſique ſuus ac peculiaris cuſtos ſufficitur, qui matris è gremio exceptum in fidem ſuam vltro recipit, fovet impenſius, jacentémque in cunis contra dæmonis incurſus omni ope tuetur. Quòd parentes quantocyus aquis luſtralibus curent abluendum: quòd nutricibus bene moratis alendum tradant, quarum cum lacte virtutem ſugat: quòd à magiſtris ad omne decus honeſtatis informetur: quòd ſocios nanciſcatur, qui probis moribus ſint: quòd ſæpe in lubrico ſine prolapſione aut offenſione incedat: quòd ſæpius ſtet in præcipiti ſine ruina: quòd omnium ætatum ſcopulos incolumis prætervehatur: quòd ad percipiendas quæ extrinſecùs traduntur, diſciplinas, docilis vt plurimùm ſit, & boni honeſtique retinens: denique quòd de certa & ſtabili ineunda ratione vitæ ma-

turé deliberet, eique demum vivendi generi ſe implicet, in quo ſalus non periclitetur; cui, ſi à Deo ejuſque matre diſceſſerimus, præterquàm huic fidiſſimo cuſtodi adſcribere debemus? Non ipſum infantiæ levitas, non pueritiæ inconſtantia, non adoleſcentiæ ardor & impetus, non ſtulta virilis ætatis ambitio, non ſenectutis moroſior triſtitia à cuſtodia avocant, aut curam ſtudiumque illius in nos remittunt: levitatem comprimit, inconſtantiam firmat, ardorem nimium reſtinguit, impetum cohibet, ambitionem moderatur, triſtitiam mitigat. Quin etiam id omne quod in qualibet ætate ad virtutem & ſalutem aptiſſimum & maximè accommodatum, diligentiùs aucupatur: facili ac tractabili puerorum indole ad primam virtutis informationem; cupiditate gloriæ, quæ cùm in adoleſcentibus, tum in viris maxima exiſtit, ad magna quæque virtutis heroïcæ opera, & emerita ſenum prudentia ad ſalutem animæ conſtituendam ſolertiſſimè vtitur.

Jam verò cùm morti proximus cliens, cùm à parentum, affinium & amicorum complexu avellendus, cùm in oculis illius tota eſt æternitas, quo ſtudio, quâ curâ, quâ conſtantiâ eidem advigilat? Novit quippe ſapientiſſimus cuſtos & idoneus rerum æſtimator ex hoc vno momento aptas clientem ſuum ſuſpenſáſque beatæ aut miſeræ vitæ habere rationes; agi de ſumma rerum ipſius in hac terribili & decretoria pugna; dæmonem omnem conatum in illius perniciem exitiumque tum parare diligentiùs: itaque oppugnare vehementiùs, nullum ſtudium, nullam operam aut induſtriam prætermittere, vt perdat, nec

ipſi admodum difficile hominem morbo præſertim exhauſtum & vi doloris pene confectum ſuperare.

Itaque omni ope atque opera enititur hoſtem, vt vincat, conatus illius refutet, ferociam comprimat, prudentia artem eludat: quare ſociorum opem expoſcit, omnes ordines obit, nova conquirit præſidia, & verò obtinet. Neque verò id à me quiſquam ideo dictum exiſtimet, quòd pericula verò majora dicendo facere, aut officia cæleſtis propugnatoris in alumnum extollere nimiùm velim. Id ipſum quod aſſevero, docet Theologia, Auguſtini & Chryſoſtomi confirmat auctoritas, experientia comprobat. Videre non ſemel, & magno ſuo commodo videre, SS. Joannes Canonicus Regularis, & Nicolaus Tolentinus, devolantes è cælo ad auxilium cæleſtium ſpirituum cohortes, & in cubiculum, in quo decumbebant, turmatim irrumpentes, vt pugnantibus adeſſent. Ipſa etiam Scriptura innuit cæleſtes illos propugnatores lectum ægrotantis tum diligentiùs circuire, cùm in proximo periculo conſtitutus, propter fœdam anteactæ vitæ mortiſque impendentis faciem luctatur, excubare aſſiduè; ſi quid adverſi ipſi contingit, dolere & illacrymari *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes* Chaldaïcè: *Circundabunt angeli inquiſitores judicii tui lamentantes.*

Et quoniam multitudinem peccatorum pene infinitam ad diffidentiam divinæ miſericordiæ excitandam, mortis imminentis metum ad conſtantiam labefactandam, judicis ſeveritatem ad deſperationem injiciendam, affinium & bono

rum quæ perditè amavit, jacturam, ad cupiditatem illorum inflammandam atque augendam, tanquam potentiſſimas machinas adhibet dæmon; quidquid piè & laudabiliter actum in vita, cæleſtes delicias & immenſas opes, Chriſti merita, potentiam Matris, & ſummam in filium auctoritatem, quibus confidentiam illius excitet, conſtantiam corroboret, & à rerum terrenarum amore abducat, vno quaſi obtutu cernenda objicit ægrotanti. Monet iterum ac ſæpius, voluptates quibus capitur in vita, honores quos ambivit, brevi tranſituros; eas autem quibus in cælo perfruetur voluptates, eos quos conſequetur honores, nullum vnquam finem habituros. Quas voces cuſtos Joannis Alemanni angelus identidem in aurem inſuſurrebat: *Serve Dei, eſto fidelis vſque ad mortem, expecta Dominum, & viriliter age.* Sæpius repetit: Macte ſis animo; en Chriſtus brachia explicat ad amplexum: hæc brevis pugna gloriam pariet immortalem. Modò evolat in cælum, modò revolat indidem, ſponſum & ſponſam inter pacis ſequeſter, excitat iſtam, placat illum; hanc attollit, illum demittit, propiúſque admovet, deprecatorem ſalutis illius apud Deum ſe præbet. Parce huic, quem meæ fidei ac tutelæ commiſiſti, alumno, ſupreme vitæ & mortis arbiter: te jubente illius patrocinium ſuſcepi, tua fretus miſericordia, tuis munitus præſidiis & opitulante gratia, me ſervaturum confido. Nec priùs ab illa imploratione deſiſtit, quàm omni ſpe ſalutis damnata, coactus ſit mœrens miſero à cliente divelli: vel eum tandem ſuis optimis conſiliis vſum, non modò nihil tergiverſantem, ſed ſequi etiam geſtientem ad Dei tribunal ſti-

terit: ſeveritati judicis ereptum & ab expiatricibus flammis, ſi quid expiandum fortè ſuperſit, liberatum, tanquam fructum laborum ſuorum, detractum hoſti ſpolium ampliſſimum, & victoriarum trophæum in cælum perduxerit, Deoque ipſi redonarit ad extremum.

Quæ cùm ita ſint, quantum Deo, qui nos tam noſtri amantis, tam ſtudioſi, tam induſtrii, tam potentis, tam denique aſſidui cuſtodis fidei, curæ & vigilantiæ commiſerit; quantum cæleſti & divino propugnatori debemus, qui ex quo nos in clientelam recepit ſuam, ne puncto quidem temporis abſcedat, ſed ab vtero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur, ipſaque, quod majus eſt, morte defunctos cælo ipſi aſſerat! Liceat itaque mihi hîc cum D. Bernardo, dum iſtud Davidicum ſtudioſè perpendit, *Angelis ſuis mandavit de te*, exclamare: *Mira* ſanè *dignatio & verè magna dilectio caritatis! quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? Summa majeſtas mandavit angelis ſuis, illis vtique ſublimibus, tam beatis, quàm proximè ſibi cohærentibus & verè domeſticis. Mandavit de te? Tu quis es? Sed quid mandavit de te? Vt cuſtodiant te.* Nimirum ſi in præcordiis matrum matureſcentes non diſcuſſi ſumus; ſi earum ægritudine aut repentino pavore, aut medicamentis non abacti; ſi nutricum lapſu non eliſi, nec in cunabulis præfocati; ſi inter tot varios & ancipites improviſoſque caſus, quibus jactamur in hac vita, non perimus millies; ſi ſecurè tendimus in cælum, nec aberramus in via, ac tandem tutò pervenimus; veſtrum eſt, amantiſſimi cuſtodes, veſtrum, inquam, vigilantiſſimi obſervatores, ſingulare beneficium. O nos ingra-

tos! ſi aliquo die vel tempore memoriam tot ac tantorum beneficiorum definimus. Sed quid, amabo, tot curis, tot vigiliis rependemus, aut quo munere tam beneficos, tam ſalutares, tam conſtantes propugnatores remunerabimur? Amant nos? quantùm amant, (amant autem nos plurimùm) redamemus, & tanto amori devotionem rependamus. Virtute ſua & induſtria nobis ad defenſionem præſtò ſunt? vtrique confidamus. Adſunt nobis perpetui obſervatores, nec à latere noſtro diſcedunt? præſentes obſervemus, veneremurque. Quid plura? *devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia, reverentiam pro præſentia* ipſis exhibeamus.

Quidni enim devotionem noſtram ſingularis benevoli cuſtodis amor, hoc eſt, promptum, alacre, ardenſque ſtudium noſtræ voluntatis ſuo ſibi jure depoſcat & vindicet, qui ſe totum noſtros in vſus expendit? quidni nos ad illius ductum applicemus, loquenti auſcultemur, dubiis in rebus conſulamus, monitis acquieſcamus, cultui demum illius nos totos mancipemus?

Neque verò devotione fiducia minor eſſe debet; quid enim à fortiſſimo & maximè induſtrio excubitore opis & auxilii non ſperemus? aut quid à dæmonis potentia ac dolo admodum metuamus, tanto præſertim defenſore? fortis eſt dæmon? ſed fortior cuſtos angelus. Valet ille induſtria? ſed hic multò valentior. Ille vnis naturæ viribus nos aggreditur: hic quà naturæ, quà gratiæ robore ac virtute fretus defendit. Ille fraudes & dolos ſtruit? hic prudentia eludit. Erigit ille cuniculos, hic difflat. Et erit aliquis qui ſolertiſſimo fortiſſimoque cuſtodi diffidat in poſterum? qui ani-

mum, corpus, fortunaſque omnes non vltro ſpontéque committat ipſi penituſque tradat; præſertim ſi illum religioſiſſimè colit, quot annis diem feſtum illius agat, nullum verbum faciat, nullam cogitationem ſuſcipiat, nihil gerat vnquam ſine illo auctore, cujus in poteſtate eſt, ſe denique iis adjungat, qui inito inter ſe fœdere mutuoque conſenſu, ipſum colunt ac venerantur.

Non denegabit, mihi crede, amorem ſuum, curam, jugem perennemque cuſtodiam ei homini, qui fidenti animo ad eum confugerit, & opem illius imploratit. Quid! infenſiſſimum hoſtem tum maximè amat, cùm ab eo contemnitur; & cultorem ſui aſſiduum, qui eum plurimi facit, averſabitur? Deſertores divini numinis & transfugas quærit diligentiùs, ne pereant; eos aſpernabitur & abjiciet, qui ſequeſtrem apud Deum conſtituunt? Diu noctuque iis advigilat qui fœdus cum dæmone ad animæ exitium inivere; & eos turpiſſimè deſeret, qui in cauſa ſalutis pactiones inter ſe & ſocietates conflant? Ut hominem à peccati ſervitute in quo conſenuit, aliquando liberet, nihil non agit; & eum qui peccati duriſſimum jugum velit excutere, non juvabit conſilio, non ope tutabitur? Ut duritiem animi ipſius emolliat, lacrymas, dolores & triſtitiæ indices fundit; vt hunc in propoſito ſuſceptoque ſanctioris vitæ conſilio confirmet, lacrymas lætitiæ ſuæ teſtes tenebit? Socios evocabit è cælo, qui animam peccatoris jamjam morituri retineant, judicem à decretoria ſententia ſuſtineant; alumnum qui ſe illiùs fidei credidit, in ipſo mortis articulo, in quo ſalutis cauſa agitur, deſertum patietur? Abſit vt de cuſtode tam fido, tamque

benévolo ac vigilanti tam malè ſuſpicer, ſcilicet vt patronus ſemper fuit in vita, tunc quoque futurum ſpero: in bene merendo de cliente ſuo ſemper conſtabit ſibi, ſua beneficia tuebitur & cumulabit.

Denique cùm præſens nobis ſemper adſit, ſemper præ oculis habeat: quanta, Deus immortalis! quanta, inquam, reverentia à nobis par eſt ipſum obſervari. Puderet nos, inſpectante gravi homine, concipere flagitium, ſceluſve aliquod admittere. Parentis oculos reveremur; non aſpectum modò, ſed etiam magiſtri ſuſpicionem exhorreſcimus, magiſtri dico. Nos pueri, nos mancipii & ancillulæ vocem, veſtigia vmbramque refugimus. Et tanti parentis, tam divini præceptoris; tantam angeli majeſtatem non metuimus, non expaveſcimus, imò præſentem laceſſimus, coram ipſo bacchari & laſcivire audemus, nec fœdiſſimarum voluptatum ſpectatorem facere perhorreſcimus? O dedecus! ô infamiam! Ut enim omittam quàm injurioſum ſit in amantiſſimum cuſtodem noſtrumque pacificatorem velle tum graviſſimè peccare, cùm Deum nobis iratum placat, cùm cauſam noſtram apud eum agit, & hoſtium vires debilitat, conatuſque reprimit: quàm probroſum eſt aſpectum caſtiſſimi cuſtodis, qui ne leviſſimas quidem viſus eſt vnquam ſine pudore gemituque maculas intueri, impuriſſimis ſceleribus fœdare! Quàm ingrati animi, tot ac tantis officiis injurias contemptûs pleniſſimas reponere! Et miramur fidiſſimum cuſtodem tot laceſſitum injuriis, tot & tam gravium ſcelerum pertæſum, cùm divini numinis hoſtium numerum noſtra defectione auctum, victorem dæmonem,

labores fruſtra inſumptos, & ſpes ſuas deceptas videat, curam ſalutis noſtræ abjicere penitus, vigilias interrumpere, & à latere noſtro longiùs diſcedere; ſua demum, vt verbis Auguſtini vtar, monita, quibus non acquieſcimus, à nobis auferre. Auferet enimvero, nec tantum dedecus, ſi peccare pergimus, patietur inultum; precibus apud Deum, conſiliis ac monitis non juvabit amplius: qui patronus ante fuerat, accuſator idem erit & teſtis: qui deprecator ſalutis, oppugnator: qui pacis antè conciliator, diremptor idem; quod à Deo ſeverè in nos ſemel ſtatutum erit, ipſe per ſe præſtabit, & enſe flammeo aditu cæli procul arcebit. Sin autem amantem redamamus, fortitudini & induſtriæ confidimus, præſentem reveremur, nobis vbique aderit auctor conſiliorum, laborum particeps, ſocius certaminum, periculorum depulſor: ope & gratia juvabit apud Deum, noſque tanquam fructum amoris, fortitudinis, induſtriæ, & illius quam nobis navabit in poſterum, operæ atque aſſiduitatis, cælo tandem afferet.

# SUMMA PRIVILEGII
## Regis Chriſtianiſſimi.

CAUTUM *eſt auctoritate Regis, ne quis in ejus regno, aliiſve locis ejus ditioni ſubjectis, intra decem proximos annos librum, qui ſic inſcribitur:* Accurata totius Philoſophiæ inſtitutio juxta principia Ariſtotelis, in plures tomos diſtributa ad vſum ſtudioſæ juventutis, Auctore P. JACOBO Channevelle, Societatis JESU Sacerdote; *abſque Edmundi Martini Pariſienſis Typographi permiſſu excudat, aut vendat, à die publicationis exemplarium: qui ſecùs fecerit, mulcta ei indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, dato Pariſiis die* 4. *menſis Martii* 1666. *& ſignato ex mandato Regis,* MABOUL. *Quod & in acta Typographorum & Bibliopolarum Pariſienſium relatum eſt die* 5. *Martii ejuſdem anni* 1666. *à* SIMEONE PIGET, *Syndico.*

| *Pag.* | *Lin.* | *Errata* | *Lege* |
|---|---|---|---|
| 1 | 9 | uaſi educunt | quaſi deducunt |
| 27 | | §. 2. | §. 4. |
| 49 | 26 | qualis eſt in altero | qualis non eſt in altero |
| 57 | 29 | vnitas | veritas |
| 72 | | §. 2. | §. 3. |
| 95 | 7 | alius | aliud |
| 113 | | §. 2. | §. 3. |
| 116 | | §. 3. | §. 4. |
| 117 | 16 | probatur | *dele* |
| 119 | | §. 4. | §. 5. |
| 142 | | §. 3. | §. 4. |
| 144 | | §. 3. | §. 5. |
| 145 | 34 | bi | verbi |
| 146 | 8 | divina | humana |
| 156 | 5 | e | de |
| 162 | 12 | creatura | creata |
| 192 | 24 | Diſp. a. 5. | Diſp. 1. a. 2. §. 4. |
| 196 | 19 | impleatur | impellatur |
| 203 | 28 | exercebant | exercebunt |
| 315 | 28 | intentio | intenſio |
| 328 | 33 | diſcant | diſcunt |
| 336 | 25 | locatæ | locato |
| 491 | 5 | ndixere | indixere |
| 500 | 16 | peccato | periculo |
| 528 | 24 | viginti quatuor millia | centum viginti quatuor millia |

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

39805

Digitized by Google

Digitized by Google